Theological Seminary
Princeton N.J.

NOVVM TESTAMENTVM

GRAECE

PERPETVA ANNOTATIONE

ILLVSTRATVM.

Johann Benjamin Koppe

EDITIONIS KOPPIANAE

VOL. V. PARTIC. I.

COMPLECTENS

PRIORIS EPISTOLAE PAVLLI AD CORINTHIOS

CAP. I — X.

CONTINVAVIT

D. DAVIDES IVLIVS POTT.

GOTTINGAE

TYPIS DIETERICHIANIS.

MDCCCXXVI.

EPISTOLAE PAVLLI
AD
CORINTHIOS
GRAECE.

PERPETVA ANNOTATIONE

ILLVSTRATAE

A

D. DAVIDE IVLIO POTT.

David Julius Pott

PARTICVLA I.

COMPLECTENS

EPISTOLAE PRIORIS CAP. I—X.

GOTTINGAE
TYPIS DIETERICHIANIS.
MDCCCXXVI.

VIRO

SVMME VENERANDO

THEOPHILO IACOBO PLANCK

ORD. GVELF. EQ.

S. S. THEOL. DOCTORI ET PROFESSORI PRIMARIO

REGI A CONSILIIS ECCLESIASTICIS

ECCLESIARVM PRINCIPATVS GOTTINGENS. SVPERINT. GEN.

QVI

DOCENDO AC SCRIBENDO VITA ET EXEMPLO

ECCLESIAE EVANGELICAE

DECVS SPLENDET ATQVE ORNAMENTVM

HVNC LIBRVM

OBSERVANTIAE ET AMICITIAE

TESTEM ESSE VVLT

AVCTOR.

PRAEFATIO.

Quae huic epistolarum Paulli ad Corinthios editioni, cuius nunc tandem partem priorem in lucem prodire iussimus, praemonenda videntur, ad pauca redeunt fere haec:

Sequutus sum recensionem Griesbachianam ex ed. II, nouis Viri de re critica longe meritissimi curis perpolita, ita tamen, vt in textu punctis distinguendo qualicunque meo iudicio ac sensui, in commentario plurimum significato, indulgerem; vbi vero a recensione illa recedendum, et, quod interdum factum est, vel ad priorem redeundum mihi videbatur, id quidem suetis siglis in margine interiori indicarem, ne vllam textus Griesbachianus, verborum ratione habita, alienam immutationem haberet. E thesauro critico Viri immortalis, in quo simul et Wetsteniorum, Milliorum, Bengeliorum, Matthaeiorum, reliquorumque Critico-

rum meritissimorum curae praecipuae repositae asservantur, grauiorem potissimum, h. in locis explicatu difficilioribus conspicuam, hausi lectionis varietatem, cui saepissime et meum qualecunque iudicium subiunxi, quod tamen, vbi paucis id verbis fieri non poterat, in commentario vberius enuntiandum censui; neque tamen praeterea et leuioris momenti lectiones silentio praetermittens, quoties vel prolatae explicationi siue coniecturae, tam propriae quam alienae, magis adstruendae, aliquo praesidio esse, vel nouae forsitan rationi, ab aliis explorandae, ansam praebere posse viderentur.

In parando commentario neque in moralem, quae marcescit, neque in mysticam, quae succrescit, interpretationem deflectentes, in grammatica potius interpretandi methodo constitimus, etiamnunc persuasissimi, cum hac potissimum duce veram auctoris mentem indagari posse, tum hanc ipsam cuiuis alii, et vel ipsi mysticae interpretandi rationi, fundamenti loco subesse, eamque praeparare debere, ne, licet sermo cogitatorum fidus interpres esse debeat, spreta nihilosecius verborum significatione, spretoque sensu

grammatico, solo animi, quamuis pii, contuitu, qui, pro varia ingenii humani indole, aliorum contuentium alius sit necesse est, plus minusue, vel adeo prorsus aliud quid videamus atque intelligamus, quam ipse auctor vidisse putandus est, ac ii, ad quos scripsit, pro consilio eius intellexisse existimandi sunt. Neque tamen, sic statuentes, vllo modo ii haberi velimus, qui omnia, quae in omni librorum ss. institutione de sapientiae diuinae immensis thesauris nobis grandia suppeditata sunt atque sublimia, sola propriae meditationis, verbis explicandis insumtae, face admota ita collustrari posse perhibeamus, vt παντα γυμνα και τετραχιλισμενα τοις οφθαλμοις ἡμων appareant. Insunt, quis negare ausit, atque inesse debent in religionis christianae, pro sanctissima eius origine atque natura, monumentis illis antiquis ὑπερεχοντα παντα νουν, quae, vt ab ipsis apostolis, sic etiam a nobis sola fidei pietate arripi, arrepta teneri fidoque pectori mandari velint; sed vel ad persuasionem hanc animo concipiendam atque firmandam, grammatica interpretatione, quae certos denique fines sibi constitutos esse probe intelligit, certissime perduci-

mur. Nolimus vero ad mysteria inuestiganda iusto proniores quasi inuiti intelligere, quae ab inuestigatione humana non aliena habenda sunt.

Excursus illos sex, ad quos inspiciendos lectores beneuolos in commentarii decursu ablegandos censui, huius libri parti primae statim subnectere decreueram, quos tamen, verens, ne haec pars, ad ambitum alterius, quae reliqua sunt capita sex exhibiturae, et, quamprimum licuerit a me emittendae, in iusto maiorem molem excrescat, parti alteri subiungendos reseruaui. Interea lectores adire haud grauabuntur, vbi in manibus fuerint, programmata mea academica in loc. 1 ep. II, 6. — III, 3. (anni 1826.), in cap. V, 5. (a. 1821.), in cap. VI, 2-4. (a. 1819.), in cap. VI, 12-14. (a. 1813.), et in cap. X, 4. (a. 1806.), in quibus summam saltem argumenti excursuum I. II. III. IV. VI. enuntiatam deprehendent.

Quamuis in elaborando commentario tam veteres quam recentiores interpretes, quibus multa me debere gratus profiteor, qua fieri potuit, diligentia adhibuerim, factum tamen est, id quod magnopere conqueror, vt nonnullorum Virorum Doct.

in epistolam nostram curae nouissimae, post opusculum hoc maximam partem prelo iam excusum, mihi demum innotescerent *), quorum tamen doctrina atque acumen, quae ad iuuandam epistolae interpretationem eximia contulit, in altera libri nostri parte, data nobis per excursus potissimum opportunitate, supplere studebo, ne commentarius praecipuo ornatu destitutus videatur.

Neque tamen eum solo curarum alienarum ornatu condecorare, sed haud raro etiam propriae meditationis, superiorum interpretum doctrina atque diligentia nondum occupatae, nouitate instruere conatus sum, quae tamen, num a probabilitate simul commendationem aliquam habeat, iudicium esto penes arbitros me intelligentiores, quos, pro sua quemque dignitate, humanissime rogatos volo, vt de erroribus, quibus me ductum deprehenderint, tam mea, quam lectorum causa, placide me admonere, melioraque edocere, sicque qualiacunque studia mea

*) Quo praecipue refero S. V. HEYDENREICHII *commentarium in priorem diui Pauli ad Corinthios epistolam.* Vol. I. cap. 1-8. complectens. 1825.

senilia benigne iuuare velint, quibus iuvenilia potissimum iuuenum literarum ss. studiosorum, subleuare in votis praecipuis habeo.

Quod vero huncce librum longe serius, quam promiseram, foras dederim, id quidem eos, qui eum fortassis desiderauerint, mihi, cum valetudinis infirmitate, tum negotiorum publicorum curis, quas defugere non poteram, tum acerbissimis rerum mearum vicissitudinibus, impedito, faciles condonaturos esse, spero atque confido.

Dab. in Georgia Augusta d. IV. Iun. MDCCCXXVI.

POTT.

PROLEGOMENA.

I. Corinthus, vrbs Graecorum antiquissima, quam *Sisyphus* condidisse fertur [1], et cuius antiquum nomen fuit Ephyra [2], postea a *Corintho*, Marathonis vel Pelopis filio, eius instauratore, nomen nacta est [3]. Sita erat in isthmo, quinque millium spatio Aegeum mare ab Jonio submouente [4], angustoque tramite Helladi Peloponnesum annectente, ad radicem Acrocorinthi, montis, vrbem versus maxime praecipitis et praerupti et in acutum desinentis verticem, in quo Veneris fanum exstructum erat [5], a duobus aliis non ita celebratis distinguendum, quorum aliud in luco cyparissorum sub vrbe [6],

[1] *Apollodor.* l. I. c. 9. Σισυφος Αιολου κτισας Εφυραν, την νυν λεγομενην Κορινθον. Inde Σισυφειον, arx Corinthi. *Strabo* l. VIII. pag. 582. ed. Casaub. 1707. *Diod. Sic.* l. XIX. *Silius* l. XIV. v. 51 sqq.

[2] Cf. praeter *Apollod.*, *Strab.* et *Sil.* ll. cc. *Virgil.* Georg. II. v. 264. (cui *Ephyreia aera* sunt aes Corinthium), et *Ovid.* met. II. v. 239.

[3] Cf. *Suid.* s. v. Κορινθος.

[4] Hinc poetis Graecis αμφιθαλασσος et διθαλασσος, Latinis vero *bimaris* vocatur. *Hor.* l. I. od. 7. v. 2. *Ovid.* met. l. V. v. 407.

[5] *Pausanias* in Corinth. l. II. c. 4. §. 7. Ανελθουσι δε ες τον Ακροκορινθον, ναος εστιν Αφροδιτης.

[6] *Idem* ibid. l. II. c. 2. §. 4. Προ δε της πολεως κυπαρισσων εστιν αλσος ονομαζομενον Κρανειον ενταυθα Βελλεροφοντου τε εστι τεμενος, και Αφροδιτης ναος Μελανιδος.

aliud ad viam Cenchreas ferentem [7] deprehendebatur. Sub Acrocorintho fons scatebat Pirene, omnium poetarum fabulis celebratissimus [8]. Ex summa illa arce septentrionem versus conspiciendos se praebent Parnassus atque Helicon, montes alti et niuosi, tum sinus Crissaeus, ambobus subiectus, inclusus Phocide, Boeotia et Megaride. Super haec omnia ad occasum siti sunt montes Oneii, qui a saxis Scironiis, et itinere, quod ab his ad Atticam est, protenduntur vsque ad Boeotiam et Cithaeronem. Circulus vrbis vel XL stadia aequabat, muroque vrbs munita fuit, quantum eius mons denudaverat; moenibus etiam ipse includebatur Acrocorinthus, qua muro muniri poterat, ita vt vniuersus ambitus esset ad LXXXV stadia [9]. Instructa erat, licet neutrum mare attingeret, duobus portubus, ad nauium stationes aptissimis, Cenchreo et Lechaeo, quorum illo, ad LXX stadia ab vrbe distante, ad Asianas, hoc, sub vrbe sito, et minus celebri, ad Italicas vtebantur negociationes [10]. Iam sicut fretum Siculum et maria, praesertim quod super Maleas est, propter aduersos ventorum flatus, navigatu difficillima erant [11], sic mercatoribus,

[7] *Idem* ibid. §. 3. *Εν δε Κεγχρειαις Αφροδιτης τε εστι ναος και αγαλμα λιθου.*

[8] *Strabo* l. VIII. p. 581. 82. *Pomp. Mela* l. II. c. 3. *Polyb.* l. II. c. 43. *Liv.* XXXIV, 50. et XLV, 28. *Pausan.* l. c. cap. 4. 5. *Cic.* Agrar. II, 32. *Pind.* Olymp. od. 13. v. 59. ed. Boeckh.

[9] *Strabo* l. c.

[10] Cf. *Pausan.* et *Strabo* ll. cc. *Polyb.* l. V. c. 17 et 25. *Liv.* XXXII, 17.

[11] Vnde, teste *Strabone* in prouerbium abiit:
Μαλεαν δε καμψας επιλαθου των οικαδε.

tam Asianis quam Italis, pergratum fuit, omissa circum Maleam nauigatione, merces Corinthum deportare; quo factum est, vt Corinthus emporium Graeciae celeberrimum et opulentissimum euaderet [12], neque tamen et ipsum inopibus destitutum, quaestu ex mercatura redundante carentibus [13]. In isthmo etiam delubrum Neptuni, pineto opacum [14], vbi ad quinquennales ludos Isthmicos frequentandos ingens hominum vndiquaque multitudo confluxit [15]. Neque neglectum fuit a Corinthiis, licet mercaturae deditis, literarum ac bonarum artium studium, quarum quidem non inuentores, sed amplificatores saltem exstiterunt. Praecipue pingendi, fingendi et i. g. a. artes Corinthi mirifice excultae sunt [16]. Philosophiae autem studia ibi inde ab antiquissimis temporibus floruerunt, *Periandro* eius vrbis principe

[12] Hinc *Pindar.* init. od. XIII. Olymp. Corinthum *ολβιαν*, *Strabo* l. c., *Hom.* Il. *β.* v. 570. aliique *αφνειον*, et *Thucyd.* l. I. c. 13. Graeciae *εμποριον* vocant.

[13] *Alciphron* III. 60. *Ουκετι εισηλθον εις Κορινθον, εγνων γαρ εν βραχει την βδελυριαν των εκεισε πλουσιων, και των πενητων αθλιοτητα.* Hinc planius intelligimus quae Paullus in diuites opibus suis aliorum inopiam haud leuantes scripsit.

[14] Inde *Pind.* l. c. Corinthum, vrbem maritimam, á mercatoribus, vndique illuc confluentibus. valde frequentatam, *προθυρον Ποσειδωνος*, s. *Neptuni domicilium* vocat.

[15] Cf. *Strabo* l. c. p. 580 et 583. *Libanius* D. XXV. *Pausan.* Corinth. I. *Solin.* c. XIII. Ab his et i. g. a. ludis publicis Paullus haud raro dicendi formulas petiisse videtur. e. c. 1 Cor. IX. 24. 25.

[16] *Strabo* l. c. pag. 586. *Pind.* Olymp. XIII. v. 17. vbi Schol. *Plin.* h. n. XXXIV, 3. et XXXV, 5. *Cic.* Verr. II. 19. *Flor.* II, 16. *Athen.* IV, 1.

septem Graeciae sapientibus adnumerato, atque *Diogene*, receptarum inter homines opinionum derisore, multum ibi versato [17]. Tulit omnino Corinthus virorum et ad res ciuiles tractandas, et ad artificia exercenda, literasque colendas idoneorum, copiam, quantam nulla Graeciae ciuitas [18]. Quae omnia cum ita esse deprehendantur, quid mirum, Corinthum euasisse omnium gentium quasi commune quoddam hospitium [19], Achaiae caput, totius Graeciae decus [20] atque lumen [21].

At vero, quod omnium temporum historia teste fieri solet, vt lasciuia, luxuria, superbia, mollities et morum licentia, opulentiae comites cernantur, id ipsum, proh dolor! et Corinthiis euenit, quippe qui vitiis hisce, praecipue voluptati ac veneri illicitae, in modum vix credibilem indulserunt, ita vt *Dio Chrysostomus* [22] Corinthum *πολιν* vocet, *των ουσων τε και γεγενημενων αφροδιτοτατην*, et *Eustathius* [23] eam

[17] *Dio Chrysost.* VIII. p. 131. *Διογενης — μετεβη εις Κορινθον, κακει διηγεν, — ἑωρα γαρ, ὁτι πλειστοι ανθρωποι εκει συνιασι δια τους λιμενας και τας ἑταιρας, και ὁτι ἡ πολις εν τριοδῳ της Ἑλλαδος εκειτο.* Proxime Corinthum erat lucus, *Κρανειον* dictus, (*Pausan.* l. not. 6. c.), Diogenis habitaculum, quo, auctore *Plutarcho*, eius visendi et audiendi causa Alexander eum adiit.

[18] *Herodot.* II. 167. *Strabo* l. c. pag. 586.

[19] *Aristid.* Isthm. ad Nept. Opp. Tom. I. p. 22. ed. Oxf. 1722. (*Κορινθος*) *κοινη παντων καταφυγη, ὁδος και διεξοδος ἁπαντων ανθρωπων, κοινον αστυ Ἑλληνων, μητροπολις και μητηρ.*

[20] *Flor.* II. 16. 1.

[21] *Cic.* pr. leg. Manil. c. 5.

[22] l. XXXVII. pag. 463. D.

[23] Ad Il. *β.* pag. 220.

viguisse dicat τῃ των ἑταιριδων ευφορια, vnde Attici dicaces κορινθιαζεσθαι adhibebant pro μαστροπευειν ac ἑταιρευειν, et Κορινθια κορα pro ea, quae se vulgat [24]. Quid? quod Corinthii vel eo processerunt vesaniae atque impudentiae, vt non solum ad sacra Veneris obeunda mille famulas meretrices, a viris mulieribusque dedicatas, alerent [25], sed etiam publicis precationibus adhiberent meretrices [26]. Hinc Paullus scortationes et foedam Venerem toties insectatur,

[24] Vid. *Eustath.* l. c. et *Hesych.* coll. *Erasmi* Adag. Chil. IV. cent. 3. n. 68. Inter meretrices quaestum Corinthi exercentes nobilis evasit Lais, quae et sepulcrum nacta est, omnium poetarum carminibus celeberrimum. Cf. praeter *Athen.* l. XIII. pag. 573. *Alciphronis*, ex ed. Trajectina anni 1791., epistolam inscriptam: αἱ εν Κορινθῳ ἑται-ραι ταις εν αστει χαιρειν. quo et pertinet *Propertii* distichon l. II. el. 6. init. Sed ad hanc opificinam meretriciam nonnisi ditissimis patebat aditus, (*Aristoph.* Plut. 149 seq. *Gell.* N. A. I. 8.). Natum illinc adagium et a *Strabone* l. c. commemoratum:

Ου παντος ανδρος ες Κορινθον εσθ᾽ ὁ πλους.

quod praeter *Eustath.* l. c. et *Zenobium* centur. V. prov. 37. explicauerunt *Suid.* et *Diogenian.* VII. 16. latineque reddidit *Hor.* l. I. epist. 17, 36.

[25] *Strabo* l. c. pag. 581. coll. *Eustath.* ad Il. β. v. 570.

[26] *Athen.* l. XIII. p. 573. Νομιμον εστιν αρχαιον εν Κορινθῳ — ὁταν ἡ πολις ευχηται περι μεγαλων τῃ Αφροδιτῃ, συμπεριλαμβανεσθαι προς την ἱκετειαν τας ἑταιρας ὡς πλειστας, και ταυτας προσευχεσθαι τῃ θεῳ, και ὑστερον επι τοις ἱεροις παρειναι, — και οἱ ιδιωται δε κατευχονται τῃ θεῳ, τελεσθεντων περι ὡν ποιωνται την δεησιν, απαξειν αυτῃ ταχτας ἑταιρας. — Plura in hanc rem collegerunt *Wetstenius* et *L. C. Valckenarius* in Selectis e scholis eius, editore *Ev. Wassenbergh*, Amst. 1817.

vt V, 1. VI, 9. 18. VII, 2. alibi. Praeter voluptatem Corinthios ebrietati et vinolentiae potissimum deditos fuisse, testem inter alios habemus *Aelianum* [27]. Alii alia Corinthiorum vitia memoriae prodiderunt.

Sic haec ciuitas, quae antiquitus Sisypho, eiusque posteris, dein Heraclidis, iisque regno expulsis, Prytanibus, denique Cypselo et Periandro subiecta fuit, quibus exstinctis reipubl. libertatem nacta erat, postea non solum sapientiae opinione, sed et ob diuitias et vitae licentiam, quam libertatem putauit, inflata, ipsumque Romanorum nomen contemnere ausa, victore *L. Mummio* anno v. c. DCVI, vel secundum alios DCVIII., in potestatem Romanorum redacta, et vrbs Corinthus funditus euersa et deleta est [28], quam tamen, cum per C. annos deserta iacuisset, *Julius Caesar* propter loci opportunitatem, pristinorum incolarum posteris e *διασπορα* illuc reuocatis, missisque eo in coloniam libertinis plurimis, denuo instaurauit, ita vt mox pristinus splendor (at vero, quod maximopere dolendum est, et pristina, quam modo descripsimus, vitiositas), illuc rediret. Reuocati sunt ludi Isthmici; artium ac literarum, inprimis et sapientiae sophisticae studia laetius ibi, quam olim, effloruerunt [29]; effloruit et mercatura

[27] V. H. III. 14. *Και Αργειοι και Κορινθιοι κεκωμῳδηνται και οὑτοι ακρατεστερον τῳ οινῳ προσιοντες.* coll. *Max. Tyr.* diss. XXXIII. Inde adeo frequentes in epp. ad Corr. ad temperantiam et vitae sobrietatem cohortationes; e. c. 1 ep. VIII. et XI.

[28] *Flor.* II. 16.

[29] *Aristid.* Isthm. ad Nept. Opp. T. I. p. 23. *Σαφον δε δη και καθ᾽ ὁδον ελθων αν ἑυροις· και παρα*

multa apportans, ita vt eius exercendae causa continuus peregrinorum ex omni coeli plaga ibi accessus et recessus cerneretur. Stationem igitur diuulgandae doctrinae suae magis opportunam Paullus eligere atque occupare non potuit, quam ipsam Corinthum, quapropter etiam ibi per annum et dimidiam anni partem commorabatur. Act. XVIII, 1. [30].

II. Talis fere fuit Corinthi, talis Corinthiorum conditio, cum Paullus, relictis Athenis, quo Christiani Beroenses ipsum, vitae eius prospecturi deduxerant Act. XVII, 13. sqq., anno circiter LII eos adiret Act. XVIII, 1. Eodem tempore *Aquilas* Ponticus cum *Priscilla* vxore ex Italia Corinthum se receperat [31], quibuscum Paullus vitae tenui victu sustentandae causa artem suam conficiendorum tentoriorum exer-

των αψυχων μαθεις αν και ακουσειας. τοσουτοι θησαυροι γραμματων περι πασαν αυτην, ὁποι και μονον αποβλεψειε τις, και κατα τας ὁδους αυτας και τας στοας. ετι τε, τα γυμνασια, τα διδασκαλεια, και μαθηματα τε, και ἱστορηματα. coll. *Athen.* l. XIII. vid. infra.

30 Plura circa vniuersam Corinthi conditionem, ac varias quas experta est, vicissitudines, exhibebunt *Wilkens* specimen antiquitatum Corinthiacarum selectarum ad illustrationem vtriusque ep. Paullinae, praes. *Nonnen.* Bremae 1747. et *Jo. Ern. Imman. Walch* antiquitates Corinthiacae. Jenae 1761.

31 Cf. Act. XVIII, 2. Claudius enim Caesar, Judaeis iam antea infensus, (*Dio Cass.* l. XL. p. 667.), nec nisi amore *Agrippae* olim propitius (Jos. ant. XV. 4.) Judaeos omnes *impulsore Chresto*, (vt addit *Suet.* in *Claud.* c. XXV.) *adsidue tumultuantes*, Roma expulit. Quare et *Aquilas*, qui gente Judaeus erat, isto tempore Roma discedere coactus est.

cuit [32]. Maxima incolarum pars Graecis quidem constabat et Romanis, verum, vt in plerisque imperii Rom. vrbibus, similiter etiam hic Judaeos quoque, eosque satis multos, et in synagoga saltem vna sacra sua obeundi libertate donatos, vixisse, ex Act. XVIII, 4. satis apparet. Quare Paullus, doctoris Judaici dignitate et auctoritate praeditus, pro more suo et hic Judaeorum synagogam quouis sabbato adiit Act. XVIII, 4. Verum noster, cum Beroea Athenas transportaretur, iamiam *Silvanum* ac *Timotheum* quam celerrime ad ipsum reuerti, per comites redeuntes iusserat Act. XVII, 15., sine dubio propterea, quod, quae iam moliebatur, omnium trium, quam sua solius auctoritate suscipere mallet. Aduenerunt igitur Thessalonica *Timotheus* Act. XVIII, 5. 1 Thess. III, 6., Beroea *Silvanus* Act. l. c. coll. XVII, 10. 15., quorum praesentia cum Paullus se adiutum sentiret, fundamenta ecclesiae Corinthiacae ita iecit, 1 Cor. III, 6. 2 Cor. I, 19., vt primo quidem Judaeis, quae de Jesu Messia dicenda haberet, exponeret. His vero, vbi a *Crispo*, synagogae Judaicae praefecto, nonnullisque aliis recesseris Act. XVIII, 8. 1 Cor. I, 14., doctrinam suam pertinaciter repudiantibus, synagoga indignato animo relicta, ad gentiles se conuertit Act. XVIII, 5. 6., quibus religionem christianam successu adeo prospero tradidit, vt *Justo* potissimum praeeunte doctrinae chr. nomen dederint. Sic accidit, vt plerique istius ecclesiae Christiani e gentilibus, pauciores e Judaeis congregarentur. Paullus vero, postquam annum cum dimidio Corinthi commo-

[32] Cf. Act. XVIII, 2. 3. Hinc saepius Corinthiis in memoriam reuocat Ap., se liberrime et sine vllo lucro euangelium inter eos praedicasse e. c. 1 ep. IV. 12. IX, 15.

ratus est, vna cum *Aquila* et *Priscilla* Ephesum se contulit, vnde, hisce itineris comitibus ibi relictis, vlterius profectus est. Act. XVIII, 18. 19. (vid. infra.) Hic iam *Aquilas* ille cum vxore in *Apollo* cuiusdam, Judaei Alexandrini, et Joannis baptistae tironis, familiaritatem venerunt Act. XVIII, 24. seqq., quem, cum doctrinam J. C. accuratius ipsi tradidissent, Corinthum ablegarunt, vbi ecclesiam à Paullo iam conditam Judaeis maxime adauxit. Haec fere ea sunt, quae de *instauranda ecclesia Corinthiaca* memoriae prodita legimus.

III. Videamus iam nunc quomodo *literarum commercium Paulli cum Corinthiis* exortum, et *quot fuerint epistolae, quas Ap. ad Corinthios dedisse* putandus sit? Nimirum Paullus de rebus Corinthiorum omnino perturbatis, inprimis vero de scortatore quodam nefario, quem, licet vel cum nouerca rem haberet, Corinthii tamen in societate sua tolerarent, forsitan per eosdem Chloës domesticos, qui postea schismatum in ecclesia Corinthiaca exortorum ei indicium deferrent (1 Cor. I, 11.), certior factus, epistolam ante hanc nostram, quam nunc primam numeramus, Corinthiis scripsit, iam quidem deperditam, in qua eos ab omni cum eiusmodi homine lasciuo et incestuoso familiaritate auocare conatus est 1 ep. V, 9. Quonam anno vero haec epistola conscripta, per quos (vtrum per ipsos Chloës seruos, an per alios), Corinthiis tradita sit, et quaenam forte praeter illam exhortationem de scortatore remouendo, Paullus ei addiderit; haec omnia, deficientibus historiae testimoniis satis firmis, in medio relinquenda videntur. Verumenimuero Corinthii, cum huius epistolae argumentum non prorsus perspectum

haberent 1 Cor. V, 9., pluraque ipsis praeterea de matrimonio contrahendo cap. VII, 1. de idolothytis cap. VIII, 1. de vestitu virorum et foeminarum in sacris publicis celebrandis cap. XI, 1. et i. g. a. rebus, dubia oborta essent, ac nihil denique magis in votis haberent, quam vt, nisi ipse Paullus, saltem *Apollo* Corinthum reuerteretur 1 ep. XVI, 5–9. 12.; epistolam ad Paullum miserunt, in qua, vt dubias illas quaestiones dissolueret, atque Apollo, quam primum fieri possit, Corinthum dimitteret, ab eo petiisse videntur. Quam quidem Corinthiorum epistolam ad Paullum missam, primae, quam nunc habemus, epistolae Paullinae ad Corinthios datae, ansam praebuisse, extra omnem dubitationis aleam positum est, siquidem locis modo citatis, dummodo paulo diligentius ea inter se contuleris, responsionis ad epistolam acceptam vestigia occurrunt manifestissima.

Neque tamen defuerunt, qui, quas deperditas modo conquesti sumus, epistolas, alteram Paulli ad Corinthios, alteram Corinthiorum ad Paullum, adhuc exstare perhiberent. Nimirum, ex *Carpzovii* [33] expositione, e fontibus hausta, *Jacobus Usserius* et *Jo. Gregorius* testati fuerant, se vidisse apud Anglum nobilem, *Gilbertum North*, codicem armenicum Smyrnae scriptum cum versione italica, sed mutilum illum, qui

[33] Cf. *Epistolae duae apocryphae, altera Corinthiorum ad Paullum Ap., altera Paulli Ap. ad Corinthios, quae dicitur periisse. Ex codice mscto armenico integro nunc primum editae separatim: graeceque ac latine versae: et additis Guilielmi atque Georgii Whistoniorum notis, praefatione et animaduersionibus auctae a* Jo. Bened. Carpzov. ed. alt. auctior. Lipsiae 1776. 8.

Corinthiorum ad Paullum et Paulli ad Corinthios epistolam comprehenderet, eamque vero esse aliam ac diuersam ab epistola vtraque Paulli ad Corinthios, quae in canonem illata esset. Hae epistolae, a librario festinanter descriptae, perueñerant in bibliothecam codicum orientalium *Philippi Masson*, qui curauerat monumentum illud armenicum, prouti tum erat, inseri tomo X ephemeridum *Joannis Masson*, quae hoc indiće prodibant: *histoire critique de la republique des lettres.* (Ultraj. et Amst. 1744. 12.) p. 148 sqq. Ex eodem codice mutilo *Philippi Masson*, non multo post, hortatu *Adriani Relandi*, ediderat, versionemque latinam adiecerat *Dav. Wilkins*, Amstel. 1715. 4., quae hinc transiit in *Fabricii* cod. N. T. apocr. p. 680. et bibl. graec. T. XIV. *Wilkinsius* inscripserat librum *la Crozio*, petieratque, vt super versione ea, ac generatim super auctoritate epistolarum illarum diiudicaret. *La Crozius*, vt armenice peritus et criticus erat emunctae naris, *Wilkinsio*, supposititias esse, aperuit candide [34]. Post illa *Guil. Whiston*, Anglus, is alio tempore in *constitutionibus apostolicis*, iam etiam in his epistolis sibi videbatur indicia αὐθεντίας et antiquitatis luculenta deprehendisse; Halebum igitur, in Syria, scripserat ad mercatorem, si posset ab Armeniis ibidem exemplum integrum arcessere; nactusque illud, descriptum quidem a grammaticae armenicae ignaro, cum versione tamen (vt facilius intelligi posset), arabica, ab eodem *la Crozio* operam rogitauit, vt, qui iam olim donasset haud exiguam partem harum epistolarum versione latina, nunc etiam

[34] Leguntur literae cum aliqua censura docti Anonymi in *Fabricii* cod. apocr. N. T. P. III. p. 680.

integras conuerteret epistolas cum pari dexteritate. *La Crozius* apographum correctum, versioneque latina accurata donatum humanissime remisit. [35] *Whistonus* igitur edidit latinam versionem *la Crozii*, cum arabica illa supra commemorata, simul cum alia *Negri* Arabis ex arabico idiomate facta, suaque interpretatione anglicana, et inseruit Parti II. *Collection of authentic Records, belonging to the Old and New Testament.* Lond. 1727. 8. pag. 585–605. Ibi etiam subiunxit vsque ad pag. 639. dissertationem sermone anglico, in qua epistolarum illarum γνησιοτητα audacter tueri annisus fuerat. Interea filii eius, *Guilielmus* et *Georgius Whistonii*, cum literis armenicis indagandis profecissent et ipsi, nactique essent typos, qui defuerant hucusque in Anglia, armenicos, et epistolas illas armenico idiomate historiae Armeniae *Mosis Chorenensis* (Lond. 1736. 4.), quam ediderunt, appendicis loco subiunxerunt, subiunctasque, quam ipsi diligentissime conscripserant, *versione graeca* ornarunt, cum quia lingua armenica propius ad graeci quam ad latini sermonis consuetudinem accedit, tum quo certius iudicari posset, epistolaene illae ex graecis primum conversae fuerint? id quod factum fuisse necesse erat, si modo verae ac germanae essent. Sed ne filii modesti patri superstiti, eique in tuendis praeiudicatis opinionibus obstinato, displicerent, subtimide et tergiuersantes iudicarunt, epistolas inter scripta non quidem spuria plane, *dubiae* tamen *fidei*, reponendas esse. Recentior earum editio, quam *Carpzovio* debemus, versionem

[35] Testatur illud Thesaur. epistol. *la Crozianus* Tom. I. p. 350. et legitur versio literalis ibidem. Tom. III. p. 237 sq.

graecam, eamque ex obseruationibus *Bodii*, viri in armenicis vt in reliquis orientalium literis dextre versati, valde emendatam sistit, quam *Carpzovius* de nouo latine ita transtulit, vt mens ac sensus auctoris exhauriretur. — Sublestae autem fidei esse epistolas illas non minus quam appendicem epistolae Corinthiorum ex archetypo demum Halebensi subiectam, (nam a codice *Guilberti North* et a *Philippi Masson* apographo, *Wilkinsii*que editione abest), vel ipsum argumentum clamat. Corinthii enim in epistola sua *ad Paullum* conqueruntur, Simonem (Magum) atque Cleobium Corinthum venisse, religionem nonnullorum perturbantes persuasoriis et corrumpentibus doctrinis: λεγουσι γαρ οὑτως· ὁτι ου δει τους προφητας αναγινωσκειν· ουδε τον Θεον λεγουσι παντοκρατορα· ουδε την αναστασιν λεγουσι της σαρκος· ουδε τον ανθρωπον ουδαμως κτισθεντα λεγουσι ὑπο του Θεου· ουδε εκ της παρθενου Μαριας γεγεννημενον λεγουσιν Ιησουν Χριστον εν σαρκι· ουδε τον κοσμον κτισμα λεγουσι του Θεου, αλλα τινος των αγγελων. quapropter Corinthii apostolum magnopere rogitant, vt ad exstirpandos perniciosos eiusmodi errores propediem Corinthum redire velit, ἱνα απροσκοπος μεινη ἡ των Κορινθιων πολις. Sed etsi non negentur a Simonianis huiusmodi haereses, de quibus Corinthii conqueri finguntur, sparsae fuisse, quandoquidem mentio earum fiat apud *Ignatium, Irenaeum, Justinum Mart., Epiphanium, Augustinum*; in quo autem, quaeso, vsquam legitur scriptore, in ecclesia quoque *Corinthiorum* propagatos fuisse *omnes* istos errores, et per *Simonianos* potissimum propagatos fuisse. Praeterea, si tot, adeoque pestiferi Simonianorum errores inter Corinthios sparsi fuissent, iure exspectare

liceret, illum ipsum Paullum, qui leuioris momenti dissidias circa doctores et doctrinam inter Corinthios obtinentes dirimere conatur, quique 2 Cor. XI, 28. se quotidiana ecclesiarum επισυστασει et interpellatione, quaestionibusque ac literis absentium tantum non oppugnari fatetur, in duabus, quae supersunt, epistolis nostris, grauissimorum istorum errorum mentionem saltem facturum fuisse, quos tamen ne transeundo quidem tetigit. Denique impostor ille, quisquis fuit, in comminiscenda epistola ista rationem accuratiorem non habuit locorum 1 Cor. V, 9. et VII, 1., alioquin, των πορνων sine dubio mentionem faciens, Corinthios ex apostolo quaerentes effinxisset, quales homines sub voce illa intelligi, et quo sensu et ambitu admonitionem suam ad eos vitandos sumi vellet, quippe quam et ipsam Corinthiis dandae demum ad apostolum epistolae ansam praebuisse, ex locorum allegatorum contextu dubio caret. Sed de πορνοις vitandis ne syllaba quidem occurrit. — Et de *appendice* illa, qua Θρεπτον και Τεχον epistolam illam Corinthiorum ad Paullum εις πολιν Φοινικης, vbi propter Onoticen Apollophanis vxorem in vinculis fuerit, transtulisse comperimur, quid dicamus? Potuisse talia quaedam accidere, quis negauerit, sed num vere acciderint, ex historiis non euincitur. Neque enim Threpus ille cum Techo, nec Onotice illa cum Apollophane vsquam commemorantur. Praeterea vel quaestio haec: eccur oppidum illud Phoenices, in quo tum Paullus commoraretur, non fuerit nominatum? suspicionem, nescio quam, moveat atque alat, necesse est, cum oppidi istius nomen vix fugere potuerit eum, qui personarum circa hanc epistolam tradendam occupatarum, eidemque ansam praebentium nomina

cognita habeat. Neque eius rei mentio opprimenda videtur, quod ἀφηγησις ista non sine amfractu, et circuitione, ab aliarum eiusmodi ἀφηγησεων, libris N. T. a seriori manu subiunctarum tenore aliena, enarret: Paullum, cum epistolam illam Corinthiorum accepisset, vinculorum oblitum et lacrimabundum exclamasse: κρεισσον ην εμοι προτερον τεθνηκεναι, και συν τω Κυριω ειναι etc. etc. Quis quaeso non viderit, ἀφηγησεως auctorem id egisse, vt effatis Paullinis aliunde huc trahendis eo maiorem speciem Paullinam epistolae eius responsoriae conciliaret? — Iam vero quod ad *hanc ipsam* attinet, innumera gerit νοθειας indubitatae indicia, quorum nonnulla, eaque generaliora in medium protulisse suffecerit. Vniuersum scribendi genus vbi spectaueris, nihil prorsus continet, quod ingenium Paullinum referre dici possit. Non cernitur in eadem conscribenda scopus, non iudicium, non ratiocinatio, non illud in media simplicitate δεινοτερον, non ille animi erecti et excelsi feruor, in epistolis vere Paullinis conspicuus. Ossibus ac neruis caret loquacitas hominis, cuius εν ὑγρω εστιν ἡ γλωσσα. Omnia in hac epistola non minus ac in ea Corinthiorum ad Paullum confusa. En cento ac cinnus, ex pluribus phrasibus integrisque sententiis Paullinis implexus, ad excaecandos lectores, ne animaduertant aliena veste indutum impostorem, in hoc agendo profecto caecutientem et ipsum [36]. Praecipue vero inscitiae et imperitiae eius indicio est, quod Paullum Gal. I, 12. de institu-

[36] Sic v. 37-41. e loco 1 Cor. XV, 35-38. huc transscripti comparent, abitque epistola v. 53. 54. in verba prorsus eadem, quae in fine ep. ad Gal. (VI, 17. 18.) leguntur.

tione sui sic disserentem: *se euangelium neque ab hominibus neque per hominem, sed patefaciente J. C. accepisse*, ita loquentem hic induxit: εγω δε απ' αρχης εκεινο εδιδαξα ὑμας, ὁπερ αυτος παρελαβον παρα των προτερων αποστολων, οἱτινες επι τον παντα χρονον μετα του Κυριου περιεπατουν. Pugnare haec invicem, nec vllo modo inter se conciliari posse, ingenue fassi sunt *Whistonii* fratres, patre tamen, haec τῃ αυθεντιᾳ obstare, propterea negante [37]: *quia haec epistola prius scripta sit, quam ista ad Galatas; Paullum vero haec noluisse manifesta fieri antea, Galatas autem illud nescire debuisse, quia iudaismo a Petro immergi periclitati sint.* Hoc erat sapere! — Ante omnia vero impostor ordine epistolarum fictitiarum protinus inuertendo peccauit, siquidem literarum commercium Paullum inter et Corinthios non ab his, sed ab apostolo initum esse putandum est, ita vt Paulli epistola ad Corinthios, quam nos deperditam esse statuimus, ab ea Corinthiorum ad Paullum, minime vero haec ab illa excipi debuisset (vid. supra.). Quibus quidem omnibus vbi cogitando addideris, ab ipsis Armenis duas illas epistolas pro spuriis haberi [38], non potuerimus et nos, quin absque omni haesitatione idem statuamus. Ceterum *la Crozius* epistolas istas ab Armeno quodam christiano tum, cum Pauliciani, propago quaedam Manichaeorum, quos eosdem errores disseminasse putabat, qui in hisce epistolis Simoni et Cleobio adscriberentur, Armeniam disturbarent, confictas esse arbitratus

[37] In libro: *sacred History* P. II. Vol. 1. p. 339.

[38] *Cotelerius* referebat, se ab Armeno quodam archiepiscopo Parisiis comperisse: *apud suos inueniri has duas epistolas, sed apocryphas putari.*

est, vt communium, tam Paullicianorum quam Simonianorum errorum communis ex fictitia epistola refutatio, eaque apostolica repeti, sicque Paullicianorum causae detrimentum inferri possit grauissimum. *Carpzovius* vero omnia haec figmenta ex *actis Paulli apocryphis*, quorum apud Origenem, Eusebium et Philastrium mentio fit [39], descripta esse existimat. Nos quidem, deficientibus historiae vestigiis, rem in medio relinquentes, acquiescendum esse putauerimus in his: locum 1 Cor. V, 9. homini cuidam inepte sedulo comminiscendae vtriusque epistolae occasionem dedisse, vtramque diu in Armenia latuisse et extra solum patrium sero egressam esse.

Superest vt commemoremus sententiam S. V. *Weberi* [40], Paullum *quinque* ad Corinthios epistolas conscripsisse statuentis, quarum primam habet deperditam illam, 1 Cor. V, 9. commemoratam, alteram eam, quam primam nunc numeramus, tertiam vero ex capp. I-IX et XIII, 12-14. eius epistolae, quam sub *secundae* ad Corr. titulo canon N. T. seruat, compositam fuisse, pro quarta epistolam ad Hebraeos, pro quinta denique reliquam epistolae secundae partem c. X, 1. — XIII, 11. habendam esse existimat. Quam tamen sententiam, doctam illam quidem, sed, si quid iudicamus, magnam molem in lubrico et instabili locantem, praeter alios *Bertholdtus* [41] sibi vlterius examinandam, argumentisque confutandam sumsit.

39 Vt legitur ap. *Fabricium* T. II. p. 791 sqq.

40 *De numero epistolarum ad Corinthios rectius constituendo.* Programmata VIII. Witeb. 1798-1806. 4.

41 L. l. pag. 2866 sqq. 3310. alibi.

IV. Pergamus iam ad *conditionem ecclesiae Corinthiacae*, qualem Paullus ex epistola Corinthiorum supra commemorata, et ex triumuiris, Stephano, Fortunato et Achaico (1 ep. XVI, 17.), eam ad Ap. perferentibus, Chloësque domesticis, cognitam haberet, qualisque in vtraque epistola nostra cernitur, earum rerum, quae grauioris sunt momenti, ratione habita, paulo accuratius describendam [42].

Ante omnia in ipso epistolae prioris limine *factiones* et *sectae* nobis in oculos incurrunt, in quas Christianos Corinthiacos diuisos fuisse, omnes consentiunt, tum quia sectarum diserta mentio fit 1 ep. I, 10. sqq. III, 3. sqq. XI, 18. sqq. coll. 2 ep. XII, 20., tum quia copiosae ad amorem mutuum cohortationes 1 ep. XII, 31. — XIV, 1. coll. XVI, 14. et 2 ep. XIII, 11., pluraque vitia, a Paullo notata (vid. infra), sic habent, quo propius spectent, et vnde potissimum originem traxerint. Num vero, quae Ap. 1 ep. I, 12. enuntiauit: ἑκαστος ὑμων λεγει· εγω μεν ειμι Παυλου· εγω δε, Απολλω· εγω δε, Κηφα· εγω δε, Χριστου. ex mente ipsius ita intelligenda sint, vt de *sectis* cogitandum sit, quarum alia a Paullo, alia ab Apollo, alia a Kepha, alia denique vel ab ipso Christo *proprie* appellari voluerit, id quidem in disceptatione versatur. Siquidem sunt, iique sat multi, qui Paullum nomina illa tantum vsurpasse existiment ad denotandos homines alios, vnde factiones Co-

[42] Multa nos in tractandis iis, quae epistolae interpretationi adhuc praemonenda supersunt, Virorum Doctiss., *Michaelis*, *Eichhornii*, *Haenleinii*, *Hugii*, *Bertholdti*, *Schmidtii*, *Bergeri*, *rel.*, in scripta N. T. introductionibus, ac b. *Storrii* notitiis historicis epistolarum Paulli ad Corr. interpretationi seruientibus, aliorumque studiis debere, lubentes gratique fatemur.

rinthi nomina vere traxissent. Argumento inprimis vtuntur, quod Paullus c. IV, 6. subiecerit haec: ταυτα μετεσχηματισα εις εμαυτον, και εις Απολλω, ita vt Paullus priori loco (I, 12.) enuntiando nil aliud significare voluerit, quam esse Corinthi sectas, quae a coryphaeis nomina gerant, *perinde ac* si Corinthiorum alius magistri alius, e. c. Paulli, Apollo, Kephae, et vel ipsius Christi, spretis reliquis, discipulum se profiteri velit. Quo minus vero ita statuamus, multa sunt, quae obstent. Primum quidem non in promtu est ratio, cur Ap., si sic intelligi voluerit, quatuor illis fictitiis sectarum nominibus non *e vestigio* subiunxerit: ταυτα δε μετεσχηματισα εις εμαυτον, και Απολλω, και ΚηΦαν, και Χριστον, quo minus lectores dubii haerere possent, vtrum nomina illa proprie an ficte sumenda sint. Deinde, monente iam *Vitringa* [43], prorsus a vero abhorret, Ap. ipso *Christi* nomine abusum fuisse, ad *sectae* cuiusdam verum nomen tegendum. Porro, quae *Parei* [44] obseruatio est, fictioni prorsus non conuenit ratio cap. I, 14-17. subiecta. Quae enim, quaeso, causa subesse poterat, quamobrem Paullus sibi gratularetur, quod paucissimi ab *ipso* baptizati fuerint, si nemo *ipsum* cupidius sectaretur, sed alium doctorem, quem suo nomine nonnisi texisset apostolus? Quid? quod in eodem tractatu c. III, 4. sqq., vnde c. IV, 6. nomina Paulli et Apollo *simulata* efficere conantur, haud obscurum inest contrarii indicium. Nam si *Paullus proprie et Apollo* v. 6. certorum hominum imago esse debebant, cur c. III, 22. praeter illa duo *etiam Kephae* nomen appellatur? Sin

[43] *Observ. ss.* l. III. c. 21. § 2.

[44] *Comment. in primam Pauli ep. ad Corr.* pag. 60.

hoc quoque capite, quemadmodum supra I, 12. non suo tantum et Apollo sed *Kephae etiam* nomine figurate vti voluit, cur verbis: ταυτα μετεσχηματισα εις εμαυτον και εις Απολλω c. IV, 6. neglexit addere: και εις Κηφαν? Quae cum ita sint, statuendum esse videtur: locum illum c. IV, 6., του μετασχηματισμου εις Παυλον και εις Απολλω mentionem iniicientem, non tam proxime pertinere ad c. I. principumque sectarum quaternionem ibi commemoratum, quam ad locum III, 4. — IV, 5. (vnde etiam c. III, 4. non minus quam c. IV, 6. de solo Paullo atque Apollo sermo est), apostolumque c. I, 12. sectarum tantum nomina principesque enumerasse, id quod alicubi, et rectissime in initio totius de sectis disputationis, fieri debebat; c. III, 4. — IV, 5. vero id egisse, vt demonstraret, quam vanum esset gloriolae insigne, a celebri principis alicuius sectae nomine in se translato mutuatum, quam tamen demonstrationem Ap., licet ad omnes sectas sectarumque coryphaeos omnino pertineret, pro vrbanitate sua ad se atque Apollo solos transtulisse, ideoque per μετασχηματισμον quendam, qui ex dictis latens aliquid erui vult, ita enuntiasse putandus est, vt et Kephae et Christi sectae facile perducerentur ad inueniendum, quod non diserte enuntiare, sed ab ipsis per ratiocinationem accipi et ad semet ipsos transferri voluit apostolus.

1. Inter sectas vero, in quas Christianos Corinthios vere diuisas fuisse dubio caret, ad KEPHAE sectam quod attinet, apostolum hunc ipsum Corinthum olim adiisse, testem quidem habemus *Dionysium*[45] Corinthiensem; sed, vt priscos multarum rerum, quarum nulla memoria

[45] ap. *Euseb.* hist. eccl. l. II. c. 25.

extabat, meram e N. T. coniecturam fecisse constat, ita et *Dionysium*, qui et Areopagitam, Act. XVII, 34. memoratum, Atheniensem statim episcopum facere non dubitauit [46], de Petri itinere Corinthiaco nequaquam compertum habuisse, sed coniecturam, ex 1 Cor. I, 12. temere captam, attulisse, suspicari licet. Attendentibus potius nobis ad momenta in vtraque epistola conspicua fere haec: aliunde Corinthum aduenisse magistros plures 2 ep. XI, 4. coll. 1 ep. IV, 15., literis commendaticiis, nescimus unde, instructos 2 ep. III, 1., externae originis suae iudaicae ornamento misere superbientes 2 ep. XI, 22. eosque auctoritatem apostolorum Hierosolymitanorum, tanquam ὑπεϱλιαν ἀποστολων, non minus efferentes 2 ep. XII, 11. 12. coll. XI, 5. quam de Paulli, licet σημεια ἀποστολου Corinthiis exhibuerit 2 ep. XII, 12. dignitate fideque apostolica detrahentes 1 ep. XI, 2. 2 ep. XII, 11., qui multa quidem iactarent, re autem nihil eorum praestiterant, quae a legato Christi exspectare licebat 1 ep. IV, 19. coll. 2 ep. XI, 4. quique doctrinam christianam, quam profitebantur 2 ep. XI, 15. 23. 1 ep. IV, 15. adulteratam proponerent 2 ep. II, 17. coll. IV, 2., quapropter et Paullus sibi temperare non potuit, quin εϱγατας δολιους, ψευδαποστολους, μετασχηματιζομενους εις ἀποστολους χϱιστου eos vocaret 2 ep. XI, 13–15. et i. g. a. quae neque ad Paullinos Apolloniosque, neque ad Christi sectatores vllo iure transferri posse apparet; subsistentibusque nobis praeterea in ipsa των του Κηφα denominatione, quem a Paullo in eo potissimum dissensisse constat, quod legem Mosaicam Christianos adhuc obstringere ille affir-

46. Cf. *Euseb.* l. c. III, 4. coll. IV, 23.

mabat, hic vero negabat Gal. II, 6. sqq.; rectius statuendum esse videtur: Petrum sibi asserere, et, quo magnificentius iactare se possent, ex eo nomen trahere potuisse Corinthios, qui duntaxat Christianos Hierosolymitanos, eosque ζηλωτας του νομου, vel certe alii Christianorum ecclesiae adscriptos Judaeos, a Petro Hierosolymis, quorsum iter aliquando fecissent, aut in ipsa patria conuersos, post Paullum et Apollo magistros nacti essent, qui, insciente apostolo, partim proprio veritatis tuendae studio, partim fortassis affectuum intemperantia commoti, et per ζηλον Judaeo-christianorum Hierosolymitanorum aliorumue Corinthum ablegati, cauere ibi vel serio voluerint, vel voluisse simulauerint, ne summa doctrinae euangelicae, qualem Petrus, aliique apostoli, traderent, placitis Paullinis de lege Mosaica ad Christianos haud amplius pertinente, quid detrimenti caperet. Quem tamen finem paedagogorum istorum nouitiorum longe plurimi non tam vberioribus circa quaestionis de legis Mosaicae auctoritate difficultatem et subtilitatem disputationibus, quibus se forsan impares sentirent, et quarum in neutra epistola ad Corinthios diserta mentio exstat, quam obtrectationibus, sermonibusque iniquis contra dignitatem Paulli apostolicam spargendis attingere conati esse videntur, non posthabito consilio ipsorum primario, egregia scilicet institutione sua praeclarum scilicet quaestum faciendi 1 ep. IX, 12. Neque admirationem nobis mouebit, hanc ipsam institutionem Corinthiorum sat multorum adsensum plausumque tulisse, dummodo meminerimus, fastum genti iudaicae proprium, inprimisque opinionem illam de reipublicae suae, cultusque potissimum Deo tribuendi, quo prae reliquis gentibus gau-

debant, diuina origine atque conditione, legis Mosaicae tenacissimam fuisse, ita vt exoptatissimi ipsis venirent, qui auctoritate insuper apostoli cuiusdam, praecipue Petri, quem inter reliquos apostolos principem suspicerent, confisi, non esse docerent, quod, licet christianis sacris addicti, iudaicis renuntiarent.

2. Iam istam Petrinorum sectam reliquis priorem Corinthi exstitisse, nulli dubitamus, cum ratio vix explorari possit, cur Corinthii, qui antea alio praeter Paullum doctore christiano haud vsi essent, se Paullinos, nec potius Christianos omnino appellari maluerint. Cum vero pars Christianorum Corinthiorum, parente suo turpiter posthabito 1 ep. IV, 14. 15., Kephae se sectatores profiterentur, ii, qui pristinam Paullo fidem praestare pergerent, vel vt haberent, quo a Petri sectatoribus distinguerentur, e PAULLO appellari voluisse videntur. A partibus huius apostoli exgentiles praecipue stetisse, quorum profecto haud interfuit, legis Mosaicae rigorem amplius obtinere, quique Paullo lubentissimi aurem dedisse feruntur Act. XVIII, 4. sqq. vix est, quod moneamus. Sed in eorum numero, qui Paullum amarent, pieque venerarentur ac de variis rebus consuluissent, et exiudaeos fuisse, vel inde merito colligimus, quod nonnulli, iudaismi taedio capti, in tuenda, quam Paulli doctrina nacti essent, a legis Mosaicae onere immunitate vel eo procederent, vt ψευδαποστόλων, circumcisione sua gloriantium, et Corinthiorum, huius forte laudis aemulorum, despicientia et odio commoti, de ipso circumcisionis vestigio delendo cogitarent. 1 ep. VII, 18.

APOLLONII vero, obseruantibus *Storrio*, Ill. *Eichhornio* (ll. cc.), aliisque interpretibus, cum Paullinis de praecipuis capitibus inter se consen-

sisse videntur, licet hactenus dissiderent, vt illi Apollo, hi Paullum praeferrent. Siquidem Apollos, certe ante iter Corinthiacum, ab hominibus Paullo familiaribus et carissimis institutus fuit, Act. XVIII, 3. 18. 26. coll. Rom. XVI, 3. sq. eiusque opera, in Corinthiis docendis posita, tum a Luca, tum a Paullo ipso laudibus ornatur Act. XVIII, 27. 1 Cor. III, 5-9. Quin ita ei confisus est apostolus, vt ad componendam ecclesiam, post illius discessum ab aduenis iudaizantibus perturbatam, eiusdem viri dexteritate et fide lubenter vsus fuisset, dummodo rebus sic se habentibus Corinthum redire voluisset. 1 ep. XVI, 12. Apollonii igitur consentaneam Paullinae doctrinam professi videntur, ideoque c. III, 4-IV, 6. nec alienioribus Petri aut Christi sectis adnumerantur, sed cum Paullinis coniunguntur. Quoniam vero adversariae Paullo factiones inter alia oratoris actionem in apostolo desiderarunt, istam veluti maculam, qua communis causa a purioris euangelii hostibus afficeretur, nonnulli facillime deleri posse rati sunt, si amicum Paulli, Alexandriae excultum, qui eamdem, atque apostolus, doctrinam, sed eloquentius (Act. XVIII, 24.) tradidisset, aduersariis opponerent. Iam facile intelligitur, aegerrime alios, quamuis de doctrina ipsa consentirent, hoc certe laturos fuisse, quod isti de Apollo vnice gloriarentur, velut si pudere deberet Paulli, de Corinthiis omnium optime meriti 1 ep. III, 10. IV, 15. quodque ad eloquentiam forte deerat, apostolicis virtutibus abunde compensantis 1 ep. II, 3-5. Vnde, quod cupidis accidere solet, inter Christianos, si caput causae spectes, optime conuenientes, disceptatio et lites natae sunt 1 ep. III, 3. sq. his pro Paullo contra Apollonios, illis pro Apollo contra Paullinos tumentibus 1 ep. IV, 6.

3. Supersunt οἱ του Χριστου, quos alii alios fuisse perhibent. Potiora commemorasse, commemorataque strictim diiudicasse suffecerit.

Zach. Pierce [47], qui nactus est, qui eum sequerentur, voces εγω δε Χριστου deleri vult ideo, quod omnes Christiani, qui Corinthi erant, Christi se esse professi sint. vnde nec *Clemens Rom.* in ep. I. ad Cor. §. 47. Christi vna cum Paullo, Kepha et Apollo mentionem faciat [48], sicut nec eadem in hac epistola c. III, 22. occurrat. Miramur cum *Wolfio*, virum doctum, spreta omni codicum et versionum antiquarum, voces illas tuentium, auctoritate, leuibus eiusmodi argumentis labefactare, imo expungere ausum esse, quae pro genuinis non haberi non possunt. Qui Christi sacris nomen dederunt Corinthi, hoc ipso se Christianos esse omnino profitebantur; sed nonnulli tamen eorum a Christo κατ' εξοχην appellari, atque sic a reliquis, Petri, vel Paulli, vel Apollo nomen praeferentibus, distingui volebant, hoc ipso sectae studium in aliis damnantes. Omnino quidem Paullus cap. III, 22. *Christi* nomen omisit, quia ab huius commatis contextu prorsus alienum erat. Neque enim Corinthii v. 22. pro ea, qua Ap. ibi vsus est, sententiae atque verborum conformatione, sensu plane eodem *Paulli*, *Apollo* ac *Kephae* dici poterant, quo seorsim ab his statim v. 23. et quidem haud aliter ac c. I. 12., *Christi esse* dicuntur; id quod vberius adhuc demonstrandi infra locus erit.

[47] In epistola altera de noua editione N. T. a *Bentlejo* olim tentata. p. 20.

[48] Επ' αληθειας πνευματικως επεστειλεν ὑμιν περι αὐτου τε και Κηφα και Απολλω, δια το και τοτε προσκλυσεις ὑμας πεποιησθαι.

Nec plus valet *Clementis* locus, siquidem loquitur de appellationibus sectariis, recens a Corinthiis adhibitis, qualis non erat appellatio a *Christo* desumta, cum illa, per se spectata, recte meritoque in homines, Christi doctrinam professos caderet. (vid. infra.)

Bowyer [49] loco Χριστου legendum esse coniicit Κρισπου, qui erat synagogae iudaicae praefectus, a Paullo ad sacra christiana perductus, Act. XVIII, 8. 1 Cor. I, 14. quae tamen coniectura in tanto codicum versionumque, lectionem Χριστου tenentium, consensu iusto audacior apparet, praecipue cum non in promtu sit ratio, cur lectio expeditior Κρισπου cum impeditiori Χριστου commutata fuerit, Paullusque, si 1 ep., I, 12. post verba: εγω μεν ειμι Παυλου· εγω δε, Απολλω· εγω δε, Κηφα· praeterea addidisset: εγω δε, Κρισπου· et illi doctorum, Corinthiorum institutioni inseruientium, enumerationi c. III, 22.: ειτε Παυλος, ειτε Απολλως, ειτε Κηφας, etiam voces: ειτε Κρισπος, sine dubio additurus fuisset, deficiente nimirum omni iusta huius omissionis excusatione, quae ne breuiloquentia quidem praetexenda parari videtur, cum apostolus ad sententiae ibi propositae vim augendam, praeter doctores, proxime huc pertinentes, et alias res commemoret (ειτε κοσμος, ειτε ζωη, κ. τ. λ.), quibus rite adhibendis Corinthii in doctrina christiana proficere possint.

Lightfootus [50], immemor, pro loci nostri contextu nonnisi de sectis *christianis* sermonem esse posse, verba εγω δε Χριστου sibi velle

[49] *Konjekturen über das N. T.* pag. 399.

[50] *Hor. hebr. et talmud.* ad h. l.

suspicatur: *ego sum Messiae* eo sensu, quo olim eruditi sumus de Messia, vnumquemque scilicet sub eo vnico duce conscribendum et subiiciendum, non sub aliquo ab eo deputato vel eius vices gerente.

Nonnulli, inter quos et *Zieglerus* [51], fuisse suspicantur inter Corinthios, qui τῶν του Χϱιστου nomen sectae suae peculiariter arrogarent, vel, quia ipsi Christum olim Hierosolymis vel alibi docentem audissent, (quorum tamen exiguus tantum et sectae constituendae impar numerus esse potuit), vel, quod certe auctor sectae olim Christi, inter mortales degentis, familiaritate vsus esset; quo tamen praetextu, quod *Storrius* (l. c.) iam vidit, non quidem Paullini et Apollonii, quorum duces cum Christo omnino non versati sunt [52], sed tamen Kephae secta de Kepha suo gloriari potuisset. Et quidni, quaerente iam Ill. *Eichhornio* (l. c.), et haec secta, si sic exorta esset, aeque ac tres reliquae, ex ipso auctore suo, qui Christo familiaris fuisse perhibetur, nomen mutuata esset? Quocunque demum vniuersam hanc de origine των Χϱιστου sententiam conuerteris, haud facilis illa conciliatu apparet cum loco 1 ep. III, 22. 23., quem tamen loci nostri ratione habita enunciatum esse, quis dubitauerit?

Storrius, quem sequuti sunt *Rosenmullerus*, *Hugius*, *Bertholdtus*, *Krausius*, alii, nouum loco

[51] *Theolog. Abhandlungen.* Vol. II. p. 38.

[52] Cf. de Paullo 2 ep. V, 16. 1 ep. IX, 1., de Apollo Act. XVIII. vnde intelligitur, eum non modo extra Palaestinam ortum, sed rerum etiam atque doctrinae Christi fuisse rudiorem, quam vt de causa christiana propius in ipsa Palaestina cognouisse videri queat. *Storr.*]

nostro lumen accendere studuit demonstrando, τους Χριστου alios esse non posse, quam qui a partibus *Jacobi*, fratris Domini, starent. Potiora demonstrationis momenta huc redeunt: "Sic, inquit, intelligis continuo, quemadmodum Corinthius de secta Christi *propter Jacobum* suum non modo contra Paullinos et Apollonios, quorum duces Christum, cum in hac terra vixerit, omnino non habuerint cognitum, sed et contra Petrinos, quorum princeps certe *cognatus Christo* non fuerit, tumere (1 ep. IV, 6.) et nomen των Χριστου factioni suae peculiariter arrogare potuerit, quod non modo familiarem, sed propinquum etiam et necessarium Christi (Gal. I, 19.) sectaretur. Deinde, hoc demum posito, vides, vnde factum sit, vt Paullus de reliquis apostolis iuxta cum Petro (1 Cor. IX, 5. XV, 5.) *seorsum* appellaret vel *fratres Domini* (IX, 5.), in quorum numero Jacobus fuerat, vel *Jacobum* ipsum (XV, 7.). Quodsi enim pars Corinthiorum prae *Petro*, alii prae *fratre Domini* Paullum contemserint; causa in promtu est, cur priore loco non vniverse tantum scripserit, se, quicquid isti contradicant (IX, 2. s.) omnino apostolum (v. 1.) et cum reliquis omnibus pari iure esse (v. 5.); sed praeterea *seorsum addiderit* (v. 5.), *etiam cum fratribus Domini, etiam cum Petro* se pari iure esse. Eamdem ob causam, quod nimirum apud partem Corinthiorum *Petri*, apud quosdam *Jacobi* auctoritas plurimum valeret (XV, 5. 7.), non satis habet ceterorum apostolorum, cum suo consentaneum (v. 11.) testimonium vniuerse protulisse, sed *nominatim* et *Petrum* et *Jacobum*, eosque *solos* ex omni apostolorum numero, resurrectionis Christi testes citat. Idque non alia de causa, quam quod vterque testis certae Co-

rinthiorum parti ante alios quosque locuples videretur, factum fuisse, eo magis persuasum habemus, quanto consideratior est delectus testimoniorum, quibus hoc loco Paullus vtitur. Neque enim promiscue omnia, sed ea tantum protulit, quae ad probandam resurrectionem Christi apud lectores suos vim maximam habitura confideret. Iam in visorum Kephae et Jacobi commemoratione nulla vis *propria* fuit, nisi hoc ipsum, quod v. 5. 7. *solum* dicitur, *a Kepha et Jacobo proprie* visum fuisse Dominum, peculiaris momenti instar habuit. Hoc nimirum egit (v. 12.) apostolus, vt, resurrectionis Christi nuncium, quem ipse Corinthum attulerit (v. 3. s.), non *sua* tantum, quae Corinthi in dubium reuocari coeperit (IX, 2. s.), auctoritate niti, sed aliorum quoque consensu (XV, 11.) firmari doceret. Quae enim ipse viderit (v. 8.), ea tum vniuerso a *multis aliis* visa fuisse (v. 6.), tum proprie *eorum* testimonio roborari (v. 5. 7. 11.), quos Corinthiensium Christianorum nemo *apostolos* esse dubitet, nominatim vero *Kephae* et *Jacobi*, qui apud partem Corinthiorum non Paullum duntaxat, sed ipsos etiam ceteros apostolos auctoritate vincant. Maneat ergo, τους ὑπερλιαν αποστολους, quibus se nihilo inferiorem esse Paullus iterum (2ep. XI, 5. XII, 11.) inculcare cogitur, *Jacobum* et *Petrum* esse, quos etiam Gal. II, 9. in *primis* et summo quidem inter columina loco, numeratos fuisse legimus." Neque *Bertholdtus*, ad stabiliendam hanc, quam et suam reddidit, sententiam animaduertere omisit (l. c. pag. 3320. coll. pag. 2763 sqq.), τους Χριστου forsan eosdem fuisse cum τισι απο Ιακωβου, qui Gal. II, 12. Antiochiam peruenisse, ibique, vt etiam in Galatiae ecclesiis, dissidia excitasse commemorantur, id quod et

ipsi Corinthi fortassis tentauerint. Sed omnis haec pro *Jacobo*, sectae Christi coryphaeo, disputatio, quamuis ingeniose excogitata et exornata prostet, vel eo solo, obseruante iam S. V. *Eichhornio*, labefactari, imo corruere videtur, quod ii, qui se *Jacobi* asseclas profiteri voluissent, hanc qualemcunque gloriolam suam non tam verbis: εγω δε Χριστου, quam potius, apte ad illud: εγω μεν ειμι Παυλου, εγω δε Απολλω, εγω δε Κηφα, per formulam congruam: εγω δε Ιακωβου, seu, vbi paulo magnificentius iactare se voluissent, εγω δε του αδελφου του Κυριου, sine dubio expressuri fuissent. Ad quae accedit, quod Paullus neque cognationis, qua Jacobus cum Christo coniunctus erat, vsquam disertam mentionem facit, quam, si Christi secta se de *Jacobo* suo, tanquam *fratre Domini* iactasset, inferre omnino debuisset, quo magis opinabilis praerogatiua, inde petita, haberet, in quo inniteretur; neque etiam, praeter omnem lectorum exspectationem, superbientibus de principis sectae suae cum Christo necessitate, καυχησεως huius vanitatem vsquam demonstrauerit [53]). Tantum denique abest, vt loca ista, quae vel disertam Jacobi mentionem iniiciunt, vel, allusione saltem ad eum facta, enunciata sunt, nisi ad Jacobum sectae Christi coryphaeum referantur, vi sua carere dici possint, vt haec, posito hoc, interdum imminuta compareat, id quod e. c. eo factum esse crediderimus, quod *Storrius* τους υπερλιαν αποστολους 2 ep. XI, 5. XII, 11. ad *Petrum* et *Jacobum*, sectarum principes, qui Gal. II, 9. στυλοι vo-

[53] Cf. Paulus *Bibliothek von Anzeigen v. Auszügen kleiner meist acad. Schriften.* Fascic. III. N. 2, pag. 286 sqq.

cantur, restringi velit, ad quos tamen, ex eiusdem loci auctoritate, et *Joannes* referendus est, quo et ipso Paullus se inferiorem esse negare voluit. Vt taceamus duritiem, qua tota illa dicendi ratio, si quid sentimus, laborare videtur, ex qua *Christi* discipulum se profiteri perhibetur, qui nonnisi *cognati* ipsius discipulus haberi vult.

Arridet nobis prae caeteris S. V. *Eichhornii* sententia, quatenus τους Χριστου pro hominibus mediis, *neutri* parti addictis, h. e. neque Paulli et Apollo, neque Petri factioni fauentibus, (*Neutrale*) habendos esse statuit, (nisi forte rectius eos ab *vtraque* parte stetisse, vel vtramque in vsum suum conuertisse credantur, vid. infra); at vero vt cum Viro doctissimo et de s. codicis interpretatione meritissimo suspicemur, eos placita sua christiana ex euangelio, quod vocat, primitiuo, reliquorum fonte et archetypo, hausisse, id quidem a nobis impetrare non possumus, veriti, ne hypothesin, quam dicunt, hypothesi, quamuis subtili atque sollerti, superstruxisse, sicque illi fundamenta haud satis firma subdidisse videamur. Praeterea, si recte statuimus, Paullum in enunciando loco 1 ep. III, 22. 23. respectum ad locum 1 ep. I, 12. habuisse (vid. infra); apostolus ex sententia Viri Ill. modo prolata, illic posthabita quasi Petri, Apollo et suamet ipsius institutione, Corinthios ad euangelium illud ablegasse videri possit, id quod tamen noluisse, quis non lubens largietur.

Nos quidem Paullum ipsum verborum suorum 1 ep. I, 12. enunciatorum: ἑκαστος ὑμων λεγει· εγω μεν ειμι Παυλου· εγω δε, Απολλω· εγω δε, Κηφα· εγω δε Χριστου: *alii vestrûm me, Paullum, alii Apollo, alii Kepham, alii denique*

Christum se sequi dictitant, interpretem exstitisse arbitremur 1 ep. III, 22, 23. vbi, post reprehensam schismatum istorum insaniam, disputationem suam reuocat ad summam hanc: παντα ὑμων εστιν· ειτε Παυλος, ειτε Απολλω, ειτε Κηφας, — — παντα ὑμων εστιν, ὑμεις δε Χριστου· *vestri sunt, siue sit Paullus, siue Apollo, siue Kephas, — — vestri sunt*, (διακονοι εισι, δι᾽ ὡν επιστευσατε v. 5.), *ex quouis horum doctorum in addiscenda doctrina christiana proficere potestis atque debetis, vt euadatis* του Κυριου, *veri Christi sectatores.* In tanto enim vtriusque loci consensu, tam in sententiarum quam in verborum dilectu, ordine atque consequutione conspicuo, vix, ac ne vix quidem, dubitari posse crediderimus, posteriorem habita prioris ratione enunciatum esse, adeoque alium ex alio illustrari posse. Quae cum ita sint, quidni τους Χριστου rationem, quam in amplectendis atque probandis religionis christianae placitis ac praeceptis sequebantur, sic fere enunciasse existimauerimus: παντα ἡμων εστι ειτε Παυλος, ειτε Απολλω, ειτε Κηφας, παντα ἡμων εστι· ἡμεις δε Χριστου· *nos quidem, pro firma persuasione nostra, tam in Paulli atque Apollo, quam in Kephae institutione veram Christi doctrinam deprehendi, vtraque ad amplificandam atque stabiliendam nostram rei christianae cognitionem vti nulli dubitamus, neque facundiorem Apollo Paullo patri, in peculiari sibi vi atque simplicitate persistenti, seu hunc illi praeferentes, neque etiam Petri, apostoli primarii, institutionem spernentes, quatenus nobis genuina innotuit, vt, quod vnice agimus, non iurantes in verba vllius praeter Christum magistri, omnibus hisce ducibus veri* Christi *cultores euadamus*, ita vt Paullus sententiam των Χριστου

ipse approbasse putandus sit. Neque aliter iam nunc intelligendi sunt οἱ Χριστου, qui 1 ep. I, 12. suam quisque sententiam sic pronunciantes inducuntur: εγω δε Χριστου. Minime enim eo, quod in proxime praecedentibus per idem illud εγω δε, ter adhibitum, sectae atque factiones significantur, vllo modo cogimur, vt verba εγω δε Χριστου, (in quae insuper *abit* sectarum recensus), et ipsa ad *sectam* referamus, *cum* quia Paullo forsitan vel corripiendae orationis causa veros Christi discipulos sic designare libuit, ne ipsi opus esset verborum plurium copia atque circuitu fere hoc: *superesse tamen iuxta sectas commemoratas, qui, ab omni sectarum studio alieni, ex cuiusuis doctoris vere christiani institutione proficere studeant, quo pleniori iure ad solum Christum pertinere videantur*, et s. p., quo quidem circuitu Apostolus eo magis supersedere potuit, cum eos, ad quos scriberet, satis cognitum habere sciret, quomodo illud του Χριστου ειναι intelligi vellet; *tum*, quia interrogati, cum quonam doctore facerent? se του Χριστου ειναι ingenue profiterentur ipsi, quia nec verius nec paucioribus verbis respondere poterant; *tum*, quia fortassis ob id ipsum, vel augendi factionum numeri causa ab aliis, male sedulis, οἱ Χριστου vocari soliti erant, vt et ipsi sectae speciem prae se ferrent. Praeter vtriusque loci, 1 ep. I, 12. et III, 22. 23. intimam conspirationem, supra iam commemoratam, plura supersunt, quae qualemcunque sententiam a nobis prolatam iuuare videantur. *Primum* quidem το' εγω δε Χριστου, quod, ex solenni interpretatione ad *sectae* asseclas relatum, vituperationem subire videtur, licet laudibus non satis ornari queat, haud amplius offensionem parit, siquidem, ex nostra qualicunque senten-

tia, το ειναι Χριστου non minus 1 ep. I, 12. quam III, 23. ad veros Christi discipulos, sectas auersantes, pertinet; neque igitur est, quod offensionis istius vitandae causa coetum illorum, qui a Christo tunc κατ' εξοχην se vocauerit, nonnisi ea ex causa hic vituperari statuamus, quia destinata opera a caeteris se distinxerit, cum vel hoc ipsum neque aliter fieri, neque vllo modo in reprehensionem incurrere posset. *Deinde* fons, vnde οἱ Χριστου suam religionis christianae cognitionem hauserint, quemque alii alibi latere suspicantur (vid. supra), nobis quidem haud multum diuque explorandus videtur. En eum, Paullo ipso 1 ep. III, 22. indicante, in institutione Paullina, Apolloniana atque Petrina scatentem. Nam cum Apostolus Corinthios suos ibi του Χριστου ειναι velit, sicque simul probet, qui se Christi esse iam profiterentur 1 ep. I, 12.; a vero etiam non abhorret, eum Corinthios, sectis addictos, ad eundem quoque verae verorum doctorum institutionis fontem 1 ep. III, 22. ablegauisse, quem τους Χριστου, a sectarum studio alienos, recte iam adire, compertum haberet. *Porro* in oculos incurrit, cur coetus ille του Χριστου potissimum, neque potius eius se esse professus sit, qui primus ipsi rationis istius: του ειναι ει μη του Χριστου, auctor exstiterit eamque tanquam fidei normam praeiuerit; nimirum, quo diligentius sectae suspicionem vitaret, in quam, quauis alia denominatione, ab humano quodam doctore desumta, non poterat, quin incurreret. *Denique,* admissa interpretatione nostra, intimus cernitur consensus inter vtrumque locum 1 ep. I, 12. et III, 22. 23., siquidem Corinthii hic eodem sensu Christi esse iubentur, quo pars ipsorum illic iam se Christi esse professa est, vt illud etiam

dubium, cur Paullus hic τους Χριστου a reliquis, Paulli, Apollo et Kephae asseclis, separauerit, imo ipsis opposuerit, quos illic cum ipsis arcte iunxisse videatur, nunc protinus euanescit, cum et loco priori τους Χριστου probasse, τους δε Παυλου, Απολλω και Κηφα reprehendisse putandus sit.

Ceterum de sectis commemoratis recte aestimandis generatim adhuc tenenda videntur haec: 1) Ad numerum earum quod attinet, sunt qui nominum quaternioni 1 ep. I, 12. inhaerentes, et totidem sectas Corinthi viguisse existiment; neque id male, cum ecclesia Corinthiaca ipsa, vbi a Christi sectatoribus, κατ' εξοχην dictis, recesseris, haud aliter censuisse videatur. Originis vero harum sectarum, et placitorum, quae tuerentur, ratione habita, veteres interpretes, *Chrysostomus*, *Augustinus*, *Lightfootus*, *Beza*, alii, eas ad duas tantum reuocari maluerunt, recurrentes ad ecclesiam bipartitam in Judaeos conuersos et gentiles (Act. XVIII.), quorum illi Kephae nomen attulerint atque Christi, hi vero Paulli et Apollo. Sed quoscunque τους Χριστου fuisse statueris, ratio satis idonea haud in promtu esse videtur, cur cum Kepha potissimum iudaizante rem fecerint, nisi eos cum *Storrio* pro *Jacobi*, omnino cum Petro facientis, discipulis habueris. Nos quidem, ex supra disputatis, sectarum triadem statuendam esse putauerimus, nimirum a) *Kephitarum*, iudaizantium; b) *Paullinorum* atque *Apolloniorum*, de liberaliori doctrinae christianae genio, iudaismo parum suffragante, consentientium; modo in varia principum suorum concionandi methodo aestimanda inter se discrepantium; c) denique *solius Christi asseclarum*, id agentium, vt, neutri sectae addicti, ex vtrius-

que principibus, et ex doctoribus, a summa doctrinae ipsorum principum haud discedentibus, genuinam Christi doctrinam addiscant, ita vt, omne partium studium repudiantes et ipsi, vix *sectis* adnumerari possint. 2) Factiones illae, in quas discissa erat ecclesia Corinthiaca, si non insciis, saltem improbantibus doctoribus ipsis, natae sunt, quibus vna vel altera pars adhaesit, quapropter et Paullus non tam se, vel Apollo, vel Petrum, quam potius ipsos Corinthios ob istud partium studium grauissimis verbis reprehendit. 3) Licet eo tempore, quo Paullus priorem epistolam ad Corinthios dedit, sectae istae iam inter eos exortae sint, ita vt nonnulli, fortassis Kephitae, εις τοπον αὑτων 1 ep. I, 2. conuenerint; longe plurimi tamen in vnum locum adhuc congregati esse videntur 1 ep. XI, 18. XIV, 23. Neque saltem erat, quod Paullini ab Apolloniis, hique ab illis segregati conuenirent, cum summus de summa doctrinae christianae consensus eos iungeret, et οἱ Χριστου, vtrique parti fauentes, ex vtraque discere, ac vtramque secum conciliatam et inuicem conciliare cuperent, id quod non potuissent, vbi congregationibus vnius tantum vel alterius partis interesse voluissent. Quare apostolus Corinthios omnes, quotquot eorum ad sacra christiana perducti erant, vt suos adhuc discipulos, suaeque disciplinae alumnos, epistolis suis appellauit, easque ita effecit, vt ad omnes omnino spectarent, quanquam hic illic modo haec modo alia secta ipsi prae caeteris obuersata esse videatur.

Praeter sectas commemoratas Paullo etiam in disputatione illa 1 ep. I, 10. — IV, 16., licet proxime ad sectarum studium perstringendum spectet, cum *Judaeis* etiam atque *Sophistis* (σοφοις, I, 20. 21.) *ethnicis* res fuit, quorum illis, Mes-

siam cum regni sui ciuibus in aeternum victurum exspectantibus, Χριστος εσταυρωμενος, quem Paullus praedicaret, σκανδαλον peperit, his vero, qui ab omnibus, doctoris publici personam sibi sumentibus, σοφιαν, s. artem sophisticam, atque σοφιαν λογου, s. λογον σοφιας, i. e. eloquentiam sophisticam 1 ep. II, 13. XII, 8. eamque in artibus persuasoriis sibi placentem II, 4. exposcerent, illa ipsa doctrina Paullina, omni insuper artis sophisticae et dialecticae, vano quidem, sed specioso ornatu destituta, μωρια visa est I, 23. Quare Paullus ad hos potissimum perstringendos in disputatione illa contra sectarum asseclas saepius, et praecipue inde a c. I, 17. sqq. digreditur. Neque enim defuerunt Corinthi, qui vanam ex vana ista arte gloriam famamque expeterent. Nam licet Corinthus pristina haud tulerit, quam vocare possis, *scholam* philosophorum, restaurata tamen sec. II et III, testibus *Aristide* [54] et *Athenaeo* [55], philosophis, ac Sophistis potissimum abundauit. Quae autem sec. II, re Graecorum adeo labefactata atque concussa, Corinthi floruisse fertur philosophia, obseruante Ill. *Eichhornio* (l. c. pag. 97.), sec. I. laetius adeo ibi viguisse merito putanda est. *Storrius* vero (l. c. pag. 14.), Apostolo 1 ep. I, 17. sqq. non tam cum Sophistis ethnicis, quam cum Christianis olim Judaeis, iisque Apolloniis, qui in Paullo desiderarent, quam in Apollo eloquentiam Alexandrinamque s. codicis interpretationem ad-

[54] *Isthm. ad Neptun.* (vid. supra pag. 6. not. 29.)

[55] l. XIII. *Καταλεξω δε σοι, Κυνουλκε, Ιωνικην τινα ρησιν εκτεινας κατα τον Αισχυλον, περι εταιρων αρξαμενος απο της καλης Κορινθου, επειδη μοι την αυτοθι σοφιστειαν ωνειδισας. κ. τ. λ.*

mirarentur, rem esse arbitratus est; quo quidem et *Vitringae* sententia, aliunde tamen hausta et doctissime exornata, redire videtur. Reperit nimirum Vir doct. in libro *Cosri* [56], et simul apud *Maimonidem* [57], philosophorum sectam, qui מדברים, *loquentes* et בעלי חכמת הדברים, *sapientiae verborum periti* dicuntur, quorum, licet apud Arabes potissimum floruerint, plures etiam inter veteres Judaeos et Caraeos fuisse, ex ipso *Maimonide* constet. Hos ipsos et veteres illos διαλεκτικους *Vitringa* eosdem putari vult, siquidem et hi, *Laërtio* auctore, fuerint: ὅσοι περι την των λογων τερθρειαν κατατριβονται [58], s. *qui se* verborum *acumine exercent.*

[56] Quo faciliorem largioremque lectoribus ipsis judicandi copiam faciamus, locum, quo prae reliquis vsus est *Vitringa* (Obseryv. sacr. Franequerae. 1689. pag. 313.) huc transscribamus ex Part. V, § 15. pag. 359. hunc: *Explica mihi quaeso,* inquit rex Cosri, *generalia quaedam fundamenta de sententiis, quae habent Sapientes fundamentorum fidei, qui a Caraeis vocantur:* periti sapientiae verborum (בעלי חכמת הדברים). Respondet Socius: *in his nulla est vtilitas praeter* acumen verborum (החדות בדברים), *et adiumenti ad id, quod dicitur: esto monitus, vt discas legem, vt respondere queas Epicureo. Parum enim est, quod* sapiens perfectus (החכם התמים), *vti similitudinis causa prophetae, possit proficere alicui per modum institutionis, siquidem non respondet dissentienti per* modum *λογου* s. logice (הדרך הדבור). *Sed ανηρ λογιος,* s. Logicus (בעל הדבור) *reportaturus sibi est* palmam sapientiae (הוד חכמה), *ita vt auditor ipsum longe sit sublaturus super sapientem illum* perfectum (התמים) *et pium, cuius sapientia constat fundamentis, a quibus nullus illum disputator poterit dimouere.*

[57] In *More Nevochim.*

[58] Sic est apud eum in *prooemio* occupatum recensendis variis philosophorum denominationibus et generibus.

Iam vero Apollo, et alios quosdam doctores Corinthios, illum praeferentes magistrum, sectam istam *Loquentium* sequutos eosque ipsos esse, quos Paullus 1 ep. I, 17. sqq. carpat, persuasum habet *Vitringa*, cum quod Apollo Act. XVIII, 24. Ἀλεξανδρευς τῳ γενει dicatur, Alexandria vero, *Josepho* atque *Eusebio* testibus, eo tempore praestantissimos Iudaeorum philosophos aluerit, tum quod idem ille Apollo ibidem *ανηρ λογιος* vocetur, quod apprime voci מרבר respondeat, tum quod plures praeterea voces ab Apostolo in disputatione sua l. c. adhibitae cum vocibus in libro *Cosri* et apud *Maimonidem* de ista Judaeorum secta obuiis, adcurate congruant, vt *σοφοι* cum חכמים, *σοφια* cum חכמה; *λογοι* cum דברים, *σοφια λογου* cum חכמת הדברים, *ὑπεροχη λογου η σοφιας* cum חור חכמה, *τελειος* (1 ep. II, 6.) cum תמימים, et i. g. a. At non possumus, quin ingenue fateamur, nos quidem neque demirari istum formularum hebraicarum cum Paullinis concentum, neque eo impediri, quo minus de Sophistis ex gentibus 1 ep. I, 17. sqq. cogitemus, cum Vir doct. ipse philosophos istos Judaeos in libro *Cosri* commemoratos, quibuscum Paullo l. c. rem esse perhibet, a Dialecticis atque Sophistis haud discrepasse contendat. Quare Sophistas ethnicos, quorum tot aluit Corinthus, (vid. supra), intelligi ibi malimus, *tum* quia his voces *σοφοι* et *σοφια* optime conueniunt, quibus iam *Socrates* de Sophistis suae aetatis vsus est, qui sequebantur in disserendo argutias meras neglecta veritate, ac doctrinae ingeniique specie alios fallebant; *tum* quia *σοφοι* isti τοις σωζομενοις s. Christianis oppositi 1 ep. I, 18., τοις εθνεσι atque Ἑλλησι adnumerantur I. 22. 23.

Praeterea Paullo in ecclesia Corinthiaca, quae profecto haud tulit virtutis christianae fructus, quales post ipsius atque Apollo labores in eam insumtos, exspectari debuissent, multa alia reprehendenda, corrigenda atque oppugnanda supererant. Multi nimirum Corinthum pristinam eo referebant, quod in res venereas effusi essent; imo fuit inter Corinthios, et ab ipsis toleratus est homo adeo nequam, vt vel cum nouerca rem haberet. Quin etiam rixae frequentiores in ecclesia exstiterunt, causaeque non inter arbitros christianos, sed coram magistratibus exteris transactae sunt. De coelibatu quoque inter Christianos Corinthios disputatum est, sitne commendandus, nec ne. Fuerunt porro, qui, dum γνωσεως cuiusdam praetextu ad frequentandas gentilium epulas abuterentur, coenam Domini parum reuerenter haberent. Praeterea in sacris publicis celebrandis viri caput velare, feminae autem nudato capite comparere, quin etiam interdum docere sustinuerunt. Πνευματικοι vero donis spiritus s., quae vocabantur, magis ad captandam auditorum admirationem per linguas peregrinas, quam ad instituendos rudiores per dona prophetica, vsi sunt. Denique nec defuerunt liberalis eruditionis sectatores, qui mortuorum resurrectionem, qualem Paullus tradidit, explodere auderent. E re tamen lectorum fore visum est, ea, quae de vitiis hisce ac ineptis opinionibus, aliisque notitiis historicis, non tam ad vniuersam epistolam, quam ad singulos eius locos spectantibus, monenda habemus, vel commentario vel excursibus reseruare.

V. De *loco* ac *tempore*, quo Apostolus hanc epistolam conscripsisse putandus est, dubium

oriri vix potest. Paullus nimirum, Corinthiorum vrbe relicta Ephesum profectus, (vsque quo iter eius, quatenus ad huiusce epistolae historiam pertinet, supra narrando persequuti sumus), inde per Caesaream in Syriam rediit. Deinde, paschae festo Hierosolymis celebrato, nasiraeatusque, quod in se susceperat, voto ibi soluto, Antiochiam descendit, quo etiam Petrus peruenit. Act. XVIII, 18–22. Hinc iterum in Galatiam Phrygiamque abiit [59]), vnde demum circa annum LV Ephesum reuersus est Act. XIX, 1., vbi in synagoga tres menses, in schola *Tyranni* vero biennium docuit Act. XIX, 8–10., ante paschae festum vero anni LVIII per turbas a Demetrio excitatas in summum vitae periculum adductus est. Circa idem fere tempus, vel paulo ante, et *Apollo* Corintho Ephesum rediit, quippe quem 1 Cor. XVI, 12. ibi in Paulli societate deprehendimus. Iam durante hac ipsius in vrbe Ephesiorum commoratione, nescimus vero quo anno, Paullus certior factus de scortatore, pessimum nequitiae exemplum ecclesiae Corinthiacae praebente, ac nihilosecius ab ea tolerato, epistolam, quam nunc deperditam conquerimur, (vid. supra), ad Corinthios misit, hortantem, vt ab omni consuetudine cum homine eiusmodi luteo refugerent. Postea, cum ex Chloës domesticis didicisset, in sectas discissam ac omnino turbatam esse Corinthiorum ecclesiam c. I, 11. sqq., Timotheum atque Erastum illuc ablegauit, suum ipsius adventum instantem annuntiaturos, Christianosque in rectum, quem deseruerant, doctrinae suae

[59] De primo itinere in regionem istam suscepto vid. Act. XVI, 6., de hoc altero Gal. IV, 13. coll. Act. XVIII, 23.

tramitem, ante aduentum suum reducturos IV, 17-19. coll. Act. XIX, 22. Statim post Timothei discessum Paullo epistola Corinthiorum, quae et ipsa ad nostram aetatem haud peruenit, per Stephanam, Fortunatum et Achaicum reddita esse videtur c. VII, 1. coll XVI, 17., cui nostram e vestigio rescripsisse probabile est, quo celeriorem dubiis, a Corinthiis ipsi propositis, medelam adhiberet, quam Paullum, in tanto, quo erga ecclesias suas adfectus erat, amore, haud diu recusaturum fuisse, suspicari licet. Quo citius vero Ap., μη εχων ανεσιν εν τῳ πνευματι αὑτου, atque Timothei reditum dilatum iri praeuidens, rescisceret, quale pondus epistola sua apud Corinthios habuisset, quidque ad labefactatam auctoritatem suam apostolicam denuo inter ipsos stabiliendam, turbatamque ecclesiae conditionem restaurandam effecisset, et Titum hoc simul consilio (2 ep. VII, 6. 13. 14.) neque ad solam eleemosynarum colligendarum curam gerendam (2 ep. VIII, 6. 16. XII, 18.), Corinthum ablegasse videtur. Neque tamen Titus ex pacto Ephesum ad Paullum de his omnibus certiorem faciendum reuerti potuit, cum Ap. citius quam ipse putaret; turbis per Demetrium excitatis Ephesum relinquere cogeretur.

Quibus quidem vel ipsis notitiis historicis diligentius perpensis, *Ephesi* confectam esse epistolam, dubio carere videtur, praecipue cum Ap. 1 ep. XVI, 8. disertis verbis declaret: se vsque ad pentecostes festum adhuc *Ephesi* mansurum esse. Non dixit quidem: ὡδε εν Εφεσῳ, sed tantum, omissa particula ista: εν Εφεσῳ επιμενῶ, ita vt dubitationi locus relinqui videri possit, an eo tempore, quo haec scripsit, reipsa iam Ephesi commoratus sit. At vero, qui se in loco aliquo *mansurum* esse dicit, is ibi iam

praesens adsit, necesse est; quare et nos nomini loci, vbi nos iam versari significare volumus, enunciato, haud semper particulam istam insuper addere solemus. Accedit ad haec, *tum* quod Ap. Aquilae atque Priscillae, tum temporis *Ephesi* commorantium Act. XVIII, 19. 24. 26., verbis salutem Corinthiis adnunciet; *tum* quod Timotheus, quem Paullus se Corinthum ablegasse commemorat c. IV, 17., *Epheso* illuc ablegatus esse dicatur Act. XIX, 22. Vtrumque vero locum de vna eademque missione Timothei cum Erasto intelligendum esse, non haesitabit, cui singulas rerum περιστασεις tam ll. cc., quam Act. XIX, 21. et 1 ep. XVI, 3-10. obuias paulo diligentius inter se conferre placuerit 60.

Ad scriptae vero epistolae tempus quod attinet, dubitari nequit, eam commoratione Paulli

60 Sic etiam *Theodoretus* praef. in epp. Paulli Tom. III. p. 4. de prima ad Corinthios: εν δε γε τη Εφεσω τηνικαυτα διατριβων ταυτην επεστειλε, id quod et ipse ex 1 ep. XVI, 8. probavit. Idem asserunt *Euthalius* et *Oecumenius*. Sic denique et *versio Coptica* et *codices* quidam *graeci* a *Wetstenio* allati habent. Quae cum ita sint, morari nos non debet nota in fine quorumdam codicum adiecta, quae *Philippis* primam ad Corr. scriptam esse probat, quamque etiam *Theodoreti* commentario Tom. III. p. 286. perperam inseruerunt librarii sic: η προς Κορινθιους πρωτη επιστολη εγραφη απο Φιλιππων δια Στεφανα, και Φουρτουνατου και Αχαικου. Nam vti eiusmodi notae N. T. libris in fine adspersae omnino serioris originis sunt, nec a librorum auctoribus proficiscuntur, sic haec potissimum coniectura ex loco 1 ep. XVI, 5. male intellecto, nata videtur, vbi verba: Μακεδονιαν διερχομαι (fc. proxime), nonnulli ita acceperunt, ac si Paullus iam tum in Macedonia, ibique fortasse *Philippis* commoratus fuerit.

in Ephesiorum vrbe ad finem vergente, adeoque anno LVIII confectam esse, cum Ap. huncce finem verbis: επιμενω εν Εφεσῳ ἑως της πεντεκοστης c. XVI, 8. satis distincte significet. Neque tamen esse videtur, quod in vniuersa hac temporis exaratae epistolae definitione subsistamus. Ap. enim cum vsque ad pentecostes festum Ephesi (c. XVI, 8.), Corinthi vero per aliquod tempus, nisi forte per hyemem instantem (v. 6. 7.) se commoraturum esse dicat, simulque allusionibus ad pascha indulgeat (c. V, 6. sqq.), cumque Timotheum paulo ante epistolam scriptam Corinthum ablegatum c. IV, 17. (cui tamen alia forsitan negotia alibi in itinere per aliquas ambages faciendo exsequenda mandauerat), illuc, dum scriberet, nondum peruenisse suspicetur c. XVI, 10. [61]; Paullus epistolam suam inter hyemem elapsam et festum pentecostale, et quidem haud multo ante intermedium festum paschale anni LVIII exarasse putandus est, ita vt Corinthii eam vel ineunte, vel durante hoc festo, ad cuius celebrationem instantem alluserat c. V, 6. sqq., per Timotheum acciperent, quem hoc fere tempore Corinthum peruenturum esse computando invenisset [62].

[61] Vbi Ap. Corinthiis curam iniungit: vt Timotheus αφοβως γενηται προς αυτους εαν ελθῃ.

[62] Ill. EICHHORNIUS, epistolam nostram anno LIX scriptam esse ratus, huic paschae mentioni inhaerendum esse negat, siquidem haud aliter ac verba καθως εστε αζυμοι et ἑορταζωμεν μη εν ζυμῃ παλαιᾳ, ad meram allegoriam reuocanda sit. Sed vndenam Ap. in hanc ipsam allegoriam, qua alias haud vtitur, inciderit, nisi instans paschae festum ipsi ansam praebuisse statuamus, id quidem non immerito quaeri existimauerimus.

Ceterum, cum Stephanam, Fortunatum atque Achaicum epistolam Corinthiorum ad Paullum pertulisse probabile sit (vid. supra), atque hi, dum Corinthiis epistolam suam rescribebat, adhuc Ephesi apud ipsum commorarentur c. XVI, 17., neque vllibi commorationis ipsorum apud Paullum vlterius productae mentio fiat, nec non verbis: επιγινωσκετε τους τοιουτους c. XVI, 18., si quid sentimus, aliquid inesse videatur, quo Corinthi praesentes significentur; non temere coniiciendo statuimus, epistolam nostram per ipsos illos triumuiros, (minime vero per Timotheum, qui ante epistolam scriptam Corinthum iam profectus erat, vid. supra), Corinthiis, responsum apostolicum exoptantibus, redditam esse [63].

VI. *Antiqua* vero huius epistolae *auctoritas*, *Paullinaque origo* tam testimoniis externis, quam argumentis internis abunde firmata deprehenditur. Quod attinet ad illa, neque *Patrum apostolicorum* ad epistolam nostram, quas perhibent, allusionibus, leuibus illis quidem, ambiguis et ad alios aliorum N. T. librorum locos translatu facillimis [64], neque manifestioribus

[63] Cf. *Ge. Lud. Oeder* de tempore et loco scriptarum epistolarum Paulli ad Philipp. et Corr. Exst. in: coniecturarum Eiusdem de difficilioribus S. S. locis centuria. Lipsiae 1753. pag. 323. sqq. nec non *Paley* horae Paulinae pag. 413. sqq.

[64] Sic a *Schmidio* (hist. ant. canonis V. et N. T.) aliisque hic excitantur loci praecipue hi: *Barnabas* in epist. c. VI. in PP. apostol. T. I. ex ed. *Cotelerii* pag. 19. Ναος γαρ ἁγιος, αδελφοι μου, τῳ Κυριῳ, το κατοικητηριον ἡμων της καρδιας. coll. 1 Cor. III, 16. Idem Cap IV. l. c. pag. 59. "*Sed in vnum conuenientes, inquirite.*" coll. 1 Cor. XI, 20. — *Hermae Pastor*. l. II. Mandato 5. Tom. I. ed. Coteler. pag. 91. Εαν γαρ μακροθυμος εσῃ

eius vestigiis apud *Clementem Rom.* [65], *Ignatium* [66], atque *Polycarpum* [67], quorum tamen

το πνευμα το ἁγιον κατοικουν εν σοι καθαρον εσται. coll. 1 Cor. III, 16. *Idem* l. III. Similitud. VI. § 7. "Si enim corpus tuum maculaueris, maculabis etiam eodem tempore et spiritum s., et si maculaueris corpus tuum, non viues." coll. 1 Cor. III, 17. *Idem* II. Mandat. 4. § 1. de muliere dissoluta haec habet: "Quodsi in his factis perseuerat et poenitentiam non agit, recede ab illa, et noli conuiuere cum illa, alioquin et tu particeps eris peccati eius. Propter hoc praeceptum est vobis, vt caelibes maneant tum vir tum mulier, potest enim in huiusmodi poenitentia esse." coll. 1 Cor. VII, 11. — *Justinus Mart.* in dial. c. Tryph. p. 204. ed. Bened. *Ην γαρ το πασχα ὁ Χριστος, ὁ τυθεις ὑστερον.* coll. 1 Cor. V, 7. Ibid. pag. 132. *Christus* dixisse fertur: *εσονται σχισματα και αἱρεσεις*, neque adeo haec verba ex 1 Cor. XI, 18. 19. desumta esse possunt. *Ibid.* p. 136. *Οἱ και λαμβανουσι δοματα, ἑκαστος ὡς αξιοι εισι, φωτιζομενοι δια του ονοματος του Χριστου τουτου. Ὁ μεν γαρ λαμβανει συνεσεως πνευμα, ὁ δε βουλης, ὁ δε ισχυος, ὁ δε ιασεως, ὁ δε προγνωσεως, ὁ δε διδασκαλιας, ὁ δε φοβου Θεου.* coll. 1 Cor. XII, 8-10. *Ibid.* pag. 307. ed. Paris. *Οἱ και λεγουσι, μη ειναι νεκρων αναστασιν.* coll. 1 Cor. XV, 12.

[65] *In ep. ad Cor.* (quae merito pro genuina habetur), I, c. 47. in PP. apost. ed. Cotel. Tom. I. p. 175. *Ανελαβετε την επιστολην του μακαριου Παυλου του αποστολου. Τι πρωτον ὑμιν εν αρχη του ευαγγελιου εγραψεν; επ' αληθειας πνευματικως επεστειλεν ὑμιν, περι αυτου τε, και Κηφᾶ, και Απολλω, δια το και τοτε προσκλισεις ὑμας πεποιησθαι.* coll. 1 Cor. I, 12. *Ibid.* c. 48. *Και ζητειν το κοινωφελες πασι, και μη το ἑαυτου.* coll. 1 Cor. X, 24.

[66] *Ad. Ephes.* in PP. apost. *Cotel.* Tom. II. pag. 12. *Πρεπον ουν εστι κατα παντα τροπον δοξαζειν Ιησουν Χριστον τον δοξασαντα ὑμας, ἱνα εν μιᾳ ὑποταγη ητε κατηρτισμενοι εν τῳ αυτῳ νοϊ, και τη αυτη γνωμη, και το αυτο λεγητε παντες περι του αυτου* coll. 1 Cor. I, 10. *Idem* ad Ephes. § 16. *Μη πλανασθε — οἱ οικοφθοροι βασιλειαν Θεου*

scripta maximam partem aliis incertae aetatis auctoribus deberi constat [68], in hoc argumento diiudicando multum tribui posse, cum Ill. *Eichhornio* statuendum esse videtur. Eo locupletiores vero Paullinae originis epistolae nostrae testes e fine sec. II. producimus *Irenaeum* [69] atque *Athenagoram* [70], primam ad Corinth.

ου κληρονομησουσι. coll. 1 Cor. VI, 9. 10. § 18. Περιψημα το εμον πνευμα του σταυρου, ὁ εστι σκανδαλον τοις απιστουσιν, ἡμιν δε σωτηρια και ζωη αιωνιος. Που σοφος και συζητητης; που καυχησις των λεγομενων συνετων; coll. 1 Cor. I, 18-20. Ad Roman. § 5. Εν δε τοις αδικημασιν αυτων μαλλον μαθητευομαι· αλλ᾽ ου παρα τουτο δεδικαιωμαι. coll. 1 Cor. V, 4. § 9. Ων εσχατος αυτων και εκτρωμα· αλλ᾽ ελεημαι τις ειναι εαν Θεου επιτυχω. et ad Smyrn. § 11. Εσχατος αυτων ων. coll. 1 Cor. VII, 25. XV, 8. *Ad Magnesianos* § 10. Ὑπερθεσθε ουν την κακην ζυμην, την παλαιωθεισαν και ενοξιασασαν, και μεταβαλεσθε εις νεαν ζυμην, ὁ εστιν Ιησους Χριστος. coll. 1 Cor. V, 7.

67 *In ep. ad Smyrn.* c. 11. in PP. apost. *Cotel.* Tom. II. pag. 191. "An nescimus, quia sancti mundum iudicabunt? sicut *Paullus* docet." coll. 1 Cor. VI, 2. *Ibid.* "Si quis non abstinuerit se ab auaritia, ab idololatria coinquinabitur, et tanquam inter gentes iudicabitur. coll. 1 Cor. V, 11. *Ibid.* c. 5. Και ουτε πορνοι, ουτε μαλακοι, ουτε αρσενοκοιται βασιλειαν Θεου κληρονομησουσι. coll. 1 Cor. VI, 9. 10.

68 Cf. *Cave* historia literaria Vol. I. pag. 28. seqq.

69 *Contra haeres.* l. IV. c. 27. § 3. "Et hoc autem in epistola, quae est ad Corinthios, manifestissime ostendisse, dicentem: nolo enim vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes in Mose baptizati sunt in nube etc. quapropter qui putat se stare, videat ne cadat." coll. 1 Cor. X, 1-12. In alleganda vero epistola secunda ad Corr. non *apostolum* omnino sed *Paullum* auctorem excitat.

70 *De resurrect.* pag. 61. Ευδηλον παντι το λειπομενον, ὁτι δει, κατα τον αποστολον, το φθαρτον τουτο και διασκεδαστον, ενδυσασθαι αφθαρσιαν. coll. 1 Cor. XV, 53. *Epist. ad Diognet.* in Opp.

apostolo tribuentes. Serioris aliquanto aetatis *Clemens Alex.*[71] atque *Hermias*[72] eam *Paullo* apostolo vindicant; neque aliter et *Tertullianus*[73], *Firmilianus*[74], *Cyprianus*[75], rel. Haeretici, qui Paullina omnia infitiati sunt, in tanto testium consensu, ne audiendi quidem videntur.

Sed et argumenta ex ipsius epistolae contextu petita, quae prae aliis *Guil. Paley*[76] miro ingenii acumine inuestigauit, ad tuendam Paullinam huius epistolae auctoritatem profecto haud spernenda sunt. Sic, vt nonnulla tantum delibemus, merito quaeri posse videtur, vndenam impostori, quisquis fuerit, illud effingendae potissimum *responsionis* ad epistolam acceptam artificium, in mentem venerit, quo, vti se in occultanda fraude prorsus non adiutum, sic insuper innumeris difficultatibus vix extricabilibus irre-

Justini ed. Paris. pag. 502. *Αποστολος — λεγει· ἡ γνωσις φυσιοι, ἡ δε αγαπη οικοδομει.* coll. 1 Cor. VIII, 1.

[71] Paedag. l. 1. pag. 96. *Σαφεστατα γουν ὁ μακαριος Παυλος απηλλαξεν ἡμας της ζητησεως εν τῃ προτερᾳ προς Κορινθιους επιστολῃ, ὡδε πως γραφων· αδελφοι, μη παιδια γινεσθε ταις φρεσιν. κ. τ. λ.* coll. 1 Cor. XIV, 20.

[72] *In derisione gentilium* pag. 175. ed. Paris. *Παυλος, ὁ μακαριος Αποστολος, τοις την Ἑλλαδα την Λακονικην παροικουσι Κορινθιοις γραφων, ω αγαπητοι, απεφηνατο λεγων· ἡ σοφια του κοσμου τουτου μωρια παρα τῳ Θεῳ, ουκ ασκοπως ειπων.* coll. 1 Cor. III, 19.

[73] *De praescriptione* c. 33. "Paulus in prima ad Corinthios notat negatores et dubitatores resurrectionis." coll. 1 Cor. XV.

[74] Pag. 221. "Deinde haec erit sapientia, quam scribit Paulus in his, qui *perfecti* sunt." coll. 1 Cor. II, 6.

[75] Lib. I, c. 4. "In epistola Pauli ad Corinthios prima: nolo enim vos ignorare, fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt." coll. 1 Cor. X, 1.

[76] *Horae Paullinae*, vers. german. a b. *Henkio* notis adornat. pag. 54. sqq.

titum sentiret, necesse erat? Quodsi vero vel maxime concesserimus, eum, qui hanc epistolam Paullo supponere auderet, idcirco argumentum eius ad responsionis formam reuocasse, quo minus fraudem suspicarentur lectores, et quo maiorem epistolae fidem et auctoritatem conciliaret; num nobis, vel sic statuentibus, persuadere potuerimus, eum artificium artificio ita accumulaturum fuisse, vt inter ea, quae ex expistola Corinthiorum sibi missa, et quae aliunde compertus esset, distingueret [77]), et factam hanc a se distinctionem tantum transeundo et e longinquo, neque potius, pro consilio sibi proposito, adcuratius significaret? Nonne denique vniuersum epistolae argumentum, et vel minutissimas rerum περιστάσεις, ab auctore hic illic leuiter tactas, cum Lucae commentariis intime ac amicabiliter conspirare animaduertimus, licet auctor, vt conspirarent, prorsus non egerit? id quod iam in superioribus magna exemplorum copia demonstrauimus, cuius magis adaugendae in commentario locus erit.

VII. Epistolae denique *argumentum* vix est, quod copiosius cum lectoribus communicemus, cum ad ecclesiae conditionem, qualem supra descripsimus, prorsus adcommodatum sit. Nimirum cum sectas, indeque magna in ecclesia Corinthiaca dissidia exorta esse, nuperrime ex Chloës domesticis audiuisset, recenti dolori indulgens ab ipso hoc perniciosissimo sectarum studio acerrime reprehendendo, et a Sophistis merita cum vituperatione, data hac occasione, dimittendis, epistolae exordium repetit, cap. I-IV. Hinc ad argumentum epistolae Corinthiorum ipsi redditae (nunc quidem amissae) pergens, incestus tolerati infamiam, a qua iam pridem literis (et

[77] Cf. e. g. 1 Cor. I, 11. V, 6. XI, 18. cum VII, 1. XI

ipsis deperditis) eos reuocare conatus erat, quamque Corinthii in epistola sua aliquo saltem modo excusandam sibi sumsisse videntur, ipsis vehementer exprobrat, subiuncta prioris epistolae, quam male intellexerant Corinthii, vberiori explicatione cap. V. His iam ita peractis, in reliqua epistolae parte, modo ad dubias quaestiones, a Corinthiis ipsi propositas, respondere, modo reliquis eorum vitiis, ineptisque opinionibus, quae aliunde ei innotuerunt, mederi studet. Et sic quidem rixas, earumque transactionem coram exterorum tribunalibus valde indignatur cap. VI, 1-11., vnde redit ad vitae libidinosae foeditatem demonstrandam cap. VI, 12-20. simulque ad ea, quae de coelibatu rogauerant Corinthii, exacte respondet cap. VII, 1-40. Deinde quaestione de εἰδωλοθύτοις examinata, eandem potissimum ex amore infirmiorum Christianorum dirimendam esse docet cap. VIII, 1. — XI, 1. Porro vsum velaminum in conuentibus Christianorum sacris reprehendit in viris, mulieres iubet eum seruare cap. XI, 2-16. Hinc transit ad seuere castigandam impietatem eorum, qui coenam Domini minus reuerenter habere ausi sint cap. XI, 17-34. Praeterea de vsu salutari donorum spiritus s. admonet cap. XII. XIII. XIV. Tandem refutat eos, qui resurrectionem mortuorum in dubium vocare sustinuerint cap. XV. Denique exhortatione ad eleemosynas in ecclesia colligendas cap. XVI. scribendi finem facit. Quae quidem omnia quomodo Apostolus cogitabundus persequutus fuerit, commentarius vlterius demonstrabit.

Ceterum *Valckenarius* (l. not. 26. c.) priorem hanc ad Corinthios epistolam Paullinarum vocat epistolarum *elegantissimam*; qua obseruatione nihil verius.

Η ΠΡΟΣ ΚΟΡΙΝΘΙΟΥΣ

ΕΠΙΣΤΟΛΗ ΠΡΩΤΗ.

Παῦλος, κλητὸς ἀπόστολος Ἰησοῦ Χριστοῦ, Cap. I, 1.

Cap. I. v. 1–3. Salutationem continent, pro more veterum epistolae praemitti solitam. Παυλος κλητος αποστ. cf. *Koppe* ad Rom. 1, 1. et nos ad Iac. 1, 1. coll. excurs. 2. ad epp. Petr. Praecipue adi, quae Cel. *Hengelius* (in *annotatione in loca nonnulla N. T.*) de voc. αποστολος doctiss. disseruit ad loc. 1 ep. 9, 1. De more veterum, suum nomen anteponendi illorum nomini, ad quos scribebant, cf. *Emm. Martinus* l. 2. ep. 8. Δια θελημ. Θεου, *vel*, vt κατ' επιταγην του Θεου 1 Tim. 1, 1. *ex ipso Dei consilio, auctoritate diuina*, (vt i. sit q. παρα s. δια του Θεου Ephes. 1, 1.) *vel* ex hebr. רצון, quod et *benignitatis* notionem inuoluit: *pro benignissima Dei voluntate*. Praefero prius. Tota autem formula Παυλ. — Θεου, ad vocationem Paulli coelitus factam spectans, sibi vult: Π. αποστ. εκλελεγμενος παρα I. X. και παρ' αυτου του Θεου, (ου δι' ανθρωπου. Gal. 1, 1.) *Paullus, auctoritate diuina, (non humana, neque propria) apost. I. C. constitutus*, quo simul negat, semet ipsum sibi, quae erat aduersariorum criminatio, apostoli personam sumsisse. Σωσθενης, (ex σαος, contr. σως, *saluus*, et σθενος, *robur*, pro quo in aliis nominibus propr. κρατος, vt in Σωκρατης, Ισοκρατης etc.) pro eodem haberi solet, qui Act. 18, 17. synagogae Corinthiacae praefuisse commemoratur. At vero, cum ille non modo Iudaeus, sed etiam ex acerbissimis Paulli accusatoribus, et quidem eo adhuc tempore fuerit, quo Paullus Corinthum proficiscebatur, Corinthique, cum Paullus Ephesum peteret, remanserit Act. 18, 18., nostrum vero non solum ad rel. chr. conuersum, sed etiam in tradenda hac rel. socium atque collegam Paul-

διὰ θελήματος Θεοῦ, καὶ Σωσθένης ὁ ἀδελφὸς,
2 τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ τῇ οὔσῃ ἐν Κορίνθῳ,

li, et comitem eius in itinere, ac in epistola scribenda adiutorem fuisse, ex l. n. coll. c. 16, 1. satis constet; Sosthenem, synagogae Corinthiacae principem, a Sosthene hic commemorato distinguendum esse existimauerimus. Cf. *Michaelis* Einl. T. 2. p. 1214. Et sic iam per se apparet, cur Paullus vna cum hoc Sosthene (vt et 2 ep. 1, 1. Col. 1, 1. et Phil. 1. Timothei nomen suo iungit), salutem impertiat Christianis Corr., ac addito articulo, in N. T. interpretatione non negligendo (cf. *Markland* ad Eurip. Suppl. v. 960. p. 189. *Swindenus* in miscell. obs. nouis T. 3. p. 88. 94. 98.) Ὁ αδελφ. dicat, nimirum vt veluti monstret *Christianum Sosthenem Corinthiis satis notum.* Neque tamen ὁ αδελφ. h. n. ad christiani nominis dignitatem, sed ad *socii* operam, quam in tradenda religione apostolo praestabat Sosthenes, referendum est.

2. Εκκλησια του Θεου, ex hebr. קהל vel עדת יהוה Num. 16, 3. quo nomine, tum pietatis erga Deum, tum singularis amoris diuini erga cultores suos, quam infert, notione admodum honorifico, Iudaei gloriari solebant, ad *Christianorum coetus*, in N. T. transfertur. Κορινθος, vid. proleg. Ἡγιασμενοι et ἁγιοι, *Christiani* eodem sensu dicuntur, quo Iudaei קדשים, et עם קדש vocari solebant, h. e. *homines, a reliqua paganorum turba segregati ac Deo, i. e. cultui ac tutelae eius sacrati s. sacri, hincque Deo inprimis cari et accepti,* חסידים. vid. ad 1 Petr. 1, 2. Sensu igitur non differt ab εκκλ. τ. Θ. Voci ἡγιασμενοι vero Ap. addidit: εν Χ. Ι., pro δια Ι. Χ., veluti Col. 1, 16. *Christi, eiusque potissimum doctrinae beneficio,* quo magis *Christianorum* coetum a synagoga *Iudaeorum* distingueret. cf. Eph. 1, 1. Κλητοι, vel vt ἡγ. εν Χ. Ι. per se accipe, pro cognomine *Christianorum*, quippe qui ex hebr. מקראי יי, *homines religione chr. ad felicitatem olim in regno Messiano obtinendam vocati* dicerentur, (vid. exc. 2. ad epp. Petr.) vel, quod h. n. praetulerim, iunge κλητοι ἁγιοι, (vti v. 1. κλητος αποστολος) vt sint: *quos in delicias sibi adsciuit.* Επικαλ. το ονομα Χρ. (vel simpliciter επικαλ. Χρ.) *precibus adorare* (quippe quae a nuncupando nomine inuocandi

ἡγιασμένοις ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, κλητοῖς ἁγίοις

numinis initium capere solеant), i. q. σεβεσθαι, λατρευειν, *colere* Christum omnino. vid. ad 1 Petr. 1, 17. Οἱ επικ. — Ι. Χ. *qui debito cultu Christum prosequuntur*, est igitur mera *Christianorum* periphrasis, ex hebr. dicendi formula קרא בשם יהוה absque dubio desumta. Contra omnem vero loquendi vsum, (quamuis sensu ne minimum quidem mutato), *Olearius*, *Hammondus*, *Lockius*, alii, επικ. — Ι. Χ. reddunt: *qui nomine domini nostri appellantur*, i. e. *qui Christiani vocantur*. Vrgent quidem locum Deut. 28, 10. vbi Al. ita: το ονομα Κυριου επικεκληται σοι; sed alia est dicendi formula επικαλεισθαι ονομα επι τινα s. τινι, Act. 15, 17. Iac. 2, 11. alia επικαλ. ονομα τινος. cf. Rom. 10, 12. 13. vbi, qui v. 12. επικαλουμενος Κυριον dicitur, v. 13. επικαλεισθαι το ονομα Κυριου commemoratur. cf. etiam 2 Tim. 2, 22. Συν πασι, pro ὡς και πασι, Gal. 3, 9. seu rectius adeo ex hebr. עם pro και πασι, idque loco τουτεστι πασι (vid. infra sensum loci). *Schulzio* praeplacet lectio συμπασι loco συν πασι (vid. var. lect.), eaque proxime superioribus κλητ. ἁγ. iungenda, qua tamen, quid ad locum illustrandum, efficiatur, non video. Εν παντι τοπ. αυτ. τ. κ. ἡμ. diuersimode iunguntur atque intelliguntur. *Beza*, *Heinsius*, *Bertholdtus*, *Valkenar.*, alii, *Chrysostomum*, *Photium* et *Theophylactum* sequuti, verbis αυτ. τ. κ. ἡμ. non ad τοπῳ, sed ad Κυριου relatis, sic reddunt: *qui inuocant nomen Domini nostri I. C. in quovis loco*, *Domini*, *inquam*, *tum ipsorum tum nostri*; ita vt verba αυτ. τ. κ. ἡμ. formulae του Κυρ. ἡμων quasi correctioni inseruiant. Quae tamen interpretatio, vti anxie quaesita comparet, sic etiam cum verborum consequutione vix conciliari potest; siquidem, si haec fuisset Ap. mens, voces illas sine dubio collocasset sic: το ονομα του Κυρ. ἡμων, αυτων τε και ἡμων, Ι. Χ. εν παντι τοπῳ. Longe facilior, verborumque tam significationi, quam consequutioni accommodatior sine dubio est *Storrii*, *Rosenmülleri* al. explicatio, qui συν πασι — ἡμων proxime praecedentibus: κλητοις ἁγιοις iungunt in sensum hunc: *iuxta cum omnibus Christianis*, *vbicunque locorum sint*, (*siue inter gentes viuant*, *siue inter Iudaeos*), *Corinthios euasisse populum diuinum*, *iisdemque beneficiis per Christum ornatos esse*, *quae aliis coetibus*

σὺν πᾶσι τοῖς ἐπικαλουμένοις τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου

VARIAE LECTIONES.

2. συμπασι legunt et iungunt antecedentibus 46. 52. al. 2.

contigerint; nisi forte haec ipsa sententia quodammodo superflua videri potest, Corinthiis, vel non assenerante Ap., vix dubitantibus, se sensu eodem κλητους ἁγιους esse, quo reliqui Christiani sic vocabantur; nam si Paullus sic fortassis Petrinos, verae doctrinae chr. laude reliquos priuantes, obiter tangere voluisset, id quidem eum paulo distinctius significaturum fuisse, quis negauerit. Praeterea neque in promtu nobis est ratio, cur Paullus ad Christianos vniuersos, *vbicunque terrarum degerint*, significandos, ex dicendi genere prorsus inusitato, παντες εν τοπῳ αυτ. τ. κ. ἡμ. quam παντες πανταχου (Act. 17, 30.) vel παντες εν ὁλῃ τῃ οικουμενῃ dicere maluerit; neque videmus, quid potissimum insit vocibus αυτων et ἡμ., quo illa ad *gentes*, haec ad *Iudaeos*, adeoque ad *Paullum* quoque recte referri dici possit, cum praesertim Paullo magis cum gentibus quam cum Iudaeis, vel inter ipsos Corinthios, res esset. Qua et ipsa dicendi insolentia etiam impedimur, quo minus verba συν πασι - ἡμων, vna cum proxime praecedentibus τῃ εκκλ. — ἁγιοις commati tertio iungamus ita, vt Paullo, dum Christianis *Corr.* salutem diceret, et reliquorum Christianorum coetus, vbicunque degerent, in mentem venisse videantur, quibus *simul* et *transeundo*, pro intimo, quo in omnes omnino Christianos amoris adfectu ferebatur, bona quaeuis apprecari haud omittat, licet *epistola ipsa* non ad hos, sed ad solos *Corinthios* pertineret, neque adeo vllo modo ob haec vota pro *omnibus* Christianis *per occasionem* nuncupata, pro epistola *catholica*, quae *Theodoreti* sententia fuit, haberi deberet. Interpretes potius longe plurimi, iique et ipsi, Paullum verbis και πασι - ἡμ. indicare voluisse rati, quibus praeter τους εν Κορινϑῳ, suo nomine salutem nuntiari voluerit, verba εν πασι - ἡμων habere debere senserunt, quo distinctius referantur. Hinc *Wetstenius* τους εν τοπῳ ἡμ. de Christianis intelligi vult, qui sedem fixerint Corinthi, quam Ap., cum ecclesiam ibi fundauerit, *suam* vocet, quo simul tacite se atque

ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐν παντὶ τόπῳ, αὐτῶν τε

Sosthenem Corinthium opponat peregrino doctori, qui in locum *non suum* irrepserit 1 Cor. 10, 13-16. (nisi posterius hoc iusto occultius latere dixeris); τους εν τοπ. αυτ. vero mercatores esse perhibet, et nautas hospites, qui Christo nomen dederint, eumque nunc Corinthi, nunc in patriam reuersi inuocauerint. Alii, vt *Storrius*, *Hugius*, rel. *illos* modo ad Christianos Ephesinos, inter quos Paullus epistolam nostram conscripserit, modo ad ipsos triumuiros Corinthios, Stephanam, Achaicum et Fortunatum tum apud Ap. commorantes, ac postea epistolam eius Corinthum perferentes, et ad Sosthenem atque Apollo, modo, cum *Wetstenio*, ad ipsam ecclesiam Cor., *hos* vero ad Christianos per omnem Achaiam dispersos, vel ipsis Corinthiis, ex nonnullorum sententia, haud exceptis, referri volunt. Quae tamen omnia vel eo labefactari videntur, quod pro solenni salutandi more non iis, qui praesto nobis adsunt, vti Ephesini ac triumuiri illi Paullo aderant, sed absentibus, et ex his nonnisi iis salutem impertire solemus, quibus et *nuntiari* commode potest. Cf. S. V. *Eichhornii* introd. p. 110. Quare nos quidem cum *Vitringa*, *Mosheimio*, *Eichhornio*, *Krausio*, al., verba εν παντι — ἡμ. ad superiora εν Κορινθῳ referentes, τοπ. αυτ. τ. κ. ἡμ. de diuersis *locis*, s. *scholis* intelligi velimus, in quibus sectae diuersae, institutionis et sacrorum celebrandorum causa conuenisse videntur, ita vt τοπος ἡμων ad domum Iusti, a Paullo electam Act. 18, 7., Paullinis igitur iuxta cum Apolloniis et τοις του Χριστου patentem, τοπος αυτων vero fortassis ad synagogam Iudaicam a Paullo relictam, vel ad locum quemnis alium spectet, vbi forte iudaizantes Petrini congregari soliti sint. Sic etiam formula nostra εν παντι τοπῳ 1 Tim. 2, 8. de *locis ad sacra obeunda destinatis* manifesto vsurpatur. Vt vero cum *Vitringa* et *Michaele* voces εκκλησια, ἡγιασμ. et κλητ. ἁγ. pro Christianis Corr. *veram Paulli doctrinam sequutis*, formulam vero επικαλ. το ον. l. X. de *secus sentientibus*, iisque *iudaizantibus* sumamus, a nobis impetrare non possumus, cum hae formulae omnes in V. ac N. T. nonnisi piae venerationis cultusque diuini notionem inferant. Ceterum,

3 καὶ ἡμῶν· χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς ἡμῶν, καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ.

4 Εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ μου πάντοτε περὶ ὑμῶν,

vti verbis τῃ εκκλ. — Κορ. per appositionem, quam vocant, formulam εκκλησ. τ. Θ. magis illustrantem et a Iudaeis ad Christianos transferentem, verba ἡγιασμ. — ἁγιοις, sic his ipsis itidem, pro more Paullino, iis, quae generaliter et subobscure enuntiauerat, vlteriorem expositionem subiungendi, verba συν πασι (pro τουτεστι πασι) — ἡμ. addita esse putauerimus, quo minus Ap. vni tantum vel alteri sectae (v. 12.) salutationem, vniversamque epistolam despondisse videretur, ita vt sensus prodeat hic: *Ego, Paullus, saluto ecclesiam Dei, quae Corinthi est, videlicet eos, qui Christi beneficio Deo sacrati, et ab ipso in singularem amorem suum electi sunt*, hoc est: *Christianos Corr. sine discrimine omnes, nullus in salute ipsis impertienda, vniuersaque epistola scribenda de eo laborans, vtrum in loco a me, an ab aliis electo, congregentur. Martianaei* sententia, ex qua verba nostra ad communionem bonorum referuntur sic: *in quocunque loco fideles versentur, qui et illorum sit proprius, et caeteris tamen communis;* vix digna est quae commemoretur atque refutetur.

3. vid. *Koppe* ad Rom. 1, 7.

4—9. Iam vero, cum Ap. hac epistola Corinthios multis modis, inprimis vero de dissidiis inter ipsos exortis, grauiter reprehendere constituerit, seque a multis contemni, odioque haberi, exploratum habuerit; statim *exorditur* a beneuolentia lectorum eo captanda, quod, se nemini subirasci, omnibus potius bene velle, affirmat. Hinc proxime v. 4. in gratias summo numini, pro χαριτι, Christianis Corr. benigne concessa, agendas erumpit. Praemissa tum v. 5. breui vocis χαριτος explicatione, ex qua eam de vberiori religionis chr. cognitione intelligi vult, fonteque v. 6. ex quo haec ipsa ad Corr. redundauerit, transeundo indicato, iam v. 7. ad argumentum v. 4. rediens, Corinthios εν μηδενι χαρισματι ὑστερεισθαι contendit. Quibus omnibus v. 8. 9. pia vota pro religionis scientia Corinthiorum amplificanda, virtutisque studio ipsorum exacuen-

ἐπὶ τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ τῇ δοθείσῃ ὑμῖν ἐν

do subiungit. Ευχαριστειν pro χαριν εχειν vel ειδεναι, qua significatione nusquam ap. LXX, raro in libb. apocc. obuium est, Iudith. 8, 25. 2 Macc. 1, 11. Sap. 18, 2. a scriptoribus graecis probatae notae et auctoritatis vsurpatum esse, plerique veterum grammaticorum negant: *Thom. M.* (aptissime ad *Cic.* 2 Philipp. c. 2.) χαριν οιδα σοι, και χαριν εχω σοι, και χαριν ὁμολογω· ευχαριστω δε ουδεις των δοκιμων ειρηκεν. Neque aliter *Moeris Attic.* ad Platonis auctoritatem prouocans, *Phrynich.* atque *Pollux.* Hinc et *Salmasius*, in libro de ling. Hellen. p. 8. illorum maxime auctoritate ductus, vocem nostram inter idioticas referre non dubitauit. Reperitur tamen *grates agendi* significatione non solum ap. *Iosephum* (vid. *Krebs* obss. ad h. l.) sed etiam ap. *Diodorum*, et, vel iunctim, vt in l. n. cum επι, ap. *Polyb.* cf. *Raphelii* obss. ad h. l. et *Wetst.* ad Matth. 15, 36. Ευχαριστω vero pro θελω δε ὑμας ειδεναι, vel: ου θελω ὑμας αγνοειν, ὁτι χαριν εχω. Τῳ Θεῳ μου, *Deo, quem pie veneror.* Παντοτε, vt αδιαλειπτως 1 Thess. 1, 3. ex populari loquendi vsu pro πολλακις, vel post παντοτε subintelligendum est: ὡσακις μνειαν ὑμων ποιουμαι επι των προσευχων μου. vid. 1 Thess. 1, 2. *quoties preces ad Deum fundo.* Praefero prius. Περι ὑμων, עליכם, quod proxime subsequentibus επι τῃ χαρ. etc. distinctius enuntiatur, vel ex pleonasmo i. e. q. ὑμων ἑνεκα 1 Thess. l. c. (*rücksichtlich Eurer*), vel voce περι pro ὑπερ posita, sibi vult *pro vobis*, vt vertit *Vulg.*, qui quidem vsus loquendi, rarior ille ap. Graecos, frequentior in scriptis N. T. veluti Rom. 14, 12. a Iudaeis Hellenist. fluxit, vid. Alexx. Exod. 8, 8. 14, 14. 2 Macc. 13, 14. Χαρις του Θεου, pro quo v. 7. ponitur χαρισμα, vt חן et חסד, h. n. *felicitas ipsa*, quam gratiae div. acceptam referimus. Χαρις ὑμιν δοθεισα igitur ex hebr. חן נתן sibi vult: *felicitas quae contigit vobis.* Του Θεου, pro αυτου. Paronomasiae causa ευχ. τ. Θ. επι χαρ. τ. Θ. iuncta esse videntur. Εν Χ. Ι. iunge cum δοθεισῃ, vt sit vel δια του Χριστου, *per doctrinam Christi*, vel δια τον Χριστον, *propter Christum*; nisi forte ὑμιν εν Χ. Ι. iunctim sumenda sunt pro: εξ οὑ εν Χ. Ι. (i. e. μαθηται Χ. Ι.) εστε, *quae contigit vobis, ex quo Christo nomen dedistis.* Sensus semper fere idem. Saepius

5 Χριστῷ Ἰησοῦ· ὅτι ἐν παντὶ ἐπλουτίσθητε ἐν

vero Ap. eadem amorem suum Christianis significandi formula vtitur in initiis epistolarum. cf. Rom. 1, 8. 9. Eph. 1, 16. Phil. 1, 3. Col. 1, 3. 1 Thess. 1, 2. 2 Thess. 1, 3. Philem. v. 4.

5. Ὁτι *siquidem*, *quandoquidem*. Πλουτιζεσθαι, i. q. alias περισσευειν, πλεοναζειν, *abundare*. cf. 2 Cor. 8, 7. 9, 11. 1 Thess. 3, 12. Εν αυτῳ, pro δι αυτου sc. Χριστου. Εν παντι, ex idiotismo Hebraeorum pro παντι, ut Eph. 2, 4. 1 Tim. 6, 18. Solent enim Graeci το πλουτειν potius connectere cum casu secundo aut tertio, sine praepositione. Supplendum autem vel χαρισματι, vt sensus sit hic: *liberalissime in vos collata sunt omnis generis beneficia*, vel, quod praetulerim, πραγματι omnino in sensum hunc: *omnibus rebus abundatis, ex omni parte diuites*, i. e. *beati praedicandi estis*. Iam, quae in vniuersum per εν παντι enuntiauit Ap. additis εν — γνωσει, vberius explicat, quasi scripsisset: δηλονοτι εν παντι λογῳ, κ. τ. λ. Hinc etiam repetita videntur παντι et πασῃ. Πας h. l. *perfectum* quiddam et *integrum* denotat. cf. ad Iac. 1, 2. Λογος και γνωσις. Illud de sanctae *facundiae*, hoc de *prophetiae* dono intelligi volunt *Beza*, *Grotius*, *Michaelis*, alii. cf. cap. 12, 8. et 14, 19. Sed vti donum illud haud tanti fecit Ap. vt eius primo loco mentionem faceret, sic etiam omnino de donis illis h. l. nondum sermo esse videtur. Quare equidem cum *Clerico*, aliisque interpr. λογον και γνωσιν, ex hebr. דבר et דעת pro synonn. habeam, h. l. inter se iunctis, ut *perfecta religionis chr. cognitio* expressa sit, qua Corinthii abundarent. Quod tamen non de omnibus sed de multis tantum intelligendum esse, ipsius epistolae contextus deinceps declarabit. Neque repugnauerim, si λογ. κ. γνωσ. cum *Rosenmüllero*, vt ἓν δια δυοιν, pro γνωσις παντος του λογου sumi malueris, vnde sensus prodit mere idem. Possis denique etiam εν λογ, κ. εν γν. accipere pro δια λογ. κ. δια γν. vt sensus totius commatis sit hic: *ex pleniori, quae vobis contigit, religionis chr. scientia, bona ac commoda quaeuis ad vos redundant*. Respexit Ap. fortasse aduersariorum criminationem, mancam esse eius institutionem et circa ima tantum subsistere. c. 3, 1. seqq. Ad quas vero argutias *Hammondus* in expli-

αὐτῷ, ἐν παντὶ λόγῳ καὶ πάσῃ γνώσει, (καθὼς 6
τὸ μαρτύριον τοῦ Χριστοῦ ἐβεβαιώθη ἐν ὑμῖν·)
ὥστε ὑμᾶς μὴ ὑστερεῖσθαι ἐν μηδενὶ χαρίσματι, 7

VARIAE LECTIONES.

6. κηρυγμα pro μαρτυριον habent 12. 67. in marg. (Sic interpretantur Chrysost. et Theodoret.)

cando hoc loco descenderit, vid. apud ipsum.

6. Καθως vel i. q. ὁτι v. 5. *quandoquidem* vel *postquam*. Act. 7, 17. Rom. 1, 28. Μαρτυριον, (pro quo et κηρυγμα exstat, vid. var. lect.) vt μαρτυρια, ex vocc. hebr. עדה et עדות, pro *legibus diuinis* et *doctrina* potissimum *iudaica* haud raro obuiis, 2 Reg. 11, 12. Ps. 132, 12. Ies. 8, 20, in N. T. cum cognatis μαρτυρεισθαι et μαρτυς, עוד et עד, ad *doctrinam christianam*, vt et h. l. transferuntur. cf. 2 Tim. 1, 8. 2 Thess. 1, 10. Ioh. 3, 11. 32. 33. vid. nos ad 1 Petr. 5, 1. Βεβαιοῦν proprie est *stabilire*, *ne labefactetur*; vnde metaph. *confirmare argumentis*, *auctoritate munire*. Hinc religio chr. *firmata esse* dici potest, tam *latae eius propagationis*, interitus metum non adferentis, quam *argumentorum*, quibus persuasio de eadem nititur, ratione habita. Praefero posterius propter nexum cum v. 7., vt sensus oriatur hic: *siquidem persuasio vestra de religionis chr. veritate ac praestantia firmissimis nixa argumentis, radices iam egit apud vos*; quasi scripsisset Ap. καθως το μαρτ. I. X. βεβαιως κατεχετε. cf. 2 ep. 1, 21. 22.

7. Ὡστε, *ita vt*, pendet ab εν παντι επλουτ. v. 5. quare et v. 6. vncinis muniri curauimus. Χαρισμα, (παν εκ χαριτος δοθεν), i. q. δωρον, *beneficium quoduis*, *quo homo christianus ornatur*, siue sit ex genere, quod putabatur, *miraculoso*, siue ex altero magis *vulgari*. Vid. *Koppe* exc. 5. in ep. ad Gal. Cogitauerimus h. n. de genere altero, ita vt μη ὑστερεισθαι εν μηδ. χαρισμ. i. sit q. paulo ante πλουτιζεσθαι εν παντι, *ne vllo quidem commodo* (e. c. intensioris omnium virtutum chr. studii, maiorisque animi tranquillitatis), *carere*, quod ex profitenda rel. chr. redundat. Απεκδεχεσθαι i. q. εκδεχεσθαι *exspectare*, alias, praecipue ap. Lucam, προσδοκαν, nam απο notionem verbi non auget, quam-

ἀπεκδεχομένους τὴν ἀποκάλυψιν τοῦ Κυρίου
8 ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· ὃς καὶ βεβαιώσει ὑμᾶς

VARIAE LECTIONES.

8. Pro βεβαιωσει habet βεβαιωσοι l. ap. *Matth.* — παρουσια pro ἡμερα tuentur DEFG. It. Ambrst. Cassiod. *in die aduentus.* Vulg. Pel. Beda.

quam in singulis locis, ob contextam orationem, vt et l. n. coll. Rom. 8, 19. per *exspectare cum magno desiderio* reddi potest. Αποκαλυψις (alias et επιφανεια, παρουσια) I. X. *aduentus I. C. ad iudicium extremum olim in regno suo inaugurando de hominibus habendum.* vid. ad v. 8. et ad 1 Petr. 1, 7. Iam vero cum *redituri olim Iesu exspectatio* ad *primarias* institutionis chr. doctrinas pertineret, ne quid detrimenti inde caperet dignitas eius Messiana, quod in hisce terris degens regnum suum nondum inaugurasse videretur, equidem verba απεκδεχ. — Χριστου, haud aliter ac ηγαπηκοτες την επιφανειαν αυτου 2 Tim. 4, 8. pro mera *Christianorum* periphrasi habuerim, atque circumscripserim per: εξ ου απεκδεχεσθε την αποκαλ. I. X. *ex quo Christiani facti estis.* Sed et vulgaris interpretatio, *praemiorum* potissimum, a I. C. olim redituro exspectandorum, notionem in formula αποκ. I. X. tenens, sensum satis commodum fundit hunc: *omnibus, quae nobis per rel. chr. in his terris contingere solent, beneficiis iam ita abundatis, vt et praemia illa futura secure exspectare possitis.* Sunt etiam qui αποκ. I. X. de *manifestatione I. C. quae per praedicationem euangelii facta sit*, intelligi ac απεκδεχ. per *recipere* reddi velint. Quod tamen neque cum vsu loquendi, neque cum nexu sententiarum conciliari potest, siquidem, si haec fuisset Ap. mens, non απεκδεχ. sed αποδεχ. scripsisset, praetereaque αποκαλ. hoc sensu nonnisi de reuelandis singularibus quibusdam doctrinis, iisque admodum occultis ac ope tantum diuina intelligendis, minime vero de totius religionis ambitu occurrit, vt taceamus, Corinthios non tunc demum, sed iam antea, rel. chr. recepisse.

8. Ὃς sunt, qui referant ad Ιησ. Χρ., tum quia in proxime superioribus commemoratur, tum quia et ipsius tutelae virtutis studium Christianorum saepius

ἕως τέλους ἀνεγκλήτους ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ Κυρίου

demandatur. Sed, quamuis vere haec moneantur, equidem tamen cum interpp. longe plurimis ὅς ad Θεος reuocandum esse nullus dubito, non tam quia, si ὅς ad I. X. spectaret, Ap. non εν ἡμ. Κυριου I. X. sed εν ἡμ. αυτου scribere debuisset, (nam et v. 4. Ap. verbis ευχαρ. τῳ Θεῳ modo pronuntiatis continuo subiungit επι τῃ χαρ. του Θεου, repetito, pro more Hebraeorum, ipso nomine loco pronominis), quam potius, quia inde a v. 4. ὁ Θεος is est, ad quem orationis *summa* refertur, (dum του Χριστου per occasionem tantum hic mentio fit), ac illico v. 8. ὁ Θεος iterum diserte commemoratur. Βεβαιωσει, ex hebr. optatiue sumendum. cf. var. lect. Ἑως τελους, quod etiam habes 2 ep. I, 13. vt εις τελος Matth. 10, 22. et μεχρι τελους Hebr. 3, 6. sc. του βιου, est: *vsque ad vitae exitum*, vel omnino, ex hebr. נצח, *semper*, αδιαλειπτως. Ανεγκλητος, vt ακατηγορητος, *qui in ius vocari nequit propter scelus manifestum*, *aut*, *vocatus*, *a iudice tamen absoluitur*, s. *Theodoreto* interprete: μηδεμιαν διδους αφορμην ευλογου κατηγοριας. *Alb.* gloss. N. T. ανεγκλητους· ανευθυνους, (ita etiam *Hes.*) απραγμονας, neque aliter *Suic.* quorum tamen vocc. neutrum inuenietur in N. T. Hinc, vt et h. l., *inculpatus*, *sceleris*que *purus* omnino, ac syn. voc. αμωμος, cui iungitur Col. 1, 22. Ἡμερα Κυριου s. Χριστου, 1 ep. 5, 5. 2 ep. 1, 14. Phil. 1, 6. 10. 1 Thess. 5, 2. 2 Thess. 2, 2., et ἡμ. εκειγη Matth. 7, 22. μεγαλη ἡμ. Iud. 6. ἡμ. εσχατη Ioh. 6, 39. 40. 44. 54. ἡμ. κρισεως Matth. 10, 15. vt et saepius παρουσια του Κυριου, (vid. var. lect.) sunt vocc. propria *tempori solenni*, *quo Christus ad regnum suum inaugurandum ac iudicium simul de hominibus habendum rediturus esse credebatur*. Quae quidem *reditus* Christi notio sic fere nata esse videtur: Licet Christus, regnum suum εκ του κοσμου τουτου futurum esse ingenue negans, Messiae Iudaeorum nomen et munus boni potissimum ominis instar in se translatum vellet, vt tandem aliquando esset, qui imaginarios imaginarii regis *terrestris* fasces tenere visus, Iudaeos a fallaci, qua caecutiebant et perniciosa, omnemque morum culturam somno sempiterno consopiente spe, in venturo Messia collocata, liberaret, tum vt fidem ipsorum sibi conciliaret, quam

9 ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Πιστὸς ὁ Θεὸς, δι' οὗ

VARIAE LECTIONES.

9. ὑφ' ἐν pro δι' ἐν D a pr. m. Ggr. Sed δι' Theodoret. diserte.

non esse putabant, quod vlli alii, praeter Messiam propediem venturum, praestarent; tantum tamen abfuit, vt in illo piae purioris-que virtutis regno, cuius fundamentum praeclara sua institutione Christus firmissimum posuerat, acquiescerent, vt Iesum Messiam eandem liberationem a Iudaeorum vexationibus, eandem commodam laborum et aerumnarum vacationem s. ἀνάψυξιν, easdem res prosperas ad nutum fluentes largiturum, eademque otia ipsis facturum esse exspectarent, quae Iudaei, Christianos prementes, pressi vero et ipsi graui grauium tyrannorum iugo, a suo Messia exspectauerunt. Neque tamen apostoli, tot documentis, ex sermonibus, factisque I. C. collectis, de dignitate Iesu Messiana persuasissimi, se eo leuitatis infirmitatisque abripi passi sunt, vt ob neglectam hanc regni inaugurationem, eum actutum in Pseudomessiarum numero ponerent; sed potius spe ad spem deuoluti, eum tanquam Messiam ad hanc regni inaugurationem, non neglectam illam quidem, sed dilatam, *denuo* venturum esse statuebant. Nec vero est, quod hanc apostolorum spem ex solo commentorum mere iudaicorum pede ac modulo metiamur, quippe quam et ex ipsius I. C. licet longe altioris indaginis, promissis, se in iterata sua παρουσιᾳ εν μεγαλῃ και επιφανει ἡμερᾳ την βασιλειαν των ουρανων inauguraturum esse (Matth. 24. et 25. Act. 2, 20.) concipere possent, quamque cum reliquis Christianis eo cupidius arriperent, quo magis inter recrudescentes in dies Iudaeorum insectationes eiusmudi solatio, ab instante reditu Messiae, omnimodam salutem allaturi, repetito indigerent. Exspectatio vero ea, *iudicium* potissimum, modo ipsi Deo vindicatum, modo Christo permissum, in reditu Christi habitum iri, quo digni, qui in regnum recipiantur, ab indignis segregentur, inde praecipue hausta videtur, quod Iudaei Iehouam vt summum *regem* suum, eumque, ne interiret, sed magis effulgeret pristinae, qua gloriabantur, theocratiae splendor, et regno Messiae, nonnisi Dei vicibus in hoc regno functuri, olim praefuturum spectantes, omnia iudiciis decre-

ἐκλήθητε εἰς κοινωνίαν τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ Κυρίου ἡμῶν.

tisque diuinis iudicialibus dirimi contendebant, quae nos soli voluntati atque prouidentiae diuinae tribuenda esse didicimus; praetereaque vel ipse mos regum, imperium ineuntium, eorumque, remotis hominibus apud defunctum regem gratiosis, nouos in gratiam adsciscentium, sicque iudicium quasi habentium, exspectationem illam iuvisse videri possit. Cf. *Koppii* exc. 1. in ep. ad Thess. *Keilii* hist. dogm. de regn. Mess. *Eckermann* theol. Beytr. Vol. II. p. 67 sqq. *Henkii* Magaz. Vol. I. p. 20. sqq. *Heinrichs* exc. ad Hebr. 1, 1. et progr. nostrum pentecost. de καιρῳ εσχατῳ. 1812. Iam vero verba huius commatis iungi possunt vel sic: ὁς βεβ. ὑμ. εις (pro εν) ἡμ. τ. Κ. ὡς ανεγκλ. ἑως τελ., quae est vulgaris interpretatio; vel sic: ὁς βεβ. ὑμ. sc. εν πιστει (2 Cor. 1, 21.) ἑως τελ., εις το ειναι ανεγκλ. εν ἡμ. τ. Κ.; vel denique, quod praetulerim, sic: ὁς βεβ. i. e. ὁς βεβαιως τηρησει (Iac. 1, 27.) ὑμ. ἑως τελ. ὡς ανεγκλ. εν ἡμ. τ. Κ. Sensus vero, semper oritur fere hic: *Vtinam vero per totam vitam ita virtuti studeatis, vt olim in die extremi iudicii,* (i. e. vbi iudaismum missum feceris, *in vita futura omnino*), *ne vllius quidem neglectae virtutis culpa in vobis haerere videatur.* In mentem etiam venit, Apostolum in voc. τελος de totius vniuersi, splendori videlicet regni Messiani inaugurandi, hominumque conditioni ex omni parte beandae, aetatique aureae tunc rediturae haud amplius congruentis, adeoque cum αποκαταστασει παντων (Act. 3, 21.) ac καινοις ουρανοις και γῃ καινῃ (2 Petr. 3, 13.) commutandi *fine* siue *interitu*, in reditu Christi euenturo, fortassis cogitantem, verba εν ἡμ. τ. Κ. ad voc. τελος explicandum addidisse, ita vt prope imminentis ac iamiam instantis (1 Petr. 4, 7.), quae in pluribus epistolis cernitur, diei illius exspectatio, huic loco subesse videatur; sed menti Ap., sperantis fore, vt Christiani sui ανεγκλητοι olim deprehendantur, *iudicium* magis, cuiusuis vitam moresque explorans, quam omnium rerum interitum obuersatum fuisse, probabile est.

9. Πιστος ὁ Θεος, באמן יהוה *fidus est Deus in promissis seruandis*, formula Paullo solennis. vid. 10, 3. 2 ep. 1,

10 Παρακαλῶ δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοὶ, διὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἵνα τὸ αὐτὸ

18. 1 Thess. 5, 24. 2 Thess. 3, 3. Hebr. 10, 23. Δι' οὗ (vel ὑφ' οὗ, vid. var. lect.) εκληθητε, *qui instituendos vos curauit in rel. chr., vt felicitatis olim in regno Messiano futurae, i. e. salutis aeternae, participes fiatis.* (vid. exc. 2. ad epp. Petr.) Quam quidem vocis καλεισθαι significationem et h. l. obtinere, satis apparet ex additis. εις — ἡμων, i. e. εις το ειναι ὑμας κοινωνους της ευδαιμονιας του υἱου αυτου. Iungendum videtur hoc comma cum praecedente fere sic: *quodsi vero per totam vitam in virtutis studio, ad religionis chr. normam conformato, perseueraueritis, certissime confidere potestis, Deum in servandis promissis fidissimum, qui vos ad hanc rel. adduxit, vobis, quos et ipsos filios suos declarauit, eandem olim felicitatem impertiturum esse, qua I. C., vt filius Dei, iam nunc gaudet.*

10 — Cap. IV, 21. Captata sic lectorum beneuolentia, Ap. jam I. de factionibus atque dissidiis ab ambitiosis graecanicae philosophiae jactatoribus, superstitiosisque Iudaeis in coetu Christianorum Corinthiaco, temere excitatis valde conquerens; doctrinae chr. sinceritatem atque simplicitatem aduersus hosce rel. chr. aduersarios ita asserere conatur, vt lectores, si fieri posset, ad rectam tam cogitandi quam agendi rationem reuocati, in pristinam rursus concordiam reducantur.

10. 11. Incipit Ap. a *cohortatione ad concordiam et pacis studium* omnino. Δε, est part. trans. *Nur bitte ich euch.* Παρακαλω — Χριστου, ex hebraismo satis trito, vel: *per Christum*, (vt sint obtestantis), vel *nomine Christi*, s. *ex auctoritate apostolica a Christo mihi concessa, vos obtestor.* i. q. παρακ. ὑμας εν Κυριῳ. Eph. 4, 1. Αδελφοι hic et v. 11. insertum esse videtur non sine emphasi fere hac: *vos, qui fraterno religionis vinculo inuicem iuncti, fraterne etiam conspirare debetis.* Το αυτο λεγειν, etiam *animorum*, ab omni partium studio alienorum, *mutuum consensum* inuoluit, vt i. sit q. το αυτο Φρονειν Phil. 2, 2. et ὁμοΦρονειν, συμπασχειν. 1 Petr. 3, 8. *Thucyd.* 6, 31. Βοιωτοι δε και Μεγαρεις το αυτο λεγοντες ἡσυχαζον. vbi *Schol:* την αυτην γνωμην εχοντες. Sic

λέγητε πάντες, καὶ μὴ ᾖ ἐν ὑμῖν σχίσματα, ἦτε δὲ κατηρτισμένοι ἐν τῷ αὐτῷ νοΐ καὶ ἐν τῇ

et ap. *Polyb.* vid. *Raphel.* Neque tamen repugnauerim, si hanc phrasin ad *sermonis* potissimum dissidium, ex ipsa sententiarum diuersitate oriundum, referre malueris. cf. v. 12. Tunc το αυτο λεγειν significet, quod nos dicimus: *Eine Sprache führen.* Eandem cohortationem Ap. iam iterum iterumque repetit, vnde apparet, quantopere haec ipsa concordia, inter Christianos reconcilianda, ei curae cordique fuerit. Και — σχισματα, *neque dissidia, studiorumque varietatem inter vos locum habere velim.* Σχισμα, quod praeterea legitur 11, 18. 12, 25. Ioh. 7, 43. 9, 16. 10, 19. vt σχισις (*Suid.* χωρησις,) σχισμη (*Hes.* διαχωρισις,) et in N. T. εριδες v. 11. διχοστασιαι, 3, 3. Rom. 16, 7. Gal. 5, 21. et αιρεσεις Gal. 1. c. quodlibet denotat *partium studium*, siue, vt *Grotii* verbis vtar, *ex placitis humanis vehementius defensis*, siue *aliunde oriri solitum.* Hoc nexu de dissidiis cogitandum esse videtur, inde potissimum oriundis, quod alii alios doctores praeferendos esse statuebant, vid. quae seq. Bene *Theodoretus* ad h. l. Ου δογματων αυτοις διαφοραν επιμεμφεται, αλλα την περι των προεστωτων εριν τε και φιλονεικιαν. Nos eodem sensu: *Spaltungen.* Veterum ecclesiae doctorum de *schismate* sententias *Suicerus* s. v. σχισμα collegit. Iam cum dissidia atque dissociationes σχισματα s. *scissuras* (Matth. 9, 16.) appellauerit Paullus, eadem nunc metaphora perrecturus, ad consociationem et concordiam Christianis commendandam eleganter verbo καταρτιζειν vtitur, quod proprie significat: *id, quod ruptum est, reficere, instaurare, concinnare, vt totum quippiam, ex omnibus partibus, apte inter se compositis, prodeat;* hinc metaph. *dissidentes ad mutuam gratiam reducere, diremtos inter se conciliare, ipsorumque turbas litesque componere:* ergo fere i. q. καταλλαττειν, 2 Cor. 13, 11. *Vulgat.* parum accurate vertit: *sitis autem perfecti*, sequutus tamen veteres, nam in *Alberti* gloss. p. 117. vox nostra redditur per τετελειωμενους. Cf. *Herod.* l. 5. Ἡ Μιλητος νοσησασα ες ταμαλιστα στασει, μεχρι ου μιν Παριοι κατηρτισαντο. τουτους γαρ καταρτιστηρας εκ παντων των Ἑλληνων ειλοντο οἱ Μιλησιοι. κατηλλαξαν δε σφεας ὡδε Παριοι. Plura dabunt

11 αὐτῇ γνώμῃ. Ἐδηλώθη γάρ μοι περὶ ὑμῶν, ἀδελφοί μου, ὑπὸ τῶν Χλόης, ὅτι ἔριδες ἐν ὑμῖν

VARIAE LECTIONES.

10. Pro γνωμη leg. γνωσει 2. Ed. *scientia*, It. Ambrst.

Raphelius et *Elsnerus*. Εν τ. α. νοϊ, κ. ε. α. γνωμῃ. Illud ad *fidem*, hoc ad *animi affectus* referri vult *Grotius*. Malim vtrumque pro synn. haberi, eo consilio inter se iunctis et verbo κατηρτ. additis, ne alia, quam *animorum* ac *sententiarum* concordia, αντιλογιας nescia, intelligatur. *Isocrat*. Archidam. Περι του δικαιου παντες την αυτην γνωμην εχομεν, περι δε του συμφεροντος αντιλεγομεν. vid. *Wetst*. Similiter et nos: *ein Herz und eine Seele seyn*. Verterim: *hortor vos, ne amplius in contraria scindamini, sed, vt fratres decet, in eamdem mentem et sententiam amice conspiretis!*

11. Χλοη (vt χλοα et χλοιη) proprie *herba virens*, vnde et Cereris epith., h. n. non vici, ad ditionem Corinthiorum pertinentis, vt suspicatur *Ambrosius*, sed, vt plura herbarum florumque vocabula, est *nomen mulieris* saepius obuium. Cressae cuiusdam puellae *Chloes Horatius* meminit, et supersunt elegantissima *Longi* pastoralia de amoribus Daphnidis et *Chloes*. Intelligenda hic esse videtur pia matrona e gentilismi tenebris ad lucem perducta. Ὑπο των Χλοης, *Beza*, atque *Bos* (ell. gr. v. οικειοι), cum *Syro*, Paullum supplendum reliquisse putant δουλων, s. οικειων, prouocantes ad loc. Rom. 16, 10. structura tamen a loco n. differentem; *Grotius* vero τεκνων vel υἱων suppleri vult, quae ellipsis omnino maxime est vulgata. Iam vero hi Chloes, s. liberi s. domestici, quinam fuerint, vbi degerint et quomodo Paulli familiaritatem sibi comparauerint, certo non constat. *Grotius* mortuae Chloes Corinthiensis *liberos*, *Michaelis* vero, quae probabilior videtur sententia, *servos* Chloes, quam *Ephesi* degisse arbitratur, intelligi vult, quippe per quos, cum forte mercaturae faciendae causa nuperrime Corinthi fuerint, Paullus de schismatibus illis certior factus sit. Quodsi enim Chloe in ipsa Corinthiorum vrbe vixisset, Paullum, per *seruos huius matronae*, illud sibi delatum esse, vix enunciaturum fuisse, existimat, quippe quo odium Corinthiorum in

εἰσι. Λέγω δὲ τοῦτο, ὅτι ἕκαστος ὑμῶν λέγει· 12
ἐγὼ μέν εἰμι Παύλου· ἐγὼ δὲ, Ἀπολλώ·
ἐγὼ δὲ, Κηφᾶ· ἐγὼ δὲ, Χριστοῦ. Μεμέ- 13

VARIAE LECTIONES.

12. λεγω δε τουτο praetermisit Chrysost. oratione ita postulante. — Κρισπου pro Χριστου conj. ap. *Bowyer.* ex v. 14. hausta, de qua vid. plura in prolegg. p. 26.

seruos hosce excitare potuisset: totum vero hoc comma eo consilio ab Ap. additum esse statuit, ne forte Corinthii, Stephanan, Achaicum et Fortunatum, qui tum, ab ecclesia Cor. et ipsi fortasse ablegati, apud Ap. commorabantur, huius indicii, Paullo facti, auctores esse, suspicarentur.

12. Iam pergit Ap. ad schismata illa paucis *describenda.* Λεγω δε τουτο, est formnla tam materiam paullisper interruptam iterum annectendi, Gal. 3, 17. quam, vt h. l. et Rom. 15, 8. distinctius atque expressius explicandi ea, quae in proxime superioribus paulo obscurius dicta erant, (quo sensu etiam apud bonos Graecos scriptt., Aristot. Polyb. Ioseph. aliosque occurrit, vid. *Raphel.* et *Kypk.*) ac respondet Lat. *nimirum, scilicet, iam vero.* Nos: *damit wollte ich so viel sagen; um mich deutlicher zu erklären; ich meyne.* Verterim: *Iam, quae in vniversum de schismatibus hactenus disputaui, de eo potissimum intelligi velim, quod etc.* Ἑκαστος, semel dicit Ap. ne sit quod formulas οὑτος μεν, αλλος δε, s. εἱς μεν, ἑτερος δε, saepius repetat. Λεγει, h. n. καυχαται, (3, 21) *gloriatur, alios despiciens.* Εγω μεν ειμι Παυλου. Tam in verbis his, quam in proxime sequentibus supplendum vel μαθητης vel μερους. Praetulerim equidem ellipsin posteriorem, quippe ex qua Ap. eo facilius in voc. μεμεριςαι incidere potuerit. Sensus est: *alii vestrum me Paullum, alii Apollo, alii denique, iique rectissime, Christum simpliciter se sequi dictitant.* Plura de hisce schismaticis, quos vocant, e quorum numero tamen eximendi sunt, qui se του Χριστου ειναι profitebantur, vid. in prolegg. pag. 18. sqq.

13 — Cap. III, 23. quae arcte inter se cohaerent, Paullus iam totus in eo est,

ρισται ὁ Χριστός; μὴ Παῦλος ἐσταυρώθη ὑπὲρ

VARIAE LECTIONES.

13. μη voci μεμερισται praemittunt 10. 39. 71. 73. Syr. Arr. Arm. Slav. Eus. quo magis interrogatio in oculos incurrat, in proxime seqq. per μη significata. Absque interrogatione 33. Alii. Quidam ap. Theodoret. Theoph. Ambrst.

vt hoc, quod modo descripsit, *partium studium, absurdum esse* demonstret. *Argumentum*, vnde omnis haec demonstratio v. 13. orditur, huc fere redit: *nemo, praeter Iesum, Christi personam sustinere, vobisque eadem beneficia impertire potest, quae Christo accepta refertis; vnde absonum esse apparet, si, spreto diuino hoc doctore, humani cuiusdam doctoris auctoritatem sequi velitis.* Μεμ. ὁ Χριστος; quidam, *Theodoreto* iam indicante, affirmatiue explicarunt, sed, insequentibus pluribus interrogationibus, plerique rectius interrogatiue sumserunt, (vid. var. lect.) et sic μεμ. ὁ χρ. pro η δυνατον εστι, μεριζεσθαι τον Χριστον; est ex interrogationibus vere oratoriis, argumentum ex absurdo petentibus, qualibus, cum indignatione enunciatis, contrarium validissime adfirmatur. Exempla *Valckenarius* huc adtulit. Μεριζειν vero, hebr. חלק et פרד, a μερος, quod a μερω, cuius loco frequentatum μειρω, proprie notat *in partes*, adeoque etiam *in factiones* (Matth. 12, 25) *secare*, et med. μεριζεσθαι, pro natura istiusmodi verborum, *partes sectas inter se partiri* Luc. 12, 13. in quem sensum Atticis scriptoribus νειμασθαι frequentatur. Iam quia partita et discernuntur, μεριζειν hinc etiam valet *discernere*, et μεριζεσθαι passiue *differre*, (cf. 1 ep. 7, 34. et Exc. V. ad istum locum), nec denique in Paulli, graeci idiomatis parum gnari, dicendi genere nouum nobis mirumque videretur, si μεριζειν et *multiplicandi* significatione, partitionis notioni tam vicina, adeoque pro πολλαπλασιαζειν seu πολλαπλασιον ποιειν vsurpasset. Χριστος vero sunt qui h. l. pro ipso *Iesu Christo* retineant, sunt vero etiam, qui, haud aduersante vsu loquendi, modo de *doctrina eius* modo de *ecclesia chr.* intelligi malint. Quae quidem vocabulorum μεριζειν et Χριστος significationum varietas et interpretationum l. n. varietatem peperit potissimum hanc: Veterum in-

ὑμῶν; ἢ εἰς τὸ ὄνομα Παύλου ἐβαπτίσθητε;

terpretum nonnulli Χριστος per εκκλησια, μεριζεσθαι vero per *discedere in varias sententias* reddentes, sensum constituunt sic: *num ecclesia chr., quae arctissime inter se coniuncta esse debet, in diuersas partes scissa est?* Contra *Grotius*, *Semlerus*, *Rosenmullerus*, *Vaterus*, *Bolten*, alii Χριστ. pro *doctrina s. re chr.*, μεριζ. vero pro *multiplicem esse* accipiunt, vt sensus oriatur hic: *num varia et multiplex est doctrina I. C.?* ita vt Ap. euangelium alibi aliud esse, negare videatur. *Elsnerus* denique, quem sequutus est *Wolfius*, verba μεμ. ὁ Χρ. ad proxime praecedentia εγω δε Χριστου referenda esse ratus, Χριστ. pro *ipso Christo* retineri vult sensu hoc: *qui integer integrae credentium familiae conseruandus erat, quique vniuersam ecclesiam, cum in terra, tum in coelo sibi, tanquam vni capiti, et inter se vt membra consociat, et coniungit, Eph. 1. 10., nunc in partes distrahitur, factionibusque inseruit?* Quae quidem rationes omnes, licet cum vsu loquendi non minus quam cum argumento v. 12. commode conciliari possint, minime tamen cum proxime sequentibus: μη Παυλος κ. τ. λ. cohaerent, ita vt inde a verbis his argumenti prorsus noui initium constituendum fuerit, quod tamen nulla idonea ratione instruitur. Quare nos quidem, siue voce Χριστος pro ipso *I. C.* retenta, iunxerimus atque reddiderimus ex significatione prima verbi μεριζ. sic: *num Christus* (quem iure sunt inter vos, qui, se ει μη του Χριστου ειναι profitentes, integrum sibi vindicent), *in partes secari potest, ita vt alia quasi eius pars ad aliam sectam referri possit, i. e. ita vt alii alium Christum esse profiteantur;* siue ex altero istius verbi significatu: *num discerni potest Christus sc. alius ab alio;* semper Paullum hac interrogatione negantem deprehendimus: *Christum multiplicari posse.* Ad sensum igitur quaestio sic capienda videtur: *num plures sunt, v. c. Paullus, Kephas, Apollo, quibus Messiae honos atque auctoritas competat, quibusque summa, quae Iesu debentur, beneficia accepta referatis et quos adeo Messiae instar, tanquam sectarum vestrarum capita veneremini? Minime, hic honos soli Christo competit.* Neque alium sensum inferre videtur scholion

14 Εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ, ὅτι οὐδένα ὑμῶν ἐβάπτισα,

ap. *Matthaei* sic habens: μη κοινωνους εχει της δεσποτειας και της εξουσιας ὁ Χριστος; Rectissime ad sensum *Schulzius: giebts mehrere Christusse?* Iam nunc verba μεμ. ὁ Χρ. non solum cum praecedentibus, sed etiam cum subsequentibus: μη Παυλος κ. τ. λ. intime conspirant, totumque hoc comma ad vnum idemque argumentum redit, supra iam interpretationi huius comm. praemissum. Μη — ὑμων; *quasi Paullus is esset, cuius morti salutem vestram debeatis?* (nam ad mortem quam I. C. in cruce oppetiit, Ap. omnium meritorum eius summam reuocare solet.) Η εις το ονομα Παυλου εβαπτισθητε; ex hebr. pro: η εις Παυλον εβαπτ. Rom. 6, 3. Gal. 3, 26. *num baptismo suscepto Paullo, velut nouae religionis auctori, obstricti, et quasi mancipati estis?* Nam βαπτιζεσθαι εις ονομα τινος, vel εις τινα, sibi omnino vult: *baptismo suscepto profiteri se discipulum alicuius.* vid. Matth. 28, 19. ibique interpretes, praecipue vero *Vitringae* obss. s. III, 22. vbi occasione h. l. varia parallela explanat. Eorum vero, quae Paullus hic ad *suos* potissimum asseclas et admiratores, (qui et ei Corinthi haud defuisse videntur), reprehendendos enunciat, facilis erat et ad reliquos doctores, eorumque male sedulos sectatores, translatio. Propterea vero, vt recte *Ambrosiaster, a se coepit, ne putaretur aliorum ideo refutare personas, vt suam commendaret.*

14—16. Baptismi v. 13. mentione facta, Ap. cogitando iam deuoluitur in sententiam hanc: magnopere se laetari, quod paucis exceptis, neminem baptismi ritu initiauerit, ne forsitan quis dicat, se idcirco baptizasse, vt nancisceretur, qui a partibus suis starent. Ευχαριστω τῳ Θεῳ, h. n. *vehementer laetor*, pro quo et nos dicere solemus: *gratias ago Deo*, me hoc vel illud haud fecisse. Κριςπος Act. 18, 8. αρχισυναγωγος fuisse commemoratur. Eundem vero et aduersarium Paulli, ac sectae cuiusdam caput fuisse, nec inde, quod Paullus ei, licet inter primos fuerit in vrbe Corinthi ad rel. chr. conuersos, salutem tamen in fine ep. non dixerit, nec ex loci nostri contextu, cum b. *Michaele* (Einleit. p. 1218.) colligere ausim. Omissae enim huius salutationis vna plures cogitari possunt causae, et ad locum nostrum

εἰ μὴ Κρίσπον καὶ Γάϊον· ἵνα μή τις εἴπῃ, ὅτι 15
εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα ἐβάπτισα. Ἐβάπτισα δὲ 16

VARIAE LECTIONES.

15. Pro εβαπτισα habent εβαπτισθη 10. 31. prob. Beza. — εβαπτισθην 46. qui etiam pro εις το εμον ονομα ex v. 13. substituit εις το ονομα Παυλου. — εβαπτισθητε A C a pr. m. 5. 6. 17. 37. 67. ex emendat. 71. 73. 74. 80. Copt. Sahid Syr. p. in m. Arm. Vulg. germ. Chrys. etiam in 2. 7. ap. Matth. (existimantem, vel hoc suspicionem mouere, Alexandrinum et Vulgat. ex Chrysost. interpolatos esse), Damasc. Ambrst. ed. et ms. Pel. Primas. Beda. *Semlero* primam scripturam ὅτι εις το εμον ονομα, verbo, quod statim ex v. 14. repeti potuisset, omnino caruisse, librariosque vario modo εβαπτισα, εβαπτισθη, εβαπτισθην, εβαπτισθητε suppleuisse statuenti, nos quidem, prostante nullo codice, qui l. n. absque *verbo* exhibeat, quo insuper omittendo hiulca euadit oratio, adstipulari non possumus, omnem potius lectionis, praeter genuinam εβαπτισα, varietatem e correctione librariorum oriundam esse suspicantes, qua cauere voluisse videntur, ne verbum εβαπτισα intra paucas lineolas quater occurrens, et l. n. ne vna quidem voce interiecta sese excipiens, aures, idiomati bene graeco adsuetas, offenderet. (Eadem ex causa et D F G, lectionem εβαπτισα v. 15. seruantes, eandem v. 16. cum βεβαπτικα commutasse crediderimus). Plurimos vero in ipsam formam ἐβαπτισθητε substituendam incidisse, mirum non est, cum eadem forma eodem nexu v. 13. legatur.

quod attinet, *Cajus* non minus ac Crispus, vtriusque enim eodem tenore mentio fit, pro aduersario Paulli habendus esset, in quem tamen eiusmodi suspicio cadere nequit. Noster potius, vti erat veri amantissimus, Crispi et Caii, a se baptizatorum exempla propterea tantum commemorasse videtur, ne omnino negaret, se vnquam baptizasse, quod in vniuersum negare non poterat. cf. v. 16. Γαΐος, non is, qui Act. 19, 29. et 20, 4. commemoratur, siquidem hic erat Macedo, Derbe natus, sed idem ille, cuius hospitio, secundum Rom. 16, 23. Corinthi non Ap. tantum sed vniuersa etiam ecclesia Corinthiaca vtebatur. Eundem postea ecclesiae Thessalonicensi episcopum praefuisse, *Origenes* refert, traditionem secutus.

15. Ἵνα — εβαπτισα. *ne quis vlla veri specie dicere possit, me id egisse, vt*

καὶ τὸν Στεφανᾶ οἶκον· λοιπὸν οὐκ οἶδα, εἴ τινα ἄλλον ἐβάπτισα.

17 Οὐ γάρ ἀπέστειλέ με Χριστὸς βαπτίζειν,

sectae cuiusdam caput declararer. Videntur itaque et propterea alii alios doctores sectati esse, prout alii ab aliis baptismi ritu initiati erant. (cf. var. lect.)

16. Δε, *quin immo*, h. n. *corrigit* negationem paulo ante positam, cuius quidem vsus exempla Raphelius ex Xenoph. et Polyb. collegit ad Hebr. 4, 15. Vert. *Sed nunc ipsum in mentem mihi venit, me praeter illos etiam* (και) *baptizasse* etc. Οικος, ex hebr. בית, *familia.* Στεφαναν, *Grotio* annotante, Graeci putant esse commentariensem *Philippensem, qui conuersus Corinthum immigrauerit.* Quod, si ita se haberet, mirum videri non posset, hunc virum Paullo v. 14. non statim in mentem venisse, nam nonnisi de hominibus a se baptizatis, qui tum temporis *Corinthi habitabant*, ei sermo erat. Cf. de hac *Stephan.* familia 1 ep. 16, 17. Λοιπον, pro κατα το λοιπον μερος, *praeterea.* Ουκ οιδα, iterum modestiae causa addit, quia fieri poterat, vt alii a se baptizati, aliunde Corinthum commigrassent. Ει quod saepius quidem apud Paullum obuium est pro ὅτι. (vid. *Viger.* de idiot. gr. l. 8, 6. 3.) h. n. pro *an* retinemus, vt incerti notionem inferat, *an* alium quempiam baptizasset. Εβαπτισα, sc. *eorum, qui nunc vrbem Corinthi inhabitant.* Similiter *Isocrates* alicubi: Ὡς ουκ οιδ᾽ ει τις αλλος πωποθ᾽ ἑτερος. Verterim: *praeterea, quod sciam, neminem baptizaui.*

17. — Cap. III. fin. Ante omnia hic nexus sententiarum circumspiciendus est. Ap. nimirum verbis ου γαρ απεστειλε με Χριστος βαπτιζειν, αλλ᾽ ευαγγελιζεσθαι causam addens, cur haud plures baptizauerit, hoc ipso verbo ευαγγελιζεσθαι adductus, iam ad infacundiae probrum, quod nonnulli ei obiecisse, et ob id ipsum partes eius deseruisse videntur, a se amouendum transit, probrum illud ipsum vero reticens, ne infesto erga Corinthios animo de hac re loqui videatur. Vtitur vero duobus potissimum argumentis. Alterum, quod v. 17 — Cap. II, 6. continetur, huc redit: *doctrina illa, de morte I. C. quae religioni chr. tanquam fundamentum subest, ea gaudet simplicitate, eaque*

ἀλλ᾽ εὐαγγελίζεσθαι· οὐκ ἐν σοφίᾳ λόγου, ἵνα

dignitate, vt ad eam tradendam, auditoribusque commendandam, prorsus non opus sit magna dicendi copia, verborumque exquisitorum ornatu; ergo non est, quod dicendi artem adhibeam. Alterum argumentum vid. Cap. II, 6. Per omnem vero hanc disputationem tam Iudaeos, nonnisi regni Messiani, eiusdemque terrestris, praedicationem, quam sophistas ethnicos, nonnisi artem sophisticam ab optimo quoque doctore publico exposcentes, simul perstringere non omittit. Plura de his sophistis in prolegg. p. 36 sqq. *Απεστειλε με βαπτιζειν*, pro *απ. μ. εις το βαπτ.* Sic verbis motum eundi, veniendi, mittendi, significantibus Graeci et Latini, non minus quam scriptores sacri, modum infinitiuum adiungunt v. c. *Herod.* 7, 208. *Eur.* Iph. Aul. 679. Ioh. 1, 33. Luc. 1, 19: 4, 18. 9, 2. ex ellipsi praepositionis *εις* cum articulo. Plene ita Paullus 1 Thess. 3, 2. coll. 2 Thess. 2, 11. Verba vero *ου — ευαγγελιζεσθαι*, *comparate*, vt aiunt, accipienda sunt. *Praecipuum negotium, ad quod peragendum Christus me ablegauit, non tam in baptizandis, quam edocendis hominibus, cernitur.* Baptismi enim munus quisque administrare poterat, sicut illi, a Petro conuersi in pentecoste, non omnes ab ipso fuerunt baptizati; at praedicatio res erat apostolis maxime digna, eademque ardua, et eximiam exigens sapientiam. Quare et Christus homines a se edoctos discipulis suis relinquere solebat baptizandos. De voc. *ευαγγελ.* vero vid. ad 1 Petr. 1, 12. Iam ad primum argumentum, supra prolatum, accedit pertractandum: negans hoc v. 17., se in tradenda rel. chr. magnum exquisitae eruditionis apparatum adhibere. *Ουκ*, pro *αλλ' ουκ* sc. *ευαγγελ.* *Σοφια λογου*, vel est ipsa *facultas oratoria* (siquidem omnis generis artifices periti a Graecis *σοφοι* appellari solebant, infra 3, 10.) vnde etiam *οἱ Σοφισται* nomen traxerunt; vel *σοφια λογου* s. *λογος σοφιας*, אמרי בינה, Prov. 1, 2. pro more Hebr. substantiua substantiuis adiungendi, vbi in aliis linguis adduntur adiectiua, positum est pro *λογος σοφος*, vel collectiue *λογοι σοφοι*, s. *σεσοφισμενοι* (2 Petr. 1, 16.) qui cap. 2, 13. dicuntur *διδακτοι ανθρωπινης σοφιας λογοι*, i. e. *oratio acute, et ad praecepta rhetorices composita, sententiarum, licet vanissimo, strepitu,*

18 μὴ κενωθῇ ὁ σταυρὸς τοῦ Χριστοῦ. Ὁ λόγος

demonstrationum subtilitate, verborumque venustate, tumore, et abundantia nitens, auresque auditorum permulcens, qualem vt in Sophistis admirabantur Corinthii, sic in Paullo desiderabant, et ab eo postulabant. cf. v. 22. Vid. etiam b. *Michaelis* in h. v. Verterim: *mein Religionsvortrag sollte aber nicht in scheinweisem Wortprunke bestehen.* *Storrio* vero et *Rosenmüllero* λογος est *ipsa doctrina*, habita *argumenti* ratione, quod quacunque demum ratione efferretur, plerisque Corinthiis parum commendabile visum sit, 2, 6. 8.; quapropter etiam ὁ λογος s. το κηρυγμα clare discernatur a *modo* rem divulgandi, s. a *verbis* (λογοις) quibus res enunciabatur. 2, 4. Sensum igitur hunc esse putant: nolui vero tradere *sapientem doctrinam*, i. e. non eam, quae hominibus sapiens esse videretur, doctrinam. Sed ευαγγελιζ. εν τινι pro ευαγγ. τι, me vsquam legere haud memini; de nexu vero sententiarum, qualis nobis quidem constituendus esse videtur, vid. ad vv. seqq. et ad 2, 1. Κενουσθαι, hebr. הריק, est *euacuari, vim suam atque dignitatem amittere*, h. n. per eloquentiam humanam, in subsidium vocatam. cf. 9, 15. 2 ep. 9, 3. Rom. 4, 14. *Hes.* κενωθῃ, ματαιος αποφανθῃ. *Theophyl.* αχρηστος και κενος ἑυρεθῃ. Ὁ σταυρος Χριστου, Gal. 6, 14. i. q. ὁ λογος ὁ του σταυρου v. 18. i. e. ex ellipsi, animaduertente *Abreschio*, in auctario obss. in Thucyd. p. 173. hic statuenda, ὁ λογος περι του θανατου I. X. εν τῳ σταυρῳ, vel ἡ περι του σταυρωθεντος Ιησου διδαχη, *doctrina illa de Christo mortem cruentam pro nobis in cuce perpesso*, quippe qua tanquam fundamento validissimo omnis praedicationis apostolicae innitebatur auctoritas, quamobrem etiam Ap. hanc potissimum doctrinam pro toto rel. chr. ambitu ponere solet. Sensus est: *ne doctrina ista, Iesum mortem salutarem in cruce perpessum esse, si facunde de ea disserere, eamque multo verborum circuitu suadere velim, vi sua priuetur, et suspecta euadat, quasi, in summa licet simplicitate et praestantia, graecanicae tamen illius eruditionis adminiculis indigeat, vt auditoribus sese probet.* Nos: *das hieſse der Kreuzeslehre etwas vergeben.* Ornari res tanta negat, contenta doceri!

18. Ap. iam του λογου του σταυρου, quem absque omni

γὰρ ὁ τοῦ σταυροῦ τοῖς μὲν ἀπολλυμένοις μωρία ἐστὶ, τοῖς δὲ σωζομένοις ἡμῖν δύναμις Θεοῦ ἐστι.
Γέγραπται γάρ· ἀπολῶ τὴν σοφίαν τῶν σο- 19

dictionis ornatu a se tradi affirmauit, v. 17. mentione facta, sententiam annectit hanc: permultos vero hac ipsa doctrina de I. C. cruci affixo valde offendi. Γαρ, pro δε. Απολλυμενοι, *miseri, perditi*, i. e. απιστοι, *increduli*. Sic etiam σωζομενοι, *felices*, vi oppos. απολλ., nil aliud quam πιστευοντες. Rem nimirum Ap. ex effectu denotauit. Plura de voc. σωζειν cum cognatis, vid. ad c. 7, 16. Μωρια εστι, pro μωρος φαινεται, s. δοκει ειναι, *stulta, insipiens*, *adeoque fide indigna iis haec doctrina videtur*, nimirum quia non illa, quam adamabant, σοφια in ea cernebatur. Similiter *Thucyd*. 5, 41. Τοις δε Λακεδαιμονιοις το μεν πρωτον εδοκει μ ω ρ ι α ειναι ταυτα. Δυναμις εστι h. e. διδαχη εστι. δυναμενη σωζειν αυτους, Rom. 1, 16. vel δυναμιν θειαν παρεχει *ad bene beateque vivendum*, quatenus scil. vim eius atque virtutem in animo emendando et confirmando experiuntur saluberrimam. Sensus igitur est: *quamuis absurda haec doctrina miseris illis videatur, qui eam vix dignam censent, quam amplectantur; ii tamen, qui, saluti suae consulere cupientes, eam approbant, vim eius diuinam ad felicitatem consequendam, experientur.*

19. Argumenti v. 18. exornandi causa prouocat Ap. ad locum Ies. 29, 14. in quem ex affinitate vocabulorum απολλυμενοι v. 18. et απολω, a quo orditur effatum prophetae, cogitando incidisse videtur, qui tamen neque cum textu hebr. neque cum versione Alex. consentit, siquidem ille exhibet תסתתר, quod haec per κρυψω, Paullus vero per αθετησω extulit, quasi אסתר legendum sit. Cf. *Koppe* exc. 1. in ep. ad Rom. Locus ipse vero nexu suo ap. Iesaiam comminationem continere videtur, vanam olim apparituram esse sapientiam eorum, quibus caecutiens Iudaeorum gens, spreta lege diuina, spretisque veris prophetis confidat, ita vt omni tunc consilio, omnique opera sese destitutam sentiat. cf. S. V. *Gesenii* comment. in Ies. Iam Ap. allegando hoc loco nihil amplius significare voluit, quam: de sapientia sophistarum inter Corinthios idem valere, quod propheta olim

φῶν, καὶ τὴν σύνεσιν τῶν συνετῶν ἀθετήσω.

de sapientia pseudoprophetarum sui aeui pronuntiaverit. Hinc σοφια των σοφων et συνεσις των συνετων, quae quidem formulae synonymae parallelismi et paronomasiae causa inter se iunctae comparent, hic ex mente Paullina ad *subtiliorem* istam *argutiis refertam ac inanem sophistarum eruditionem*, de qua insolentius se iactabant, doctrinae chr. simplicitatem pro nihilo putantes, cogitando transferenda sunt. De σοφιᾳ των σοφ. ad *graecanicam* istam *sapientiam* referenda, vid. ad v. praeced. et in proll. p. c. Neque aliter sumenda ἡ συνεσις τ. συνετ. Nimirum συνεσις a συνιημι (vt ανεσις ab ανιημι, αφεσις ab αφιημι), proprie est *commissio*, cum vnus cum altero mittitur ad aliquid expediendum. Hinc ad *iudicandi* vim transfertur, quippe ad quam exercendam requiratur, vt res diuersas in mente inter se committamus et comparemus sic, vt inde iudicium prodeat. Amplificata denique verbi potestate συνεσις *intelligentiam* in genere (cf. *Aristot.* polit. 8, 7.) et *prudentiam* denotat, ac synon. est cum σοφια vt συνετος cum σοφος, vnde et Alex. συνεσιν adhibent pro בִּינָה, דַּעַת, חָכְמָה, שֵׂכֶל, תְּבוּנָה, et טַעַם, ac συνετος pro חָכָם, מַשְׂכִּיל, נָבוֹן, מֵבִין et עָרוּם, (cf. *Frommium* atque *Bielium*), ac συνεσις και σοφια iunctim occurrunt Col. 1, 9. 2, 2. 2 Tim. 2, 7. *Hes.* συνεσις· νοησις. Iam σοφιαν istam και συνεσιν Deus dicitur αθετειν, a θεω *pono*, indeque θετος *positus*, et αθετος *non positus*, vel *male positus*, (nos: *unstatthaft*), vnde αθετειν, (oppos. τῳ· ευθετειν), *loco suo mouere*, qua quidem significatione propria Grammatici saepe leguntur in scholiis ad Homerum aliosque poetas, versus e carminibus αθετουντες, i. e. *reiicientes tanquam spurios*, seu *a mala manu poetae suppositos*. Hinc αθετειν, quod *Casaubonus* nusquam frequentius, quam ap. *Polybium*, reperiri contendit, ex quo etiam *Raphelius* loca nonnulla ad Matth. 7, 9. transscripsit, est *irritum et vanum reddere* ac *declarare*, (*für unstatthaft erklären*), quia nonnisi ευθετα vi et efficacia pollere possunt, qua significatione hebr. הֵנִיא respondet ap. Alex. Ps. 33, 10., sensu igitur non differt a parall. απολῶ. Iam totum effatum sic explicari voluisse videtur Ap.: *vti olim vates*,

Ποῦ σοφός; ποῦ γραμματεύς; ποῦ συζητητὴς τοῦ 20

tanquam consiliorum div. interpres, sapientiam eorum, qui se sapientes autumant, vanam esse declarauit; sic et vana atque inanis sophistarum vestrorum, tantis laudibus celebratorum, sapientia ex iudicio div. nihil existimanda est, vnde summa sententiae Paullinae prodit fere haec: *nulla humana sapientia talem viam ad veram salutem moralem perueniendi explorari posse, qualem monstret religio Christi.* cf. v. 20.

20. Sensus effati Iesaiae modo expositi iam transfertur ad rem praesentem, ratione tamen alius eiusdem vatis loci, habita, qui exstat c. 33, 18. Bene *Grotius, Rosenmullerus*, alii, comma nostrum παρῳδιαν huius effati Ies. vocant, siquidem in magna licet consequutionis et dilectus verborum similitudine in vtroque loco conspicua, tanta etiam cernitur nexus, dicendi formularum et sententiae varietas, vt Ap. hunc locum *allegare* voluisse, vix mihi persuadere possim. Quantopere autem veterum interpp. nonnulli in l. n. cum sensu verbisque laudati prophetae effati conciliando ingenia defatigauerint, qui scire cupierit, adeat *Wolfium* in h. l. Vocc. σοφος, γραμματευς et συζητ. τ. αιων. τ. interpretes sat multi distinguunt sic: Σοφος restringi volunt ad *philosophiae moralis*, (cuius pater inter gentiles Socrates fuit), *doctores*, quippe qui ap. Graecos κατ' εξοχ. *sapientes* illo tempore dicti fuerint. Γραμματεις denotare perhibent, quos Graeci veteres potius nuncupauerint γραμματικους, h. e. *in scriptoribus vetustis exercitati, historiarum, legum, rituum antiquorum scientes*, quales, teste *Suetonio*, Romanis *literati* dicebantur, ludimagistros infimi subsellii vocantibus *literatores*. (Francogalli: *hommes de lettres.*) Συζητ. τ. αιων. τ. denique pro *philosophis physicis* sumunt, (quales fuere e. g. Empedocles, Democritus, Anaximenes, alii), qui *Ciceroni* audiunt *speculatores venatoresque naturae*, quosque Paullus *subtiles de rebus naturalibus* (περι του αιωνος) *disputatores*, et quorum eruditionem, obseruante potissimum *Valckenario*, σοφιαν του κοσμου commode et significanter vocare potuerit, cum etiam toti fuerint in contemplando ουρανω, qui auctore *Platone* in Polit. κοσμος vocatus sit.

αἰῶνος τούτου; οὐχὶ ἐμώρανεν ὁ Θεὸς τὴν σοφίαν

Iam cum triplex hoc virorum eruditorum genus vt Athenis, sic etiam in amplissima Corinthi ciuitate, Graeciae lumine, reperiretur, multis interpp. *Grotii* sententia arrisit, existimantis, Paullum hic designasse et notasse *artium professores Corinthiacos*, vanissima scientiā inflatos, *philosophosque* potissimum *morales*, *physicos*, et *veterum literarum peritos* prouocare voluisse, vt sua singuli commenta ad sanctam *Christi* disciplinam diligenter compararent lucemque agnoscerent, ad quam etiamnunc caecutiebant. Sed vti vox γραμματευς nusquam a Paullo pro ipso *grammatico philosopho* vsurpatur, sic etiam του αιων. τ. non solum ad συζητ., sed etiam ad σοφ. et γραμμ. pertinere videtur, (vid. infra), vt taceamus, τον κοσμον pro *solo coelo* in N. T. non occurrere, nec denique in promtu esse rationem, cur Deus ipsam σοφιαν τ. κοσμ., siue, ex interpretatione prolata, scientiam eorum philosophorum, *qui in coelo obseruando occupantur*, neque etiam scientiam philosophorum *ethicorum* et *grammaticorum* pro stulta declarauerit. Quare vel σοφ., γραμμ. (oppos. τοις αγραμματοις, *illiteratis*, Act. 4, 13.) et συζητ. vt synn., ad virorum *doctissimorum* notionem eo penitius exhauriendam cumulata, sumimus pro *viris eruditione insignibus omnino*, in quocunque demum scientiarum genere excellant, quo sensu et Matth. 23, 34. voces προφηται, σοφοι κ. γραμματεις iunctae videntur, vel σοφους, i. e. *sapientes* seu *eruditos omnino*, mox a Paullo distributos esse censuerimus in γραμματ. et συζητ., i. e. in eruditos inter *Iudaeos* et inter *ethnicos*, cum Ap. non minus illos quam hos notare voluisse, vel ex v. 22. appareat. Iam nunc γραμματεις, ספרים, ex solenni vsu loquendi sunt illi *legis diuinae*, *Iudaeis traditae*, *et traditionum doctores atque interpretes*, quos *theologos Iudaeorum* dicere possis; συζητ. vero, i. e. ζητουντες περι τινος συν τινι vel προς τινα, *qui subtiliter et ad leges de omni doctrinae genere disputare possunt*, Hebraeis דרשים dicti, (vnde *commentaria mystica et allegorica in s. s.* dicuntur מדרשים, et *schola iudaica* seu *academia* בית מדרש οικος συζητησεως vocatur), *sophistae* esse videntur, οἱ λογισμοις και ερευναις τα παντα επιτρεποντες, vt ait *Oe-*

τοῦ κόσμου τούτου; ἐπειδὴ γὰρ ἐν τῇ σοφίᾳ 21

cumenius, quibus abundabat Corinthus. Phrasis vero του αιων. τ. non minus ad σοφ. et γραμμ. quam ad συζητ. referenda est, nam cum statim de σοφια του κοσμου, quae eadem est cum σοφια του αιωνος τ. 2, 6., sermo sit, ratio non adesse videtur, cur του αιων. ad solos συζητ., neque simul ad σοφους, adeoque etiam ad voc. intermediam γραμμ. trahi debeat. Iam σοφ., γραμμ. κ. συζητ. τ. αιων τ., prouti voc. αιων, עולם, siue pro χρονος παρων, ενεστως, (עולם הזה), siue pro κοσμος et inprimis pro ανθρωποι πονηροι εν τω κοσμω accepe-ris, (vid. *Koppe* exc. 1. in ep. ad Gal.), vel sunt *eruditi hoc aeuo viuentes*, vel *eruditi peruerso aeui genio conformes*. Praefero posterius, quia sequitur σοφια του κοσμου, quae et ipsa σοφια τ. αιωνος τουτου vocatur c. 2, 6. Cf. etiam Luc. 16, 8. et 20, 34. nisi forte, quam rationem reliquis praestare putauerimus, phrasis nostra ex ipsis his aliisque locis inter se collatis, notionem potissimum eius *quod a societate et coetu Christianorum alienum est*, (*was aufserhalb des christl. Kreises liegt*), inuoluere videtur sensu prodeunte hoc: *vbinam sunt, si a doctoribus rel. chr., et omnino a Christianorum coetu recesseris, homines vere sapientes, ac vere docti* (emphasis in vocc. σοφ. γραμ. et συζητ. latere videtur), *inter Iudaeos Graecosque, qui tot homines ad tantam probitatem, animique tranquillitatem perduxerint, quot et ad quandam nos per sermonem crucis?* Suppl. *nullibi profecto tales deprehendes.* Ουχι — τουτου. Hic Paullus σοφιαν non minus quam paulo ante σοφους *generatim* intelligi vult, vnde et hic de σοφια tam των γραμματεων quam των συζητ. cogitandum est, quos exemplorum seu specierum tantum instar in proxime superioribus commemorauerat, ita vt non esset, quod praeter σοφιαν et των γραμματων και συζητησεων disertam iterum mentionem faceret. Σοφια τ. κοσμ. τ. vero i. q. σοφ. τ. αιων. τ. *sapientia humana*, i. e. *omnis sapientia praeter christianam.* vid. nos ad Iac. 1, 27. Μωραινειν, vt hebr. סכל s. הסכיל et בער, est *stultitiae conuincere*, h. n. *rem quandam superfluam nulliusque pretii esse declarare.* Iam vbi Deus doctrinam philosophorum pro stulta declarasse dicitur, id quidem eo effecisse putandus est, quod longe praestantiorem I. C. doctrinam

τοῦ Θεοῦ οὐκ ἔγνω ὁ κόσμος διὰ τῆς σοφίας

hominibus tradendam benigne curauerit, vid. v. 21. Sensus est: *omnis philosophorum haud christianorum doctrina, comparatione facta cum doctrinae I. C. praestantia et ad bene beateque viuendum efficacia, vt otiosa euanescit.* Bene *Chrysostomus:* μωραν εδειξεν ουσαν προς την της πιστεως καταληψιν. cf. v. 25.

21. Comma hoc arcte cohaeret cum v. 20. *Pro stulta declaratam esse a Deo omnem* σοφιαν τ. κ. Ap. ibi declarauerat; quod, *quomodo factum sit*, nunc addit comm. hoc, nimirum: *doctrina longe praestantiore cum hominibus communicanda.* Ordo verborum huc reuocandus esse videtur: επειδη ὁ κοσμος δια της σοφιας ουκ εγνω τον Θεον εν τῃ σοφιᾳ του Θεου vel αυτου. Quod autem Ap. a verbis εν τῃ σοφ. τ. Θ. periodum inchoauit, et in fine loco σοφια αυτου repetere maluit σοφ. του Θεου; id quidem fecisse putandus est ad vim sententiae augendam, praecipue ad *vere diuinam altiorisque indaginis* sapientiam designandam. Επειδη, יען, יען אשר, pro *postquam* seu *nam* ex solenni vsu loquendi retinemus. Κοσμος, *homines non christiani* (vid. supra) iique h. n. *tales*, *qui sibi aliisque sapere videbantur.* Ουκ εγνω, *cognoscere non poterat.* Τον Θεον εν τῃ σοφ. τ. Θεου, pro τον Θεον κατα την σοφ. αυτου, s. simpliciter την σοφ. τ. Θ. quam non tam cum interpp. de sapientia div. omnino, *in operibus eius conspicua*, quam potius ex nexu de sapientia intellexerimus, *quae in hominibus religione duce ad piam virtutem eiusque vlterioris, perfectionis moralis, finem obtinendum perducendis cernitur.* Δια τ. σοφιας, *adhibito omni ingenii acumine, ac eruditionis, quam somniabant, apparatu*, siue (δια ex hebr. ב praef. pro εν) *in summa licet, de qua gloriantur, sapientia*, vel, vt mauult *Schulzius*, ironice haec verba sumens, *prae sapientia (vor lauter Weisheit).* Sensus semper idem. Ευδοκ. ὁ Θεος σωσ. quod graece audiret εδοξε τῳ Θεῳ, est constructio ex hebr. רצה יהוה cum infin. vt Luc. 12. 32. in qua solius *voluntatis* seu *beneuolae* voluntatis notio tenenda est, perinde ac si scripsisset Ap. ὁ Θεος κατα την ευδοκιαν αυτου εσωσε, *Deo, pro benignitate sua, visum est.* cf. Rom. 15, 26. Gal. 1, 15. Col. 1, 19. *Suid.* ευδοκειν· συγκατατιθεσθαι. *Phauor.* ευδοκησα και το εθελησα, και

τὸν Θεὸν, εὐδόκησεν ὁ Θεὸς, διὰ τῆς μωρίας τοῦ

το αρεσκομαι. Κηρυγμα et κηρυσσειν v. 23. vnde mutuati sint N. T. scriptores et quid sibi velint, ex ministerio των κηρυκων intelligitur. Κηρυκες nimirum antiquissimis temporibus (non item recentioribus, quibus, rebus Graecorum florentibus, vile euasit praeconum ministerium, cf. *Duport.* ad Theophr. p. 311 sq.), regum et virorum principum comites erant, quorum persona, vt etiamnum legatorum est, sancta et inuiolabilis erat; vnde *Eustath.* ad Il. α. ασυλοι ησαν εις το παντελες οἱ κηρυκες, οἱα Θεων γενος νομιζομενοι. Achilles, inexorabilis erga Agamemnonem, cum honore tamen tractat legatos illius vt Διος αγγελους, ηδε και ανδρων Il. α. 334. qui et ipsi Δι φιλοι dicuntur, quia regum (των διων et διογενων) intimi erant consiliarii et administri, Il. θ. 517. Hi rebus sacris intererant, sacrificia moderabantur, populi concionem conuocabant atque in illa dicturis auctoritate sua faciebant audientiam. Adhibebantur ad foedera et inducias, etiam ad bella indicenda. In ludis publicis et certaminibus non solum nomina et munia singulorum proclamabant, sed etiam victoribus βραβειον adiudicabant. etc. vid ad 9, 27. Hinc, praecipue vero ex vsu loquendi Hebr., ex quo prophetae, et ipsi pro auctoritate, qua pollebant, diuina, modo reges modo populum, vel commonendo, vel suadendo, vel comminando, non suffocata sed alta voce concutientes et ex somno morali excitantes קראים dicebantur, κηρυξ cum vocc. cognatis ad *religionis chr. institutionem et doctores* in N. T. transfertur ita, vt κηρυγμα, קריאה, i. sit q. ευαγγελιον, (vnde etiam Patres dixerunt κηρυγματα ευαγγελικα. vid. *Suic.* T. II. p. 99.) κηρυσσειν q. ευαγγελιζεσθαι, et κηρυξ. q. ευαγγελιστης, διδασκαλος, αποστολος, (vnde 2 Tim. 1, 11. κηρυξ και αποστολος vt synn. inuicem iunguntur), inhaerentibus tamen semper hisce vocibus *auctoritatis diuinae*, qua apostoli, vt legati Messiae s. regis diuini praediti erant, et παρρησιας inde oriundae, notionibus. Μωρια του κηρυγμ. pro κηρυγμα μωρον (vid. ad v. 17.) idque sic dictum κατα το φαινεσθαι, non κατα το ειναι, adeoque i. q. κηρυγμα μωρον λεγομενον, *doctrina, quae splendidae eruditionis ornatu destituta, insipiens vocatur ex stulta hominum persuasione*, cui

22 κηρύγματος σῶσαι τοὺς πιστεύοντας. Ἐπειδὴ

hac denominatione simul illuditur. cf. 2, 14. Πιστευοντες sc. τῳ κηρυγματι h. n. sensu latiore: *qui religionem chr. amplectuntur, eique morem gerunt.* vid. *Koppii* exc. 6. in ep. ad Gal. Σωσαι, *ad meliorem mentis statum transferre, adeoque ad veram salutem, inprimis in regno Meſſiano morali futuram,* (κατ' εξ. ἡ σωτηρια dici solitam), *perducere.* vid. infra ad 7, 16. nec non ad 1 Petr. 1, 5. Sensus iam prodit hic: *nam quia philosophi vestri, in summo licet, quem sibi arrogant, eruditionis iudaicae et graecanicae apparatu, sapientissimum Dei consilium de hominum pietate atque salute verae religionis beneficio promouenda, non explorarent; Deus, quae est benignitas eius, ipsa religionis chr. doctrina, quamvis insipiens ipsis videatur, homines ad bene beateque viuendum perducendos curauit, qua re simul,* id quod ex comm. proxime superiori supplendum est, *omnem του κοσμου σοφιαν pro stulta declarauit.* Alii vero, quos et *Krausius* sequutus est, επειδη pro *quamvis* arripientes, et σοφιαν τ. Θ. ad sapientiam div. in propagatione potissimum rel. chr. reuocantes, sensum constitui malunt sic: *quamuis homines sapientiam Dei in propaganda rel. chr. non agnoscunt, tamen Deo placuit* etc. Sed merito dubitandum est, an επειδη hanc significationem vllibi, praecipue h. n. obtineat, vbi mox v. 22. *causae* addendae gratia repetitur; neque etiam videmus, vndenam ipsa sapientia div., quatenus in *propaganda* potissimum rel. chr. se conspiciendam praebet, aliquo iure huc transferatur.

22. 23. Ratio additur, cur doctrina chr. tot Iudaeis atque ethnicis stulta videatur. Σημειον, quae sana habenda videtur lectio, (vid. var. lect.) vt hebr. אות, saepe, in scriptis tam sacris quam profanis, est *miraculum.* Iam interpp. vel σημεια legendum, vel σημειον collectiue sumendum esse rati, verba επειδη — αιτουσι sic intelligi volunt: *ita enim fere fert Iudaeorum ingenium, vt miraculis*, praecipue iis quae circa res coelestes conspiciebantur, *oculos pascere ament*, rem ipsam haud curantes, miraculorum ope declarandam confirmandamque. cf. de hac σημειομανιᾳ Matth. 16, 1. 2. Marc. 8, 11. Luc. 11, 29. Ioh. 6, 30. Sed

καὶ Ἰουδαῖοι ~ σημεῖα αἰτοῦσι, καὶ Ἕλληνες σοφίαν

~ σημεῖον.

VARIAE LECTIONES.

22. σημεια pro σημειον habent A B C D E F G 46. 52. 63. 80. Ed. Syr. vtr. Erp. Copt. Vulg. It. Clem. bis Cyr. Chrys. (etiam in Matth. 2.) Theodoret. Socrates. Theoph. in comment. (etiam in textu Matth. i. et in scholio codicis Matth. d.) Oec. in comment. semel. Tert. Cypr. Hilar. Ambrst. Aug. Alii. Magna, sine dubio, horum testimoniorum vis est atque auctoritas, quare et *Griesb.* hanc lectionem in textum recipere haud dubitauit. Cum tamen lectio vulg. σημειον et ipsa codicum longe plurimorum, eorumque haud spernendorum auctoritate nitatur, simulque explicatu diffi- cilior compareat, siquidem vocis nostrae forma singularis non qua- drat ad σημειομανιαν Iudaeorum, ad quam significandam l. n. trahi solet; nos quidem, probb. Mill., Wetst., Matth., Eichhorn., Va- ter., lectionem Griesb. σημεια cum vulgari σημειον commutandam esse censuerimus.

ratiocinium Paullinum pe- nitius inspicientibus aliena apparebit ab h. l. *miraculi* mentio. Nam licet non mirandum fuerit, Iudaeos contumaces a Iesu, *primum* in publicum prodeunte, mi- racula pro aeui istius ge- nio desiderasse, quibus auctoritatem suam div. ip- samque, quam traderet, doctrinam corroboraret; mi- nime tamen Iudaeos, prae- cipue Corinthi degentes, vbi a sophistis, omnia ar- gutiarum subtilitate erui, probari ac confici posse persuasis, miracula sper- nere magis quam expetere discerent, tum a Paullo, temporis intercapedine recte spectata, vllo iure noua petituros fuisse, probabile est. Neque praeterea vide- mus, cur non Paullus, ad ipsam illam Iudaeorum ση- μειομανιαν eo distinctius de- notandam, eos σημεια po- tius quam σημειον αιτουντας vocauerit. His rationibus moti recentiores interpp. vt S. V. *Eichhornius*, *Schul- zius*, *Valckenarius*, alii, σημειον *insigne quid* signi- ficare, idque referendum esse consentiunt ad *Messiam heroa insignem*, qui, ex prae- concepta Iudaeorum opinio- ne atque exspectatione, olim non sine pompa ac gloria appariturus, eos iugo Ro- mano liberaret, liberatos- que omnibus seculi aurei bonis cumularet, qualem vero Iudaei aeui Paullini, spreta luce noua in tene-

23 ζητοῦσιν· ἡμεῖς δὲ κηρύσσομεν Χριστὸν ἐσταυ-

bris antiquis caecutientes non sanequam inueniebant in Meſſia cruci suffixo, cuius ignominia potius absterriti, simplicitate disciplinae christ., praecipue Paullinae, omnia ad hanc ipsam Messiae mortem reuocantis, quae σκανδαλον ipsis exhibuit, abalienati sunt. Iam nunc vltro apparet, cur Ap. non σημεια sed σημειον dixerit, recteque opponitur το σημειον, *viri insignis* significatione, τῳ Χριστῳ εσταυρωμενῳ, vt et το σημειον του υἱου του ανθρωπου Matth. 24, 30. i. e. *pompa insignis* qua *Messias* apparitarus erat, interpretationem prolatam mirifice iuuare videtur. Hinc Iudaei hic *insigne quid*, h. e. *Messiam insignem desiderare* dicuntur, *qui mentem feriret admiratione*, quibus iam nunc gentes opponuntur, nonnisi ornatis verbis expressam sententiam desiderantes. Ἑλληνες, obseruante *Hudsono* ad Thucyd. I. c. 3. dicebantur, qui antiquam Helladam incolebant ipsis Hellenis temporibus; cum autem Hellenis posteri admodum numerosi et potentissimi in omnes fere totius Graeciae ciuitates eduxissent colonias, inde factum est, vt, qui ex genere Hellenico per totam Graeciam dispersi fuerant, Ἑλληνες dicerentur, et, vt caeteris Graeciae incolis immixti magis magisque praeualuissent, circa primam Olympiadum celebrationem, hoc Ἑλληνων nomen pro communi omnium Graeciae incolarum agnosceretur. Graeci ipsi vero, *Valckenario* ad l. n. monente, totius vniuersi incolas in duas classes distinguebant, in Ἑλληνας και Βαρβαρους, i. e. in *graece loquentes*, et *alia lingua vtentes*, Graecis non intellecta (αλλογλωσσους); quamquam procedente tempore voci Ἑλλ. et *hominum mitioris ingenii et omni humanitatis disciplina excultorum*, quales Graeci euaserunt, vt voci Βαρβ. simul *hominum rudium et incultorum* notio inhaesit. vid. ad 1 ep. 14, 11. Postea temporis, quando Iudaei, inter Graecos habitantes, praesertim in Aegypto, et in Syriae vrbibus quibusdam, graecam linguam addiscere cogebantur, hi graece scribentes totum tamen orbem diuidebant in Ιουδαιους et Ἑλληνας. cf. 10, 32. 12, 13. Religionis erat vtraque tum appellatio, siquidem per Iudaeos intelligebant, quotquot Mosis religionem amplectebantur, ta-

ρωμένον, Ἰουδαίοις μὲν σκάνδαλον, ἔθνεσι δὲ

VARIAE LECTIONES.

23. Lectionem εθνεσι pro ἑλλησι tuentur ABC a pr. m. DEFGI 5. 10. 17. 23. ex emend. 31. 37. 46. 71. 73. 80. Syr. vtr. Arr. Copt. Vulg. It. Or. semel, (sed in ms. bis.) Ath. Eus. Bas. Cyr. hier. et alex. Chrys. ms. (etiam in Matth. 2.) Theodoret. alicubi. Damasc. Cypr. Hilar. Ambrst. Alii. Bengelius, licet vulgatum ἑλλησι in textu seruauerit, quod et Wetst. Mill. et Matth. fecerunt, lectionem tamen εθνεσι receptae aequalem censet. Sic et nos iudicaremus, nisi suspicio, lectionem ἑλλησι forsan ex oppos. Ιουδαιοις et ex v. 22. et 24., vbi ἑλλησι occurrit, originem traxisse, testimoniorum, pro hac ipsa lectione facientium, grauitatem imminuere videretur. Quare praeeuntibus *Griesbachio*, *Vatero*, al., εθνεσι in textum recipere haud dubitauimus.

metsi, in Graecia nati, graece loquerentur; per Ἑλληνας vero omnes omnino populos, siue graeca siue alia lingua loquerentur, a Mosaicis legibus cerimoniisque abhorrentes. Hac virtute significandi Ἑλληνες memorantur Act. 14. 1. 16. 1. 3. 18. 4. 19. 10. 20. 21. Rom. 1. 14. etc. non *Graeci* sed *gentiles*, quos Christiani veteres, latine scribentes, dixerunt *paganos*, inter quos et ipsos Ap. h. l. potissimum *sophistas* Corr. respexisse putandus est, vt et σοφια iterum de *humana ipsarum eruditione*, *quae sophismatum subtilitate et argutiis absoluebatur*, ex nexu intelligi debet. ζητειν vero vt דרש, i. e. q. αιτειν, *postulare*, *requirere*, quo sensu et ap. *Herodot.* l. 1. p. 45. ζητεειν σιτια legitur. Hinc και — ζητ. sibi volunt: *Graeci vero* (apud quos: θαυματα μωροις non minus ac ap. Iudaeos: *maledictus qui didicerit sapientiam Graecorum* in prouerbium abierat), *iis tantum delectantur*, *quae humanam eruditionem sapiunt*. Bene *Chrysostomus*: Ἑλληνες απαιτουσιν ἡμας ρητορειαν λογων και δεινοτητα σοφισματων. Idem affirmat *Anacharsis* ap. *Herodot.* 4. 77. dicens: Ἑλληνας παντας ασχολους ειναι προς πασαν σοφιην, πλην Λακεδαιμονιων. cf. *Heraclid.* p. 451. οἱ παντα Φρονησει διαΦεροντες Ἑλληνες. Plura dabit *Wetstenius*. Sensus commatis in vniuersum huc redit: *ita fert aeui indoles*, (*es liegt im Character des Zeitalters*), *vt religio chr. hominibus non probetur*. Quae autem hic et v. 23. de Iudaeis paganisque *omnibus* enunciantur, de *plerisque*

24 μωρίαν· αὐτοῖς δὲ τοῖς κλητοῖς, Ἰουδαίοις τε

tantum intelligenda esse, vix est quod moneamus.

23. Comma hoc arctissime cohaeret cum v. 22. Ἡμεις ad Paullum tantum spectat. Χριστος εσταυρ. pro διδαχη περι του Χριστου εσταυρ. Σκανδαλον, *offendiculum*, מִכְשׁוֹל, adeoque et *impedimentum*, (*Hes.* εμποδισμος), h. n. διδαχη σκανδαλον παρεχουσα. Sic etiam μωρια pro διδαχη μορα. vid. ad v. 18. Totum comma resoluerim fere sic: νυνι δε, εαν ἡμεις κηρυσσ. Χρ. εσταυρ., τοιαυτη ἡ διδαχη Ιουδαιοις μεν παρεχει σκανδαλον, εθνεσι δε μωρα δοκει ειναι. *Iudaeos doctrina mea de Christo, ignominiosam mortem in cruce perpesso, impedit, quo minus religionem chr. amplectantur, quia eiusmodi mortem cum σημειω τ. υἱου τ. ανθρ.* h. e. *cum isto Messiae regnique ipsius splendore, qualem exspectant, prorsus conciliare nequeunt; ethnicis vero doctrina illa stulta videtur, cum nihil ei inesse deprehendant, in quo examinando atque discutiendo ingenia, argutiis et subtiliori rerum indagationi adsueta, defatigare possint.*

24. Quamuis autem doctrina I. C. Iudaeos offendat, Graecisque stulta videatur, esse tamen in vtraque gente qui sapientiam, in religione chr. latentem, percipiant, eamque amplectantur, nunc Ap. asseuerat. Κλητοι, *ii, qui per doctrinam I. C. vocati* s. *inuitati sunt ad felicitatem in regno Messiae aliquando obtinendam* (h. e. *ad piae virtutis studium, salutemque moralem inde redundantem*), *et huic vocationi paruerunt*; nam cum effectu, vt aiunt, sic appellantur, *qui ad rel. chr. perducti sunt*, vid. exc. 2. ad epp. Petr. Χριστον, i. e. διδαχην s. κηρυγμα Χριστου, suppl. ex v. 23. κηρυσσομεν. Θεου δυν. — σοφιαν, resolv. ὡς διδαχην, δυναμιν και σοφιαν θειαν παρεχουσαν. *Ii vero, qui, ex Iudaeis Graecisque religionem chr. fide sua dignam censuerunt, experientia edocti, persuasum habent, planam hanc, et omnium hominum captui accommodatam doctrinam, ad mentem diuinae sapientiae lumine collustrandam, animumque emendandum, ac tranquillandum efficacissimam, adeoque a Deo ipso profectam esse.* Sic et Christus toties in N. T. ἡ ζωη vocatur, i. e. ὁ την ζωην παρεχων. Ioh. 1, 4. 11, 25. alibi. *Schulzius* vero religionem I. C. hic δυναμιν και σοφιαν vocari existimat,

καὶ Ἕλλησι, Χριστὸν Θεοῦ δύναμιν καὶ Θεοῦ
σοφίαν. Ὅτι τὸ μωρὸν τοῦ Θεοῦ, σοφώτερον 25
τῶν ἀνθρώπων ἐστί· καὶ τὸ ἀσθενὲς τοῦ Θεοῦ,
ἰσχυρότερον τῶν ἀνθρώπων ἐστί. Βλέπετε γὰρ 26

VARIAE LECTIONES.

25. και το ασθενες — ανθρωπων εστι absunt b. ω. ap. Matth. Repetitum ανθρωπων εστι scribas fefellit.

quatenus sit *opus* harum virtutum divv., quippe quibus instructus eam in terras induxerit, caueritque, ne aduersariorum artibus in contemtionem adducta paullatim interiret. Sed praeterea quod ex nexu de *interna* potissimum religionis praestantia sermo est, et verba in hunc sensum translata aliqua duritie laborare videntur.

25. Iam istam animi emendandi vim, doctrinae I. C. vere inesse, Ap. probat loco quodam communi. Το μωρον et το ασθενες inde explicanda sunt, quod adiectiua haud raro pro substantiuis adhibeantur, multaque κατα το φαινεσθαι, non κατα το ειναι appellentur (vid. ad v. 21.). Illud igitur pro σοφια του Θεου, καιπερ μωρα φαινεται, hoc pro τα εργα του Θεου, καιπερ ασθενη νομιζομενα, positum est. Formulae vero σοφωτερον των ανθρωπων, et ισχυροτερον τ. ανθρ. ellipticae sunt. Illic του σοφου (s. της σοφιας) τ. α. hic του ισχυρου (s. των εργων ισχυρων) τ. α. supplendum est, ita vt sententia, in vniuersum spectata, sit haec: *sapientia Dei vel ibi, vbi, ex hominum opinione, inconsulte agere videtur, sapientiae humanae longe antecellit, et instituta diuina, humanis iisque sapientissimis, longe efficaciora sunt.* Quae si transtuleris ad argumentum v. 24. propositum, cuius hic ratio redditur, sensus prodit hic: ἡ γαρ διδαχη του Θεου, καιπερ μωρα και ασθενης δοκει ειναι, ὁμως σοφωτερα και ισχυροτερα εστι της σοφιας των σοφων του αιωνος τουτου (v. 20.) *quamuis haec de Christo cruci affixo doctrina, insipiens esse nec vllam ad homines emendandos beandosque vim habere videatur; longe tamen superat omnia, quae a philosophis vestris, sibi relictis, ad hunc finem consequendum in medium proferuntur, plurimumque valere putantur.*

26-28. Iam, quodnam consilium Deus, in homini-

τὴν κλῆσιν ὑμῶν, ἀδελφοὶ, ὅτι οὐ πολλοὶ σοφοὶ

bus ad religionem chr. adducendis, sequutus sit, et quinam potissimum ii sint, quos huius religionis beneficio dignos censuerit, Ap. explicat, prouocans ad ipsorum Corr. ad doctrinam I. C. conuersorum exemplum. Γαρ h. n. transeundi part. Βλεπετε, *attendite. Chrysost.* διερευνησατε. Κλησιν, pro *vitae genere* omnino accipit *Krause*, ita vt respondeat german. *Beruf.* Sed licet hoc vitae genus recte h. n. reuocet ad *id, quo quis est Christianus*, equidem tamen hanc vocem neque apud sacros, neque apud profanos auctores hoc sensu me vsquam legere memini. Ex solenni vsu loquendi N. T. κλησις potius h. l. vel est *ratio, qua in Corinthiis ad rel. chr. adducendis vsi sunt doctores ipsorum (denkt nur an eure eigne Bekehrungsgeschichte)*, vel, quod propter nexum cum proxime seqq. praetulerim, vt abstractum positum est pro concreto: ὑμας, τους κλητους. Similiter etiam ἡ περιτομη saepissime pro ipsis περιτεμνομενοις adhibetur. Vert. *considerate omnes, qui e vobis rel. chr. amplexi sunt.* vid. *Tittmann.* prol. I. de vocc. oecon. salut. p. 10 sq. et exc. nostrum 2. in epp. Petr. Σοφοι κατα σαρκα, ex vsu loquendi Paullo peculiari explicandum est, ex quo quicquid in homine prauum, vitiosum, vel etiam exiguae dignitatis est, id omne non minus ad την σαρκα, quam, quicquid bonum, honestum, et omnino Christiano dignum in homine deprehenditur, ad το πνευμα refertur. Hinc σοφοι κ. τ. σ. sunt *philosophi ex genere vulgari, qui spreta diuina, quam religioni chr. debemus, institutione, suo Marte propriaque indagine inter homines non christianos sapientiae laude inclaruerunt*, ita vt ad sensum i. sit q. σοφοι του αιωνος s. του κοσμου v. 20. Vert. *Weise von gewöhnlicher Art.* cf. *Koppii* exc. 9. in ep. ad Gal. Δυνατοι, vt δυναμενοι, vel sunt *qui auctoritate ac dignitate omnino pollent*, vt ap. *Xenoph.* de rep. Lac. I. 1. Sparta vrbs δυνατωτατη vocatur, et hist. gr. VII, 4. οἱ δυναμενοι sunt *principes ciuitatis*, vel *qui opibus caeteris praestant.* cf. *Thucyd.* II. 25. vbi Schol. οἱ δυνατοι οἱ πλουτῳ δυναμενοι, qui veteribus potissimum Graecis οἱ τα χρηματα εχοντες, vel elliptice οἱ εχοντες, plebique Atticae οἱ παχεις audiebant. Eodem sensu *potens* ap. Latinos,

κατὰ σάρκα, οὐ πολλοὶ δυνατοὶ, οὐ πολλοὶ εὐγε-
νεῖς· ἀλλὰ τὰ μωρὰ τοῦ κόσμου ἐξελέξατο ὁ 27

v. c. Phaedr. I. 24. 1. cf. *Krebs* obss. Flav. p. 259. Ευγενης, quod opponitur τῳ αγενης, est *nobili genere satus*, *cuius parentes et proavi rebus bene gestis iam inclaruerunt*, Luc. 19, 12. vnde ευγενεια est *generis nobilitas a maioribus accepta*. Schol. *Sophocl.* ad Aiac. v. 480. ευγενεις· ὡν ἡ πατρις επιφανης και το γενος. cf. *Irmisch.* ad Herodian. Vol. I. p. 786. et *Phavorin.* gloss. s. v. ευγενεις. Sic et גדול Iob. 1, 3. ab Alex. per ευγενης redditur. Arcte igitur οἱ δυνατοι et ευγενεις sensu cohaerent, (sicuti et Apoc. 10, 15. οἱ πλουσιοι και οἱ δυνατοι inter se iunguntur), ita vt iunctim *homines splendida conditione externa claros et primarios omnino* denotent. *Vitringae* vero sententia, qui vocc. δυν., ευγ. et σοφ. ad summos in gente Iud. magistratus, s. supremi synedrii assessores spectare existimat, quos δυν. et ευγ., מיוחסים, et σοφους, חכמים, appellatos fuisse, ex allatis *Iosephi* et *Maimonidae* testimoniis probare conatur, vel ideo nobis non arridet, quia Paullo cum Corinthiis res erat, apud quos non minus gentiles, quam Iudaei, ad rel. chr. traducti erant. Ου πολλοι ter repetit Ap., quo magis *perquam exiguum* των inter Christianos σοφων, δυν. et ευγ. numerum designet, et post haec verba in fine comm. supplendum est εν τῃ κλησει ὑμων εισι, s. εκληθησαν, *Christo nomen dederunt*. Ceterum βλεπετε την κλησιν, ὁτι κ. τ. λ. est constructio negligentior ad idioma hebr. adcommodata, pro: βλεπετε, ὁτι ου πολλοι εκληθησαν.

27. 28. Iam τοις σοφοις, δυν. et ευγ. v. 26. religionem chr. auersantibus ex diametro opponuntur *primum* τα μωρα, *deinde* τα ασθενη, *denique* τα αγενη, εξουθενημενα, και μη οντα, quo quidem ordine disponuntur ii, quos εξελεξατο ὁ Θεος (alias εκαλεσε), i. e. *quos pro singulari benignitate sua ad rel. chr. per app. adducendos curauit*, s. *qui Deo ita prouidente Christiani euaserunt*; quam verbi εκλεγειν significationem *Koppius* ex vsu loquendi hebr. בחר luculenter deduxit ad 1 Thess. 1, 4. Neque tamen Ap. Corinthios sua opera conuersos μωρους ac μη οντας vocasse putandus est, quia tales vere *essent*, sed quia tales *haberentur* atque *vo-*

Θεὸς, ἵνα τοὺς σοφοὺς καταισχύνῃ· καὶ τὰ ἀσθενῆ τοῦ κόσμου ἐξελέξατο ὁ Θεὸς, ἵνα καταισχύνῃ

VARIAE LECTIONES.

27. 28. Omnia ista ab ἱνα priori ad ἱνα proximum omittunt A F G 37. 73. 77. a pr. m. 89. ex emend. al. 4. vt et f. n. ap. Matth. Sic etiam edd. Erasm. 1. Aldi. Transsilierunt igitur scribae, ex alio ἱνα in aliud aberrantes, quae vtrique interiacent. — Etiam quae sequuntur ἱνα καταισχυνῃ τα ισχυρα omitt. 46. — In eodem cod. verba comm. 28. και τα μη οντα, ἱνα τα οντα καταισχυνῃ transponuntur post ὁ Θεος prius v. 27. — Alii alia omittunt ob homoeoteleuta. Cf. Wetst. et Matth.

carentur ab aduersariis, eruditione sua ad intolerabilem superbiam inflatis, qui Paulli existimationem eo imminuere conabantur, quod nonnisi homines fatuos, nulliusque nominis et pretii, ex infima plebe collectos, doctrinam eius amplexos esse perhiberent. Τα μωρα igitur, neutro hic et in proxime sequentibus itidem vt v. 25. pro subſtant. adhibito, vi oppos. σοφων sunt μωροι λογιζομενοι, *qui, omni eruditione humana destituti, fastuosis istis philosophis stulti comparebant*, suppl. *licet mente maxime sana, capiendae sanae Paulli doctrinae aptissima, fruerentur*, cf. 1 ep. 3, 18. 4, 10. Τα ασθενη, quia τοις δυνατοις (v. 26.) et ισχυροις opponitur, *egenos* denotat, qua significatione, licet vix amplius in N. T., ap. Graecos tamen occurrit, v. c. *Eurip.* Suppl. v. 433. vbi vt contrarium τῳ πλουσιῳ adhibetur. *Lys.* orat. I. p. 3. ed. *Taylor.* Τα ισχυρα vicissim ex oppos. των ασθενων, vt δυνατοι, *diuites* designat. Τα αγενη denique τοις ευγεν. oppos., sunt *humili et obscuro loco nati, s. homines de plebe, nullius nominis atque famae.* Iidem dicuntur εξουθεν. ab εξ et ουθεις s. ουδεις, *pro nihilo habiti*, quod ex etym. non differret a τοις μη ουσι; sed cum, εξουθ. neglecta origine, *contemnendi* sensu omnino sumi soleat, vnde et LXX hebr. מאס saepius per εξουθενησαι (quod Macedonicum verbum fuisse videtur), reddunt; hac voce, τα αγενη inter et τα μη οντα medium tenente, gradatio, quae loco inest, non turbatur. Sunt igitur εξουθ. *qui despicatui habentur*, sc. *immerito.* Τα μη οντα vero, pro μηδεν οντα, sc. λογιζομενα, sunt *homines abiecti, nullius pretii* sc. *dici soliti.*

τὰ ἰσχυρά· καὶ τὰ ἀγενῆ τοῦ κόσμου καὶ τὰ 28

Bene *Chrysost.* τους μηδεν ειναι λογιζομενους δια την πολλην ουδενειαν. Sic et לא in stylo sublimi Hebr. pro μηδεν occurrit, v. c. Iob. 8, 9. vbi *Schultens.* Ita etiam *nihil esse* vsurpatur a *Tibull.* I. 5. 30. cf. *Valckenar.* ad *Eurip.* Phoen. p. 227. His μη ουσι opponuntur τα οντα h. e. οἱ δοκουντες ειναι τι, homines *temere gloriosi, pluris se existimantes, quam vere sunt.* Nos: *die wunder was zu seyn glauben.* cf. 3, 7. 13, 2. 2 ep. 12, 11. Gal. 2, 6. 6, 3. Act. 5, 36. 8, 9. et sic etiam formulae μηδεν s. ουδεν ειναι, et ειναι τι ap. Graecos, praecipue poëtas, leguntur. cf. *Eurip.* Ion. 593. Electr. 369. *Aristoph.* Equit. 158. *Epict.* ench. c. 23. Plura adhuc loca collegerunt *Wetstenius, Elsnerus* et *Loesnerus*, quibus adde *Plat.* apol. extr. και εαν δοκωσι τι ειναι, μηδεν οντες. Του κοσμου quod singulis vocibus μωρα, ασθενη et ἀγενη sigillatim additum legitur, ad *vilitatis* et *tenuitatis* notionem augendam spectat, quo magis designentur *stulti, pauperes et ignobiles ex hominum qualiumcunque multitudine collecti;* quae quidem est vulgaris huius loci, praecipue vero vocis ασθενη interpretatio. Possis vero etiam, si quid video, sensu loci, ad summam eius, haud mutato, in voce δυνατοι v. 26. non ad ευγενεις, sed ad voc. σοφοι relata, de δυνατοις εν τῃ σοφιᾳ cogitare, (vt habes δυνατους εν γραφαις Act. 18, 24. δυν. εν λογῳ Luc. 24, 19. Act. 7, 22.) vt, haud aliter ac ισχυροι v. 27., sint homines *ingenio et philosophandi facultate abundantes*, (nos: *starke Geister*), qui inter σοφους κατα την σαρκα atque Φρονιμους 1 ep. 4, 10. eminerent: tunc οἱ ασθενεις, vt οἱ αδυνατοι Rom. 15, 1., ex oppos. pro hominibus sumi deberent, *qui tardioris, hebetiorisque ingenii esse perhiberentur.* Sic obtinere videtur ασθενης 1 ep. 4, 10. 9, 22. coll. 8, 7. 1 Thess. 5, 14. ασθενειν 2 ep. 13, 9. et ασθενηματα Rom. 15, 1. αδυνατος Rom. l. c. δυνατος 2 ep. 13, 9. Rom. l. c. et ισχυρος 1 ep. 4, 10. 1 Ioh. 2, 14. eademque fere opposita, vt in l. n., deprehendes Rom. l. c. 1 ep. 4, 10. et 2 ep. 13, 9. Praetulerim posteriorem hanc rationem, quia vsu loquendi N. T., praecipue epistolarum nostrarum, firmiori sustineri videtur, quam *diuitum* et *egenorum* significatio, in vocc. δυν. et ασθεν. teneri solita, quae tamen commode simul in

ἐξουθενημένα ἐξελέξατο ὁ Θεὸς, καὶ τὰ μὴ ὄντα,

ευγεν et αγεν. latere potest. Ἱνα non tam consilium quam *euentum* indicat. Καταργειν h. n. *declarare, aliquem nullius pretii esse*, ita vt καταργειν τα οντα, quod paulo grauius dictum est pro καταισχυνειν v. 27., sibi velit: *efficere, vt homines temere gloriosi se* μηδεν ειναι *intelligant*, s. *vanam ipsorum de se, dignitateque sua, opinionem reprimere*. Rom. 3, 31. Iam vocc. τα μωρα, ασθ., αγεν. εξουθ. et μη οντα, ad Corinthios ad rel. chr. conuersos, vocc. σοφ. vero, ισχ. et οντα ad eruditos et genere nobiles in vrbe Corr., ad doctrinam Christi haud propensos, referentes, sensum vv. 27. 28. constituerimus sic: *Deus pro benignitate sua, homines literarum rudes et humili loco natos opibusque destitutos ad rel. chr. adduci curauit. Erubescant igitur eruditi vestri, praeclara se ingenii vi pollere existimantes, erubescant stemmate nobiles inter vos opibusque florentes, in fide religioni sapientissimae ac saluberrimae deneganda, quam homines, ob eruditionis penuriam, generisque ignobilitatem nihil habiti, ei praestare non dubitant; erubescant et, humanae doctrinae ac splendoris externi vanitatem agnoscentes, modeste de se sentire discant, hac nimirum propagandae religionis chr. ratione edocti, Deum in beneficiis suis conferendis non externae dignitatis rationem habere.* Similem sententiam *Eurip.* Troad. 608. sic expressit:

Ὁρω τα των Θεων, ὡς τα
μεν πυργουσ' ανω
Τα μηδεν οντα, τα δε δοκουντ' απωλεσαν.

Insignis vero ad *causam* religionis chr. inter homines minus doctos et claros propagatae explicandam est locus ap. *Lactant.* inst. div. 7. 1. p. 857. ed. Bunemann. *Rosenmüllerus* vero vocc. τα μωρα, ασθενη etc. ad *apostolos* potissimum referri vult, *quos Deus, egenos licet et indoctos, arduo tamen propagandae rel. negotio adhibuerit, vnde manifestum sit, Deum etiam sine opibus humanis, ac sine potentia humana, maximas res efficere posse*; nisi forte haec sententia nexum commatis 28 cum comm. 27. vbi de Christianis Corr., non de apostolis sermo est, turbare videtur. Veterum denique interpp. nonnulli, *Lockius*, *Whitbius*, alii, per τα μη οντα *gentiles*, per τα οντα vero *Iudaeos* intelligendos esse statuunt, contra quos *Wolfius* iam recte monuit, Paullum in tota

ἵνα τὰ ὄντα καταργήσῃ· ὅπως μὴ καυχήσηται 29
πᾶσα σὰρξ ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ. Ἐξ αὐτοῦ δὲ 30

VARIAE LECTIONES.

29. του Θεου pro αυτου exhibent A C a pr. m. D E F G I 17. 23. 37. 39. 46. 47. 48. 57. (c. al. 6.) 61. 72. 73. 74. 80. al. 41. Matth. a. al. 11. Ed. Copt. Aeth. Ar. pol. Slav. It. Or. ter. Eus. Ephr. Bas. Chrys. (etiam in Matth. 2.) Damasc. Theoph. Aug. Tychon. *Domini*, Iren. — Sed αυτου Syr. Erp. Arm. Vulg. Or. semel Theodoret. Ambrst. Pel. Alii. Orta videtur lectio αυτου ex proximo αυτου v. 30. ne voc. Θεος iusto saepius repetatur.

hac oratione gentiles Iudaeis minime opponere.

29-31. Inde, quod Deus, nulla sapientiae auctoritatisque humanae ratione habita, pro sola benignitate sua hominibus religionis chr. beneficium conferat, Ap. iam elicit cohortationem hanc: *neminem sibi, suisque meritis in consequenda christiani hominis dignitate aliquid tribuere debere*, qua cauere voluisse videtur, ne Christiani sui et ipsi in vanae gloriationis cum philosophis istis Corr. vitium delaberentur. Exit cohortatio a loco quodam communi, cuius speciem prae se fert v. 29., eoque per ὅπως annexo, quod, vt למען, h. n. ουκ εστιν, vt ait *Suidas*, αιτιας δηλωτικον, αλλ' εκβασεως, *adeo vt*, *atque sic*, ad sensum i. q. δια τουτο. Σαρξ, ex hebr. בשר, *homo*, adiuncta tamen *infirmitatis* notione, (vid. *Koppii* exc. 9. in ep. ad Gal.) ita vt vel hac voce omnis fastus simul *stultitia* notari videatur. Μη πασα σαρξ ex formula hebr. לא-כל-בשר, et ipsa, verbis nonnullis interiectis inuicem distrahi solita, pro ουδεις. Καυχησεται, (ex hebr. pro imperat.) suppl. *de vlla virtute, seu dignitate, tanquam sibi soli debita.* Ενωπ. τ. Θεου, לפני יהוה, vel, ex vulgari interpr. *coram Deo*, i. e. *vbi cum Deo res est*, vel, quod praetulerimus, vt לפני, 1 Sam. 20, 1. Num. 16. 2. pro εναντι, *contra Deum*, Luc. 15, 18. 21. i. e. *post-habito benignissimo Dei auxilio*, perinde ac si scripsisset Ap. δια τουτο μηδενα δει καυχασθαι κατα του Θεου. *Nemo sibi tribuat, quae soli Deo debet.*

30. Quae quidem sententia v. 29. in vniuersum enunciata, tacite vero et ad Christianos Corr. translata, qui et ipsi de christiana, quam sint nacti dignitate

ὑμεῖς ἐστε ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, ὃς ἐγενήθη ἡμῖν

gloriari nolint, eo confirmatur, quod illam soli Deo, per Christum saluti ipsorum prospicienti, acceptam referant. Ἐξ αυτου, pro δἰ αυτου sc. Θεου, suppl. και ου δἰ ανθρωπων. Ὑμεις εστε εν Χ. Ι. *arctissime cum Christo iuncti estis*, i. e. *sectatores eius euasistis.* Sensus est: *quod dignitate et felicitate hominum chr. fruamini, id benignitati divinae vnice acceptum refertis.* Ὁς, pro ὁ Χριστος γαρ. Ratio enim additur, qua Deus hominibus verae religionis cognoscendae atque colendae copiam fecerit. Iam in verbis εγενηθη — απολυτρωσις explicandis ante omnia tenendum est, Ap. effectum saepe pro causa, abstractaque pro concretis adhibere. Hinc εγεν. ἡμ. σοφ. απο Θεου *vel* sibi vult: εγεν. ἡμ. αληθως s. οντως σοφια (sapientiae humanae, de qua in proxime superioribus sermo erat, opposita), απο Θεου sc. δοθεισα, i. e. διδασκαλος γαρ ην οντως σοφος, απο Θεου πεμφθεις; *vel*, sensu ne minimum mutato, εγ. σοφ. απ. Θ. i. e. q. εγ. σοφ. του Θεου s. θεια, vt sensus sit: *sapientia divina ipsa erat I. C.* (cf. 1 Ioh. 4, 8. coll. 2, 2. ὁ Θεος αγαπη εστι. *Terent.* Adelph. 3. 3. 40. *Tu, quantus, quantus, nil nisi* sapientia *es.* Plura dabunt *Raphel.* et *Homberg.* parerg. s. ad Marc. 13, 19.) h. e. *Christus, Deo ita procurante, doctor nobis contigit, divina sapientia ita instructus pectusque munitum gerens, vt perinde sit, eius ac ipsius Dei praecepta audire; vel* denique σοφ. απ. Θ. valet ὁ την σοφ. του Θεου παρεχων, *sapientiae div. auctor suasorque nobis exstitit*, s. *ille ipse est, cui sapientiam vere diuinam debemus* (vid. ad v. 24.) *ita vt*, quod ex nexu supplendum videtur, *ad religionis institutionem, aliis sapientiae doctoribus prorsus non indigeamus.* Δικαιοσ., ἁγιασμ. et απολυτρ., quae adhuc pendent ab εγεν., per gradus se excipere videntur. Δικαιοσ. igitur est *virtutis et honestatis studium omnino;* ἁγιασμος *vitae sanctitas, qua, a malis hominibus segregati, toti Deo eiusque cultui consecrati sumus;* et απολυτρ. *immunitas a poenis diuinis cum ipsa vel praemiorum div. spe firmissima coniuncta* (nos *Begnadigung*). De voce δικαιοσ. cf. *Koppii* exc. 4. in ep. ad Gal., *Storrii* diss. *de sensu vocis δικαιος et cognatarum in N. T.* et *Zimmermann* comment. de vi atque sensu phraseos δικαιοσ.

σοφία ἀπὸ Θεοῦ, δικαιοσύνη τε καὶ ἁγιασμὸς καὶ

Θεου; de voc. ἁγιασμος vid. nos ad 1 Petr. 1, 2. et de απολ. ad 1 Petr. 1, 18. Sensus est: *Deus prouidit, vt Christo duce homines pii, cultui ipsius prorsus sacrati ac de gratia eius erga vos persuasissimi euadere possitis.* Simili gradatione vtitur Ap. c. 6, 11. In mentem venire possit, annon Paullus pro more suo, synonyma, ad sententiam quandam eo penitius exhauriendam, synonymis cumulandi, in vocc. δικαιοσ. et ἁγιασμ. non minus quam in voce απολυτρ. de *gratia div. hominibus per Christum recuperata* cogitari voluerit, ita vt verba ὁς — απολυτρ. tantum ad σοφιας et χαριτος τ. Θεου beneficium Christo debitum restringenda sint; sed licet vox δικαιοσ. hoc sensu vsitatissima sit, non item voc. ἁγιασμ. sic vllibi obvium deprehendes, nec vitae honestatis atque sanctimoniae, religionis chr. ope mirifice promotae, commemoratio a loci nostri contextu vllo modo aliena videri potest. *Noesseltus* vero (opusc. fasc. 2. p. 127. sqq.), *Valckenarius*, *Krausius*, alii, praeeunte *Bosio* (obss. miscell. ad loc. quaed. N. T. p. 11.) locum nostrum interpungi malunt sic: εξ αυτου ὑμεις εστε εν Χριστῳ, (ὁς εγεν. ἡμ. σοφ. απο Θεου), δικαιοσ. τε και ἁγιασμ. κ. απολ., ita vt εστε proxime iungatur cum vocc. δικ., ἁγ. et απολ. pro concretis itidem sumendis, εν Χρ. vero positum sit pro δια Χρ., verba denique ὁς - Θεου, parenthesi inclusa, ad *doctrinam Christi* spectent, quae v. 23. μωρια τοις εθνεσι, contra vero v. 24. τοις κλητοις Ἑλλησι Θεου σοφια dicebatur, tantundemque valeant disiecta haec, ac si ordine naturali legerentur hoc: ὑμεις δε εξ αυτου εδικαιωθητε, και ἡγιασθητε, και απελυτρωθητε δια I. X. ὁς εγενηθη ἡμιν σοφια απο Θεου, ac sensus, a vulgari haud multum diversus, attendenti manifestus sit hic: *eo* (sc. *Deo*) *auctore, vos per doctrinam chr. (quae, Deo parante, tanquam vere sapiens doctrina nobis patefacta est), iusti, sancti et redemti euasistis.* Ex loci ipsius natura, per se spectata, nihil repeti posse crediderim, quo, alterutram interpretationem vel reiiciendam vel praeferendam esse demonstrari queat, vsu loquendi vtramque omnino ferente, nisi forte, nexu spectato, pro vulgari interpretatione pugnare videatur hoc vnum: quod

31 ἀπολύτρωσις· ἵνα, καθὼς γέγραπται· ὁ καυχώ-
Cap. μενος, ἐν Κυρίῳ καυχάσθω. Κἀγὼ ἐλθὼν
II, 1 πρὸς ὑμᾶς, ἀδελφοὶ, ἦλθον οὐ καθ' ὑπεροχὴν

Paullus, verbis ὁς εγεν. ἡμ. σοφ. απ. Θεου parenthesi inclusis, sententiam *hoc nexu*, quo semper de *sapientia* humanae longe praeferenda sermo erat, *longe grauissimum* tantum *transeundo* tetigisset. Quare etiam in textu vulgarem interpunctionem seruandam censuimus.

31. Abit cohortatio in sententiam communem fere eandem, a qua exorsa erat v. 29., nimirum: μηδενα δει καυχασθαι, ει μη εν Κυριῳ, quam tamen Ap., ad maiorem ei vim conciliandam, verbis veteris vatis efferre maluit, praemissa tamen, ad seruandum *suae* orationis contextum, vocula ἱνα (pro ὁπως v. 29. alias ὡστε), quae *vel*, intermediis verbis καθως γεγραπται, ex ανακολουθιᾳ quadam cum verbis ὁ — καυχασθω, imperatiue enunciatis arcte iungi, *vel*, secundum vulgarem interpretationem, elliptice sumi potest pro: *ita vt* sc. fiat, *quod scriptum est:* ὁ καυχ. κ. τ. λ. Similis constructio saepius obuia. v. c. 2, 9. Ioh. 15, 25. Rom. 15, 3. Locus vero ab Ap. allegatus exstat Ier. 9, 23., hic tamen ad summam tantum expressus, siquidem ap. Alex. sic audit: εν τουτῳ καυχασθω ὁ καυχωμενος, συνιειν και γινωσκειν ὁτι εγω ειμι ὁ Κυριος. Ὁ καυχωμ. accipe pro ὁ θελων καυχασθαι, q. ει καυχασθαι δει 2 ep. 11, 30., Paullo την καυχησιν omnino reprehendente. Sensus est: *qui non possunt quin de dignitate sua* (h. n. *christiana*) *glorientur, de eo, quod Deo eam debeant, gloriantor*, vel *omnem gloriandi materiam ad Deum referant*. Rom. 2, 17. Alii, per Κυριον *Christum* intelligentes, vt 2 ep. 10, 17. sensum huc reuocant: *qui antea suis praerogatiuis gloriabantur, nunc omnia referant ad Dominum I. C. omnis christianae sapientiae, virtutis ac spei auctorem*; sed, si quid iudico, contextui minus conuenienter.

Cap. II, 1—6. Paullus, ad argumentum cap. 1, 17. vnde a v. 18-31. aliquantulum digressus erat, rediens, nunc vberius declarat: tantum abfuisse, vt in coetu Corr. ad rel. chr. conuertendo, magno eruditionis apparatu vsus esset, v. 1. vt (quae sit modestia atque verecundia sua v. 3.), omnem institutionem ad

λόγου ἢ σοφίας καταγγέλλων ὑμῖν τὸ μαρτύριον

VARIAE LECTIONES.

1. Pro μαρτυριον habent μυστηριον A C. 71. 77. 80. al. 3. et Barb. 1. Syr. Copt. Ambrst. Aug. Ambr. Paulin. probb. *Beza* et *Lockio*; non protinus reprob. *Griesbachio*, qui lectionem μυστηριον supparem aut aequalem, immo forsitan praeferendam esse existimat lectioni receptae. Nobis quidem praeter codicum multitudinem et grauitatem etiam id pro tuenda lectione μαρτυριον facere videtur, quod N. T. scriptores non tam μυστηριον καταγγελλειν, quam μυστ. γνωριζειν Eph. 3, 3. 6, 19. μ. λαλειν Col. 4, 3 etc. dicere solent. Facillima autem erat vtriusque voc. commutatio propter formae externae, significationisque similitudinem. — ευαγγελιον (cui vicinum καταγγελλων forsitan ansam praebuit) Erp. Theodoret.

mortem quam Christus in cruce esset perpessus, vnice praedicandam reuocaret v. 2., ratus, assensum doctrinae I. C. praebendum, non tam eruditione humana, quam potius ipsius doctrinae vi atque dignitate interna niti debere. v. 4. 5.

1. Verba huius comm. iungi possunt vel sic: καγω ελθων πρ. ὑμ. αδ., καταγγελλων ὑμ. τ. μαρτ. τ. Θεου, ηλθον ου καθ' ὑπ. λογ. η σοφ. *cum ad vos venirem, religionem chr. vobis traditurus*, non veni καθ' ὑπεροχην i. e. εν ὑπεροχῃ, *cum excellenti sermonis et sapientiae humanae copia*, i. e. *hac copia instructus*, seu *eam ostentaturus*; vel sic: καγω ελθ. πρ. ὑμ. αδ., ουκ ηλθον καταγγελλων (i. e. ὡς καταγγελλων s. ὡστε καταγγελλειν) ὑμ. το μαρτ. του Θ. καθ' ὑπερ. λογ. η σοφ., *cum venirem ad vos, non veni vt magno eloquentiae et eruditionis sophisticae apparatu in tradenda vobis doctrina div. praecellerem.* Sensus quidem vtrinque idem, sed praeferimus rationem posteriorem priori expeditiorem, Λογος η σοφια, quae Paullus 1, 17. iunctim λογος σοφιας pronuntiabat, cum hic invicem distingui videantur, illud ad *eloquentiam* s. *facundiam omnino*, hoc ad *philosophorum dialecticorum artes*, vtrumque vero tantum ad *eloquentiae exquisitae* notionem penitius exhaustam retulerim. Eodem spectat ὑπεροχη (גבה) λ. η. σ. i. e. λ. η. σ. ὑπερεχουσα, eloquentia et sapientia *praecellens*. Neque tamen cum *Valckenario* in voce ὑπεροχη de *orationis vera altitudine* s. *sublimitate*, alias το ὑψος dici solita, de qua admirabilis *Lon-*

2 τοῦ Θεοῦ. Οὐ γὰρ ἔκρινά τι εἰδέναι ἐν ὑμῖν,

VARIAE LECTIONES.

2. του ante ειδεναι omittunt A B C D E F G. 5. 10. 37. 46. 71. 73. 74. Cyr. Damasc. Antiochus. Poterat quidem του vitandae difficultatis causa omitti, (quae tamen ex idiomate hebr. nulla est, quaeque et ipsa c. 7, 13. Act. 27, 1. omittendo tolli nequit), sed et, rectiss. iudicante *Vatero*, oriri ex vocab. τι, quod in B C. 37. 73. 74. transpositum legitur τι ειδεναι. Ob probabilem vero lectionis του ex voc. τι originem, non dubitauimus quin τι ειδεναι cum *Griesb.* vulgato ειδεναι τι praeferremus. — Praeterea εκρινα μηδεν ειδεναι εν ὑμιν exhibent D E ex interpretam.

gini libellus ad nos peruenit, hic cogitauerimus, quippe quam Ap. neque nitentibus illis quidem, sed inanibus Sophistarum, quas innuit, argutiis largiri, neque proprii κηρυγματος argumento, in summa simplicitate grauissimo ac vere sublimi, denegare potuerit. Μαρτυριον του Θεου. *doctrina diuina.* vid. ad 1, 6. Quodsi vero lectionem μυστηριον praeferendam censueris (vid. var. lect.) μυστ. τ. Θ. esset: *religio div. vobis antea ignota.* vid. *Koppe* ad Eph. 1, 9. Sensus igitur semper idem. Sententiae *Storrii* et *Rosenmulleri*, qui λογον de ipsa *doctrina* ex *argumento* suo spectata intelligi volunt, ita vt inde a v. 3. demum de *modo* praecipiatur, quo in *enuncianda* hac doctrina Ap. vsus fuerit, supra iam ad 1, 17. mentio facta est. Ceterum quando Paullus se eloquentem esse negat, id semper intelligendum est comparatione facta cum istius temporis Sophistis, qui multum iam degenerauerant a casta veterum simplicitate, quique in scholis didicerant eloquentiam veluti artem. Ab artificiosa ista eloquentia omnino alienus, natiua pollebat, intimo diuini argumenti doctrinae a se traditae sensu mirum in modum corroborata.

2. Ου γαρ εκρινα, si iunxeris, sensus est: *non iudicaui, operae pretium non putaui;* quodsi vero ου retuleris ad voc. τι, ita vt ordo verborum procedat sic: εκρινα γαρ ου τι (i. e. ουδεν) ειδεναι, verbum εκρινα sibi vult: *mihi proposueram.* cf. 5, 3. 7, 37. Act. 20, 16. 27, 1. Sic etiam *Polybius* 4, 66. κεκρικοτας εμβαλειν εις την Μακεδονιαν. et *Cic.* ad Fam. 7, 33. "mihi *iudicatum* est" quod *Manutio* interprete valet: mihi *constitutum* est.

εἰ μὴ Ἰησοῦν Χριστὸν, καὶ τοῦτον ἐσταυρωμένον.
Καὶ ἐγὼ ἐν ἀσθενείᾳ, καὶ ἐν φόβῳ καὶ ἐν 3

Praefero posterius. Τι ειδεναι, h. n. *alicuius rei cognitionem profiteri.* Quodsi vero sana esset lectio του ante ειδεναι, (vid. var. lect.) ea, non tam ex pleonasmo, quam, modo infinitiuo pro nomine adhibito, ex ellipsi explicanda videretur. Vti nimirum Act. 3, 12. ὡς πεποιηκοσι του περιπατειν vocab. σημειον, et Act. 27, 1. ὡς δε εκριθη του αποπλειν voc. πραγμα suppleri potest, nisi Lucas (Act. 20, 3. plene loquutus: εγενετο γνωμη του ὑποστρεφειν), εκριθη, *iudicatum fuit*, pro εγενετο κρισις s. γνωμη adhibuerit; sic h. l. genitiuus του regi videtur a nomine κρισις, in εκρινα latente, quod facile apparebit, si ad hanc rationem Paulli sententiam exprimamus sic: ουδεμια γαρ μοι γεγονε γνωμη s. κρισις του ειδεναι τι· *nullius rei cognitionem inter vos profiteri fuit mihi animus, nisi solius Christi.* Ιησουν — εσταυρ. pro διδαχην περι I. X. και περι του θανατου αυτου, του εν τῳ σταυρῳ. Quomodo vero Paullus hoc argumentum tractauerit, vid. cap. 15, 1-4. Sensus est: *statueram mecum, Corinthi ab omni dictionis ornatu, eruditionisque apparatu abstinere, et ita me gerere ac si, praeter doctrinam, de morte salutari, quam I. C.,* et *quidem* (και τουτον vid. ad 6, 6.) *vel in cruce oppetiit, prorsus nihil scirem.* vid. plura ad 3, 11. Quod vero Paullus, quem, cum Pharisaeorum sectae addictus esset, eximia rerum iudaicarum scientia praeditum fuisse, scripta eius testantur, quemque nec philosophiae graecanicae prorsus rudem fuisse, vel locus noster testis est, (vid. plura ad v. 5.) omnis eruditionis expers atque rudis haberi maluerit, eius rei causas tum statim v. 5. tum cap. 3, 1. seqq. ipse adfert. Simili modo *Epictetus* l. 2. c. 1. sub fin. philosophum quoque *videri* vult *aliarum rerum omnium rudem*, idque solum prae se ferre, quod est Stoici proprium: scire, quomodo efficere possit, vt neque ea, quae velit, consequatur, neque, in quae nolit, incidat. Δοξον δε, inquit, μηδεις ειναι, και ειδεναι μηδεν· μονον τουτο ειδως φαινου, πως μητ' αποτυχης ποτε, μητε περιπεσης.

3. Comma hoc arcte cohaeret cum v. 1. Nexus enim hic esse videtur: *non veni Corinthum ostentandae eloquentiae et sapientiae causa* v. 1. και (pro αλλα)

4 τρόμῳ πολλῷ ἐγενόμην πρὸς ὑμᾶς· καὶ ὁ λόγος

sed potius etc. Ασθενεια, non tam cum *Storrio*, *Rosenmullero*, aliis, de *corporis imbecillitate*, quam ad tenuem vocem et pronunciationem viri lateribus destituti referunt, quam potius, cum τη ὑπεροχη λ. η. σ. v. 1. opponi videatur, de *ignorantia* et *ingenii imbecillitate* intellexerimus, quam Paullus, omnem dicendi artem, qua Graeci delectabantur, modestiae causa spernens, prae se ferre studebat. vid. plura ad 1, 28. Φοβος κ. τρομος sunt synon. ex hebr. יראה ורעדה Ps. 2, 11. inter se iungi solita, et h. n. de eadem in dicendo *modestia* ac *verecundia*, metum quendam adferente, intelligenda, quam Ap. modo ασθενειαν dicebat. cf. 2 ep. 7, 15. et Phil. 2, 12. Προς ὑμας pro παρ' ὑμιν Ioh. 1, 2. Remota hebr. dicendi ratione comma n. sic fere audiret: αλλ' ημην παρ' ὑμιν ασθενης, εκφοβος και εντρομος (s. δειλημων κ. νηϊς). *Mein Benehmen unter Euch war fern von Anmaaſsung, war schüchtern und blöde.*

4. Magna cernitur in hoc comm. lectionis varietas. Undenam orta sit, et quibusnam coniecturis, iisque superstructis interpretationibus ansam praebuerit, id prius exploremus, quam ad textus vulgaris a nobis, excepta, quam cum *Griesbachio* expunximus, voce ανθρωπινης, seruati explicationem accedamus. Orta est sine dubio lectionis praecipua varietas ante omnia ex voce πειθοις adiectiue adhibita, qua vi nusquam hactenus in Graeciae antiquae monumentis reperiri potuit, cui quidem difficultati alii aliter mederi conati sunt. *Valckenarius* (in specim. adnott. crit. in loca quaedam N. T., quod exstat ad calcem oratt. *Hemsterhusii* et *Valckenarii*. Lugd. Bat. 1784. 8.) *Io. Chrysostomum* in orat. 4. de laud. Paulli T. II. p. 495. Paulli manum existimat conseruasse hanc: ουκ εν πιθανοις σοφιας λογοις, *non in verbis persuasoriis e philosophia petitis*; quam quidem emendationem *Klose* (in examine emendationum in N. T. a Valckenario propositarum Halae 1790.) magis adstruere conatus est inde, quod, cum ανθρωπινης in pluribus codd. et verss. omittatur, (vid. supra), ac itacismus tum moris fuerit, fieri potuisse statuat, vt lectio genuina ΠΙΘΑΝΟΙΣ a librario scriberetur ΠΕΙΘΑΝΗΣ, quod alii librarii non intelligentes emendandi studio, fortassis ex v. 13. correxisse videantur ΠΕΙΘΟΙΣ ΑΝΗΣ,

μού καὶ τὸ κήρυγμά μου οὐκ ἐν πειθοῖς σοφίας

VARIAE LECTIONES.

4. Pro vulgari πειθοις habent πειθοι 1. 18. a pr. m. 48. 72. Barb. 4. Or. quater. (alibi πειθοις ter) Euseb. (praep. ev. 1, 3.) Athan. Gloss. N. T. *in persuasione*, Syr. Arm. Slav. 5. et ant. It. Ambrst. Leo. Ambr. Sedul. πιθανοις Macar. — λογοις omittunt FG. 18. a pr. m. 74. Erp. boern. Ambrst. Sedul. — λογων habent Syr. Arm. Or. bis Ath. Ambrst. in textu. Leo. — λογου clar. germ. — και λογοις 77. — ανθρωπινης omittunt BDEFG. 17. 46. 71. Syr. Arm. Aeth. Vulg. ms. It. tolet. Or. quinquies (bis habet.) Ath. Nyss. Cyr. vtr. Theodoret. ms. Chrysost. alicubi (et h. l. etiam in *Matth.* 2. 7.) Pseudo Basil. Epiph. Damasc. Hier. Ambr. Vigil. taps. Ambrst. in textu. Fortassis haec vox ex v. 13. huc advocata est, ne Paullus omnem omnino sapientiam repudiare videretur. — αποδειξει cum αποκαλυψει commutant DE. — Plura dabit comment.

i. e. ανθρωπινης. Neque id commemorare omittit, voc. πιθανος a Paullo etiam adhiberi Col. 2, 4. Alia via, eaque parum per ambages ferente, *Kühnius*, (comment. ad loc. 1 Cor. 2, 1 — 5. Lips. 1784.) eodem peruenit statuendo, πειθανοις per compendium ΠΕΙΘΟΙΣ, linea super literas ducta, olim scriptum fuisse, quod librarii deinceps, ad compendii signum haud attendentes, ad literas retinuerint. *Beza*, *Cocceius* et *Er. Schmidius*, praeeunte *Eusebio* l. supra c., legi malunt πειθοι ανθρ. σοφ. λόγων, *suadela sermonum humanae sapientiae*, ita vt πειθοι i. sit q. πιθανοτητι, quod Col. 2, 4. vno verbo πιθανολογια dicitur. *Alberti* in obss. ab hac *Eusebii* lectione et ipse haud alienus, nimiam tamen sentiens differentiam inter verba πειθοι λογων et πειθοις λογοις, non male forsitan leuissima mutatione legi posse existimat: εν πειθους — λογοις, *in verbis persuasionis*, i. e. persuasoriis, *humanae sapientiae*; siquidem Υ et Ι facile misceri potuerint. Eamdem coniecturam decennio post affirmauit in notis ad *gloss. in libb. N. T.* p. 119. sq. Libro iam typis expresso, *Albertio*, ad animum reuocanti, voculam και in codd. scribi vno ductu, ac si esset S, sese obtulit correctio egregia et *Valckenario* valde probata: ουκ εν πειθοι, και ανθρωπ. σοφ. λογοις, *non in suadela et humanae sapientiae verbis*, quam in *Omissis* posuit praefationi subiectis.

λόγοις, ἀλλ' ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνά-

(Sic etiam ap. *Polybium* occurrit: πολλους δε πειθοι και λογῳ προσηγαγετο). Mutauit tamen, quod miramur, sententiam, in *Schediasm.* p. 405. legendum arbitratus: εν πιθανοις σοφιας λογοις. *Semlerus* lectionem genuinam fuisse putat: εν πειθοι σοφιας, (sine ανθρωπινης et λογοις), fortasse sic corruptam, vt prima litera voc. σοφιας ad voc. πειθοι adhaeserit, et sic ex πειθοι factum sit πειθοις, reliqua autem verba videri originem suam debere interpretibus, qui v. 13. respicientes, hoc alterumue ad locum intelligendum putabant necessarium. Nec aliter *Griesbachius* de genuina huius loci lectione sensisse videtur. Praeterea alii, vt *Grotius*, πειστοις, alii πειστικοις pro πειθοις arripuerunt. Sed licet non simus e numero eorum, qui veteres auias ipsis de pulmone auelli pati nequeant, receptasque lectiones nusquam coniecturis sollicitandas esse existiment; vix tamen a nobis impetrare possumus, vt mendum, codicibus, qui ad nos peruenerunt, antiquius, hic exstare largiamur, quo lectio πειθοις, omnibus istis lectionibus, coniecturarum magis minusue ingeniosarum ope inuentis intellectu, vel saltem cum idiomate graeco conciliatu longe difficilior in textum immota irrepserit. Neque praeterea esse arbitremur, quod studio tam acri lectionem bene graecam venemur, cum Paullum linguae graecae haud bene gnarum fuisse satis conftet, ita vt mirum nobis videri nequeat, si verba insolita ac minus pura, quin etiam ab ipso, ad analogiam aliorum verborum, formata (vid. infra), in scriptis eius deprehendantur. Nec id denique praetermittendum esse videtur, Paullum statim v. 13. eandem formulam σοφιας λογοις repetere, addito adiectiuo διδακτοις, cui l. n. respondet πειθοις, vnde voc. πειθοις et h. l. adiectiui loco fungi, magna saltem probabilitate colligere licet. Haec ea sunt, quibus, praeter codicum vnanimem fere consensum, mouemur, vt lectionem vulgarem seruandam censeamus, ad quam iam nunc explicandam transimus. Λογος et κηρυγμα sunt synn. pro *doctrina, institutio* (vid. ad 1, 21.), nisi forte illud ad *priuatam*, hoc ad *publicam* institutionem referri malueris. Ουκ, sc. ην (vid. ad v. 5.) *non constabat* s. *absoluebatur.* Σοφια iterum *sapientia, quam in philosophis artis dialecticae peritis, nec non in oratori-*

μεως· ἵνα ἡ πίστις ὑμῶν μὴ ᾖ ἐν σοφίᾳ ἀνθρώ- 5

bus Graecorum, admirabantur, (vid. ad 1, 17.), quaeque hic, si sana habenda esset lectio, vel saltem v. 13. ανθρωπινη, (s. των ανθρωπινων), dicitur, tum ex vsu loquendi eo, ex quo ea philosophiae pars, quae in dialectice versaretur, scientia *rerum humanarum* dici solita erat, tum ex opposito doctrinae Paullinae, quam Ap. se τῳ πνευματι του Θεου acceptam referre, persuasum habebat. vid. quae proxime sequuntur. Λογοι σοφιας igitur i. q. 1, 17. σοφια λογου. Πειθοις vero esse posset dat. plural. substantiui πειθω, *persuasio, suadela, suada*, quae vel Deae nomen erat apud veteres, cui vllum, nisi in oratione, sacellum esse, negabant poëtae (v. c. *Anacreon* od. 13.), quapropter etiam in labris Periclis, oratoris Attici, habitare dicebatur, (vid. Scholia ad *Aristoph.* Acharn. v. 529. vbi *Eupolidis* locus est elegans, quem et *Cic.* de orat. l. 3. c. 34. spectasse videtur); quin oratoria persuadendi norma *mellitorum armorum* nomine designatur *Heraclito* in alleg. Hom. p. 483. vnde *Demosthenis arma* lucem mutuantur ap. *Propertium* III, 20. 27. Iam commate post πειθοις posito, reliqua: (ανθρωπ.) σοφ. λογοις, explicationis causa apposita comparerent, quasi scripsisset Ap.: πειθοις, τουτ' εστιν· (ανθρ.) σοφ. λογ. *institutio mea non absoluebatur persuasionibus, h. e. sermonibus, qui a sapientia (humana) proficiscuntur.* Sic omnis quidem euanescit difficultas, qua haec vox, adiective sumta, laborat; sed noua ex forma plurali oritur, qua substantiuum πειθω nusquam occurrit, vt taceam de verborum constructione, quae etiam paullo insolentior videri possit. Quare πειθος pro adiectiuo retinendum videtur a Paullo ipso ex verbo πειθω formato, (ad analogiam aliorum verborum, vt μιμος a μιμεομαι, φειδος a φειδομαι, *condum* a *condo*, *promum* a *promo*), et synon. cum vocc. πειθανος s. πιθανος, i. e. *ad persuadendum idoneus*. *Salmasius* quidem de ling. Hellenist. p. 86. πειθος inter vocc. insolita et obsoleta reponendum esse suspicatur, cuius rei vestigium etiam *Kypke* sibi deprehendisse videtur ap. *Plat.* in Gorgia, qui eam animae partem, cui cupiditates insint, facile dicit αναπειθεσθαι, *persuasionibus moveri posse*, et addit: και τουτο (i. e. *hanc animae partem*), αρα τις μυθολογων κομψος ανηρ, ισως Σικελικος τις η Ιταλικος παραγων τῳ ονο-

πων, ἀλλ' ἐν δυνάμει Θεοῦ.

μκτι, δια το πιθκνον τε, και πιστικον (propter persuadendi vim) ωνομασε πιθον, (dolium); vnde concludit, πειθος, s. πιθος in Sicilia s. Italia saltem syn. fuisse cum voce πιθανος, persuasorius, siquidem propter το πειθον s. πιθανον anima hic diceretur πιθον, cum longius repetita videretur paronomasia, si anima vocaretur, voce hac tantum ad voc. πιθανον alludente. Sed, si quid sentio, pro voc. πειθος olim vsitato, ex hoc loco vix repeti potest praesidium. Nam si πειθος olim in Sicilia seu Italia in vsu fuisset, Platonem etiam, hominis Siculi verba commemorantem, hac ipsa voce πειθος vsum fuisse arbitrer, praecipue cum ad paronomasiam, quam exprimere volebat, multo esset aptior quam vocc. πιθανος et πιστικος. Αποδειξις, quod haud amplius in N. T. occurrit, est demonstratio, declaratio, quae fit certis argumentis. vid. loca ap. Wetst., quibus adde Xenoph. Mem. 4, 6. 13. p. 210. ed. Ernesti: Ει δε τις αυτῳ περι του αντιλεγοι, μηδεν εχων σαφες λεγειν, αλλ' ανευ αποδειξεως, ητοι σοφωτερον φασκων ειναι, ὀν αυτος λεγοι — επι την ὑποθεσιν επανηγεν. cf. praeterea Eund. de republ. Ath. 1, 1. et in N. T. Act. 25, 7. 2, 22. ibique Krebsium Gloss. Alb. εν δειξει expl. per εν φανερωσει. Inprimis αποδειξις, auctore Aristotele in 1 Post. Anal. est vocab. dialecticorum pro συλλογισμος επιστημονικος (i. e. scientiae efficiens), et πασα δειξις αληθης και εξ αληθων προτασεων. Sic etiam Aristoteles (Rhet. 1.) αποδειξεως ῥητορικης mentionem fecit, quam ενθυμημα esse perhibet. Quinct. vero l. 1. c. 18. enthymema rhetoricum ait esse syllogismum. Ibidem et αποδειξεων γραμμικων meminit, quae sunt mathematicorum. Πνευμα, Origenes, Theophylactus, et, qui hos sequuntur, Huetius, Grotius, Raphelius, alii, de vaticiniis prophetarum V. T., δυναμιν vero de miraculis Paulli intelligi volunt, ex quibus argumenta pro doctrinae suae veritate depromserit; quae tamen vocis πνευμ. significatio h. n. ex longinquo arcessita videtur. Quidni potius πνευμα intelligamus de insigniore illo impetu, quo Ap. ipse compulsus, se partim res, a caeterorum hominum sensu et intelligentia alienas, diuinitus edoceri, partim ad eas eloquendas excitari, certum habebat. Sic saepius hoc voc. in epist. nostra: 2, 10. 12. 13. 7, 40. 12, 9. 10. 14, 2. 14. 15. 16. coll. Eph. 3, 5.

Σοφίαν δὲ λαλοῦμεν ἐν τοῖς τελείοις· σοφίαν 6

5, 18. Hebr. 2, 4. 3, 7. vid. *Koppii* exc. 5. in ep. ad Gal. et nos ad 3, 16. Δυναμις vero cum voc. πνευμα iunctum, ἐν δια δυοιν, quod vocant, efficere, et pro δυναμις του πνευματος vel πνευμα δυναμικον positum esse videtur, sensu iam prodeunte hoc: *institutio mea, tam priuata quam publica, non spirabat sapientiae humanae commenta et dialecticorum ac rhetorum artificia, in verborum ad persuadendum idoneorum dilectu conspicua, sed meram eorum significationem, quae vis s. s. mihi subministrauit.* Ad sententiam dignissimus, qui cum comm. n. conferatur locus ap. *Max.* Tyr. diss. 15. p. 148.

5. Ἵνα vel est εκβ., *vnde sequitur*, vel consilium indicat, quo adductus Ap. non vsus erat in Corinthiis edocendis captionibus dialecticis, verborumque splendidorum ornatu. Praefero posterius. Πιστις h. n. est *assensus, quem Corinthii institutioni Ap. praebuerunt.* Εν σοφ. ανθρ. vero non differt a verbis εν πειθ. (ανθρ.) σοφ. λογ. v. 4, vti εν δυν. referendum est ad formulam εν αποδ. πν. κ. δυν. ibid. Totum comma circumscripserimus sic: ἵνα μη πιστιν παρεχητε τη εμη διδαχη δια την σοφ. ανθρ., αλλα δια την δυναμιν τ. Θ. *ne assensus, quem institutioni meae praebuistis, sapientia humana, sed vi diuina, qua impulsus vos edocui, quaeque adeo doctrinae meae subest, initi videatur.* Et sic Paullus h. l. negat, se oratoriis vti et ad persuadendum accomodatis humanae eloquentiae formulis, vt saepius *Socrates*, in Plat. apol., neglectis fallacibus verborum ornamentis, nudam se veritatem significat prolaturum. Versus est in Phoen. *Eurip.* Polyn. frequenter a veteribus excitatus, 471.

Ἁπλους ὁ μυθος της αληθειας εφυ.

Ceterum paullo adcuratius attendentibus in oculos incurret, Paullum, vtpote cui omnino c. 1-4. res erat cum Sophistis et graecanicae philosophiae doctoribus, totius etiam loci n. v 1—5. vestitum ex dicendi genere philosophico desumsisse. Praeter voc. σοφια, pro quo γνωσιν alias adhibere solent N. T. scriptores, et vox αποδειξις, dialecticis propria (vid. ad v. 4.), huc pertinere videtur. Praecipue vero formulae σοφια του Θεου s. θεια, et σοφ. ανθρωπων s. ανθρωπινη, cum formula *diuinarum et humanarum rerum scientia* s. *cognitio* (*Cic.* fin. 2, 12. Tusc. 5, 3.), qua ve-

δὲ οὐ τοῦ αἰῶνος τούτου, οὐδὲ τῶν ἀρχόντων τοῦ

teres, praeeunte Socrate, philosophiam definiendo explicasse constat, tantum non ad verbum conueniunt. Sed ad sensum etiam satis commode conciliari possunt. Siquidem Paullus quoque *cognitionem rerum hum.* (σοφ. ανθρ.), sub qua veteres, praeter ethicen, praecipue *artem disserendi* intellexerunt, ad illam ipsam *artem dialecticam* reuocat, *scientiam rer. div.* vero, (σοφ. του Θεου), a veteribus ad doctrinam de natura et *theologiam naturalem* restringi solitam, sibi non tam natura (Rom. 1, 19. 20.), quam supranaturali reuelatione magistra, contigisse profitetur. Nec profecto est, quod admiratione affecti quaeramus, vnde Ap. hanc rei philosophicae cognitionem hauserit? et, num Corinthii ad eam recte percipiendam satis instructi fuerint? cum Tarsus, Ciliciae metropolis, et Paulli Ap. ortu nobilis, ipsi philosophorum Graecorum placita inuestigandi opportunitatem offerret largissimam, scriptaque eius longe profundiorem philosophiae sui aeui cognitionem prodant, quam ex l. n. ipsi tribui debet; in vrbe Corinthiorum vero philosophiae studia inde ab antiquissimis temporibus laete floruerint. vid. prolegg.

6 — Cap. III. fin. Ap., quem omnis eruditionis et eloquentiae expertem esse falsi Corinthiorum doctores sermonibus diuulgasse videntur, ad refutandos eiusmodi calumniatores inde a cap. 1, 17. — 2, 5. *primum* ostenderat, doctrinam de Christo in cruce pro nobis mortuo, ad quam Corinthi omnem institutionem suam reuocaverat, non indigere magna eruditionis copia ac eloquentiae ornatu. vid. ad 1, 17. Iam nunc vero eiusdem probri amouendi causa pergit ad *alterum* argumentum hoc: *se quidem omnino et altioris indaginis sapientiam tradere posse, sed prouectioribus tantum, minime vero tironibus, quales adhuc sint Corinthii.* Et sic huic argumento simul inest correctio, ne lectores ex proxime superioribus colligant, Paullum *omni omnino sapientia* carere. Est vero, si quid sentimus, tota haec disputatio v. 6. — 3, 3. in qua Ap. ab argumentationis summa verbis σοφια τελειοις praemittenda orditur, ex intellectu difficilioribus, licet interpretibus, voc. σοφια parum curantibus, haud ita visa sit. Σο-

αἰῶνος τούτου, τῶν καταργουμένων· ἀλλὰ λα- 7

φιας vero est illa ipsa vox, a qua recte intellecta totius argumentationis vis pendet atque firmitas. Praeterea quod sunt, qui eam, repugnante totius loci contextu, ad *omnem omnino religionis chr. doctrinam* referri velint, quam Christiani sapientissimam esse vsu experti sint, longe plurimi eam de *profundiori sapientia chr.* seu distinctius de *arcanis quibusdam disciplinae chr. capitibus*, nesciunt quibus, intelligi malunt; nos vero eam ad solum *perfectiorem doctrinae modum*, quem Paullus v. c. in epp. ad Rom., Gal., Hebraeos, al., sequutus est, h. e. ad *philosophicum* illud, et *allegoricum* potissimum, interdum et *typicum disputandi genus*, reuocauerimus, quo adhibito Ap. lectoribus adyta ad profundiorem doctrinarum chr. sensum perpetrandum aperire solitus erat. Ne autem interpretatio in variis illis de σοφιας sententiis vaga et instabilis oberret, teneamus per commentarium, vt finibus suis, exiguis illis quidem, contineatur, vulgarem illam interpretationem, σοφιαν ad *altiora doctrinae chr. capita*, prouectioribus patentia, tironibus occlusa, referentem, qua ponenda a recta saltem *verborum* interpretatione non iusto longius aberrabimus, vlteriorem tamen eius diiudicationem, vt et qualiscunque sententiae nostrae expositionem excursui I. reseruaturi. Τελειος in vniuersum est *qui ad* τελος *siue metam* peruenit. Praeter caetera ap. veteres τελος *metam aetatis* significabat, vnde τελειοι sc. εν Χριστῳ, oppositi τοις νηπιοις εν Χριστῳ c. 3, 1. sunt *Christiani ad maturam viri aetatem* (ἡλικιαν) *prouecti*, (*Polyb.* hist. 4, 29. ελπισαντες ὡς παιδιῳ νηπιῳ χρησασθαι τῳ Φιλιππῳ, ευρον αυτον τελειον ανδρα), ac metaph. h. l. *qui*, *praecipue in rebus ad religionem pertinentibus*, *haud amplius circa ima rudimenta subsistentes*, *sapere audent*, adeoque iidem, qui v. 15. et 3, 1. πνευματικοι vocantur, oppositi τοις ψυχικοις v. 14. et σαρκικοις 3, 1. 4. qui locus omnino hic est conferendus. vid. etiam Hebr. 5, 13. 14. et 6, 1. sqq. Eodem sensu et *Hierocles* aur. carm. τους τελειους opponit τοις αρχομενοις, i. e. *sapientiae tironibus*. Potest vero τελος *culmen* etiam *intelligentiae*, s. *mysteria*, i. e. *doctrinas reconditas ac intellectu difficiliores* significare, ad quos non cuiuis rudi adhuc atque inculto aditus patebat, id quod nos docent Scholiastae *Hom.* ad

λοῦμεν Θεοῦ σοφίαν, ἐν μυστηρίῳ, τὴν ἀποκεκρυμ-

VARIAE LECTIONES.

7. Θεου σοφιαν pro σοφιαν Θεου habent ABCDEFG 37. 46. 74. 80. pluresue Matth. k. f. 19. Arm. Vulg. It. Clem. bis. Or. quater. Eus. Cyr. Naz. Bas. Chrys. (etiam in Matth. 2. 7.) Damasc. Theoph. Patr. lat. Lectio vulgaris librariorum incuriae deberi videtur, non attendenti ad vim in voce Θεου praemittenda latentem.

Il. κ. 56. et ad *Sophocl.* Oed. col. 1044. Hinc τελεται dicebantur *sacra silentio celanda* s. *mysteria*, τελειοι vero *mysteriorum capaces*, s. *ita comparati*, *vt mysteriis iam possent initiari*, ac ατελεστοι *a mysteriis remoti*, s. *profani*, vnde etiam factum est, vt τελειοω significare coepisset *consecrare*, et τελειωσις *consecrationem*, qua potestate reperietur aliquoties in vers. Gr. Exod. 29. Quare *Valckenarius* in hoc potissimum vsu loquendi, per se satis firmo, consistens, τελειους h. l. de *Christianis mysteriorum*, s. *doctrinae sublimioris capacibus* intelligi vult. Sic etiam *Owenus* τελειους ad gentilium initiatos et εποπτας magnorum mysteriorum, vel, praeeunte *Camerone*, ad Iudaeorum גמורים refert. Vtraque vocis τελειος interpretatio sensum quidem fundit eundem, sed cum τελειοι diserte τοις νηπιοις opponantur, prior ratio non dubitamus quin sit praeferenda. Sententiam eorum, qui sub τελειοις *Christianos omnino* intelligi volunt, in exc. I. data opportunitate examinemus. *Elsneri* vero sententia, qui praeeuntibus *Chrysostomo* et *Castalione*, σοφ. εν τοις τελ. iunctim reddi vult: *sapientia rerum perfectissimarum et excellentissimarum* (13, 10. Hebr. 6, 1.), quis non coactam et a sueto dicendi genere alienam dixerit? Alias aliorum interpretum de voc. τελ. sententias enumeratas et diiudicatas vid. ap. *Wolfium*. Λαλουμεν, *tradimus*, s. *tradere soliti sumus*, sc. *in aliis ecclesiis*, s. *in aliis ad alias ecclesias epistolis*, *vbi nobis cum prouectioribus res est*, vel, quod praetulerim, λαλουμεν pro ηδυνηθημεν (3, 1.) s. δυναιμην αν λαλειν, nam, quo minus λαλουμεν de iis intelligamus, quae Corinthiis olim tradiderit, et iam per hancce epistolam tradat, locus c. 3, 1-3. impedit, vbi Corinthios sine discrimine omnes νηπιους, s. απειρους της σοφιας Hebr. 5, 13. fuisse et adhuc esse dicit, quibus nonnisi γαλα propinare possit. Circumscripserim iam l. n. sic: δυναιμην αν καγω

μένην, ἣν προώρισεν ὁ Θεὸς πρὸ τῶν αἰώνων, εἰς

σοφιαν λαλειν, ου πασι δε, αλλα τοις τελειοις μονον; *possim et ego sapientiam tradere sublimiorem, at vero non quibusuis auditoribus, sed prouectioribus tantum, qui assequi possunt res intellectu difficiliores, quibus tamen percipiendis* (sic pergit Ap. c. 3, 1. sqq.) *vos impares adhuc deprehendo.*

Iam transit Ap. ad ipsam hanc arcanam, qua polleat, sapientiam vberius describendam — 9. Σοφ. τ. αιων τ. quae 1, 20. σοφ. τ. κοσμ. τ. dicebatur, est *vana ista sapientia, qualem huius aeui homines, non christiani, anquirunt.* Αρχοντες τ. αιων. τ. h. n. non tam de *hominibus in hoc mundo opibus et externa dignitate*, quam potius *eruditione ac doctrina pollentibus* intellexerim, (qui 1, 19. 20. σοφοι omnino et σοφοι τ. αιων. τ. dicuntur), siue sint *Iudaei*, siue *ethnici*. Praecipue vero Paullo et h. l. Sophistas atque Dialecticos graecos obuersatos esse, totius disputationis superioris contextus clamare videtur; quae et *Theophylacti* sententia fuit haec habentis: αιωνος τουτου σοφιαν ονομαζει την εξω, ὡς προσκαιρον, και τω αιωνι τουτω συγκαταλυομενην. αρχοντας δε του αιωνος τουτου τους σοφους και λογογραφους, και ῥητορας. Quo minus vero αρχ. cum nonnullis interpp. ad *solos* Iudaeorum, cum aliis ad *solos* ethnicorum proceres, et inter hos potissimum, propter v. 8. ad Pilatum et Herodem, referam, nexus, totiusque argumenti ratio obstat. Quodsi vero vel maxime αρχ. τ. α. τ ad *Iudaeorum* proceres restrinxerim, minime tamen των καταργουμ. eo sensu a Paullo additum esse arbitrer, quo ad dignitatem et potestatem ipsorum, excisa Hierosolymorum vrbe, imminutam ac prorsus deletam, spectaret; sed των καταργ. vel ex populari dicendi genere sumserim pro hominibus, *qui vanitatis conuicti sunt*, vel, cum alia aliorum saepius inuicem iungantur, sensum si spectamus, ad σοφιαν, de qua hic sermo est, retulerim sic: *quorum sapientia vana est et inutilis*; (nos: *deren Weisheit gerade nichts sagen will*), quasi scripsisset Ap. sic: ουδε την σοφιαν των αρχ. τ. α. τ. την καταργουμενην. vid. ad 1, 28. *Sapientia illa vulgaris, imo sapientia vel eruditissimorum huius aeui hominum, facta comparatione cum sapientia ea, quam equidem prouectioribus tradere possim, prorsus euanescit.*

7. Θεου σοφια et εν μυστηριω sc. ουσα seorsim sumi

8 δόξαν ἡμῶν· ἣν οὐδεὶς τῶν ἀρχόντων τοῦ αἰῶνος

possunt, pro σοφια θεια και μυστηριωδης, (*geheime, tiefe Weisheit*), vel iunctim pro σοφια εν μυστηριω Θεου sc. ποτε ουσα, quod Eph. 3, 9. μυστηριον αποκεκρυμμενον εν τω Θεω dicitur, i. e. σοφια μονω Θεω γνωρισθεισα s. γνωστη, *sapientia, praeter Deum, hucusque nemini cognita*, και αποκεκρυμμενη (h. e. σεσιγημενη, vel μη φανερωθεισα Rom. 16, 15.) sc. τοις ανθρωποις, *ac inter homines prorsus inaudita.* Possint vero etiam haec verba cum *Grotio*, constructione inuersa intelligi, sic: Θ. σοφ. την αποκεκρ. εν μυστηριω, vt sit *sapientia diuina in arcano recondita.* Sensus semper oritur idem, quamquam prior ratio mihi quidem facilior videtur, quare etiam comma post σοφιαν ponendum curauimus. De voc. μυστηριον vid. ad 4, 1. Προοριζειν est *decernere*, vel si vrgere velis praep. προ, *olim*, *ex aeterno decernere*, (quod statim exprimitur per απο των αιωνων, מעולמים Ps. 90, 2. Rom. 16, 25. alias προ καταβολης κοσμου. vid. ad 1 Petr. 1, 20.) vsurpaturque in N. T. maxime de decretis diuinis, ab aeterno conceptis, circa res in tempore futuras. cf. Act. 4, 28. Rom. 8, 29. 30. Eph. 1, 5. 11. Ἡν — αιωνων, suppl. αποκαλυπτειν ἡμιν, i. e. *quam Deus, ab aeterno rebus humanis prouidens, iam dudum reuelare decreuit.* Εις δοξαν ἡμων ex hebr. כבוד, quod tam *dignitatis* quam *felicitatis* notionem exprimere potest, sibi vult: *ad praestantiam nostram moralem indeque redundantem felicitatem iuuandam atque promouendam.* Sunt quidem, qui haec verba ad solum Ap. reuocari malint sic: *ad maximum honorem meum, quem Deus dignum censuit, cui res occultissimas reuelaret;* quo tamen sensu voc. δοξα in formula subsequente κυριος της δοξης, quibus verba nostra ansam praebuisse dubio caret, nullo modo sumi potest.

8. Iam Ap. vocabulo δοξα adductus, hanc ipsam dignitatem et felicitatem ex σοφια illa του Θεου redundantem copiosius describit. Ἡν, ad σοφια referri solitum, ne turbetur της σοφιας vlterior descriptio, ad quam et ἣν etc. in proxime superioribus referendum erat, equidem propter κυρ. τ. δοξης, quod sequitur, ad vocem δοξα proxime praecedentem spectare putauerim, quo nexu et sensum magis commodum fundere videtur. Αρχ. τ. α. τ. vid. ad v. 6. Εγνωκε et εγνωσαν emph. *intus cognoscere* et *penitius perspectum habere.* Ει —

τούτου ἔγνωκεν· (εἰ γὰρ ἔγνωσαν, οὐκ ἂν τὸν
κύριον τῆς δόξης ἐσταύρωσαν)· ἀλλὰ, καθὼς 9
γέγραπται· ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδε, καὶ οὖς οὐκ

εσταυρωσαν vncis includenda. Κυριος τ. δοξης ex hebr. sumi possit pro κυριος ενδοξος, vt ὁ πατηρ τ. δοξης Eph. 1, 17. pro πατηρ ενδοξος, et I. X. της δοξης Iac. 2, 1. pro I. X. ενδοξος; malim vero δοξαν eadem hic significatione retineri, quam v. 7. obtinere vidimus, vt κυρ. τ. δοξ. i. sit q. αρχηγος τ. ζωης Act. 3, 15. *verae praestantiae atque felicitatis nostrae auctor.* Εσταυρωσαν. *Summa* hic pro *omni omnino contumelia* posita est, ita vt Paullus, si in vocibus ludere voluisset, quod saepe facere non dedignatus est, et commode dicere potuisset: ει εγνωσαν ουκ αν τον Κυρ. τ. δοξ. κατεγνωσαν, quod et nos per verba *kennen* et *verkennen* imitari possimus. cf. Act. 8, 30. 1 Tim. 3, 2.

9. Αλλα. Prorsus non est, quod cum *Theophylacto*, cui vel *Grotius* suffragatus est, γεγονε subaudiamus. Ap. potius figuram adhibuit, quam πλοκην rhetores vocant. Postquam scilicet v. 6. se σοφιαν τ. αιων. τ. λαλειν negauerat, addideratque v. 7. quamnam aliam σοφιαν tradere valeat, sic pergens: αλλα λαλουμεν Θεου σοφ., ad quam explicandam inseruit parenthesin, quae porrigitur ad finem v. 8., iam hac finita, vlterius describit istam sapientiam repetita vocula, qua v. 7. orsus fuerat, αλλα, eaque arctissime iungenda cum verbis ἁ οφθαλμος ουκ ειδε κ. τ. λ., ita vt, si quid supplendum videatur, post αλλα ex v. 7. repeti posset λαλουμεν, formulaque καθως γεγραπται, (*vt mentem meam scripturae s. verbis exprimam*), parentheseos signis a caeteris separanda sit. Obuersatus esse videtur Paulli oculis locus Ies. 64, 3. vbi Iudaei, felicitatem, omnem exspectationem superantem, immo prorsus inauditam praedicantes inducuntur, quam sibi ab exilii miseria liberatis, Iehovah paraturus sit. Iam vero cum locus iste e vers. Al. sic audiat: απο του αιωνος ουκ ηκουσαμεν, ουδε οἱ οφθαλμοι ἡμων ιδον Θεον πλην σου, και τα εργα σου, ἁ ποιησεις τοις ὑπομενουσιν ελεον; leuissima omnino hic cernitur verborum prophetae cum l. n. similitudo, quapropter *Origenes*, *Hieronymus*, alii, locum in apocryphis Eliae exstitisse, *Grotius* vero eum ex scriptis Rabbinorum, qui verba nostra ex veteri traditione habuerint,

ἤκουσε, καὶ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου οὐκ ἀνέβη,

depromtum esse censuerunt. Cum tamen Paullum effata s. s. saepius, prout ea memoria teneret, proferre, et ad argumentum suum, sensu, haud raro a veteris scriptoris mente alieno, transferre constet; putauerimus potius, Paullum non tam locum ad verbum allegare, quam nonnulla, quae e re sua esse deprehenderet, mutuare, mutuataque dicendi formulis, a Rabbinis aliisque in describenda re inaudita vsurpari solitis, vlterius amplificare et exornare voluisse, ad ipsius rei novae et inauditae notionem eo penitius exhauriendam. Ἁ, ex Paulli mente pro σοφιαν, ἥν οφθ. etc. Ἁ οφθ. — ηκουσε, concise pro: ἅ ουδεις πωποτε τοις οφθαλμοις ειδε, και τοις ωσιν ηκουσε, *quae nemo vnquam sensuum ope percepit.* Επι καρδιαν ανθρωπου ουκ (vel, ex hebr. לא איש, ουδενος ανθρωπου) ανεβη, ex hebr. עלה על לב Ies. 65, 17. Ier. 3, 16. *quae nullius animum vnquam subierunt*, seu *nullius animo oborta sunt.* Luc. 24, 38. Act. 7, 23. Habes vero et ap. *Virg.* Aen. 2, 582. *sententia surgit animo.* Continent verba ἅ οφθ. — ανεβη *rerum prorsus incognitarum et inauditarum* periphrasin, et aliis scriptoribus vsitatam. Sic *Maimonid.* de fundam. leg. *Haec autem res non potest ore proferri, nec auribus vsurpari, aut mente hominis perspicue comprehendi.* Similiter *Empedocles* ap. Plutarch. de aud. poët. Ουτ᾽ επιδερκτα ταδ᾽ ανδρασιν, ουκ επακουστα, Ουτε νοῳ περιληπτα. *Cic.* p. Marcello 2. *Quae quidem ego, nisi ita magna fatear, vt ea vix cuiusquam mens aut cogitatio capere possit, amens sim.* Ἁ, quod ad vim orationis augendam repetitur, (Gal. 2, 18.), positum est pro τοιαυτα, i. e. τοιαυτην σοφιαν. Ἡτοιμασε, ad sensum loco προωρισε v. 7., *destinauit* seu *olim dare decreuit.* Deum enim nobis non minus *parare* quam *asseruare* (τηρειν 1 Petr. 1, 4.) dicunt N. T. scriptores, quae *olim largiturus esse* putandus est. Οἱ αγαπωντες τον Θεον, vt οἱ ελπιζοντες επι τον Θεον, οἱ φοβουμενοι τον Θ. et i. g. a. ex hebr. קורי י׳, אהבי יהוה, חוסים בו, יראי י׳ etc. sunt *hominum piorum* periphrases synonn. inde petitae, quod Hebraei singulares virtutes, a vero cultu div. nullo modo segregandas, pro toto cultus div. ambitu ponere soliti essent. Sic, v. c. Rom. 8, 28. οἱ αγαπωντ. τ. Θ. iidem sunt, qui ibid. v. 21. τεκνα τ. Θεου, v. 27. ἁγιοι, v. 33. εκλεκτοι appel-

ἃ ἡτοίμασεν ὁ Θεὸς τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν. Ἡμῖν 10
δὲ ἀπεκάλυψεν ὁ Θεὸς διὰ τοῦ πνεύματος αὐτοῦ·

lantur. Iam sensum atque sententiarum consequutionem vv. 6-9. significauerim fere sic: *Possum et ego sapientiam tradere provectioribus, neque tamen eam, quam huius aeui homines vel eruditissimi anquirunt* v. 6. sed *arcanam, quam Deus rebus humanis prouidens iamdudum hominibus reuelare decreuerat ad δοξαν s. salutem eorum moralem promouendam* v. 7. (*quam tamen salutem ne eruditissimi quidem cognouerunt, neque enim, si eam cognouissent, auctorem της δοξης, in crucem egissent*), v. 8. sed *prorsus inauditam, quam nemo vnquam vllo modo percepit, qualemque Deus piis suis cultoribus*, (dummodo ad eam percipiendam satis praeparati euaserint, per apostolos) *reuelare decreuit*. v. 9.

10-12. Iam *quomodo* sapientia illa inaudita *sibi* potissimum innotuerit, Ap. declarat v. 10. et exemplo, ab intellectu humano petito, explicat v. 11., id quod v. 12. ad se, sapientiamque suam accommodat. Ἡμιν, ad Paullum restringendum est, non exclusis tamen reliquis apostolis. Απεκαλυψε sc. ἁ οφθ. ουκ ειδε, κ. τ. λ. Πνευμα, quod Ioh. 16, 13. dicitur. πν. αληθειας, vid. ad v. 4. Ερευναν, quod, metaphora forsitan a metallorum fossoribus desumta, ad quam et voc. τα βαθη bene quadrat, proprie est *indagare, scrutari*, absque omni *accuratioris* inuestigationis emphasi, vel cum dicendi formulis ερευν. μετα πασης ακριβειας, ακριβως seu ακριβεστερον, vix concilianda, (cf. etiam *Ios.* ant. II, 6, 7.) h. l. effectum denotat: *cognoscere, certissime scire*, vt חקר Ps. 139, 1. *Hes.* ερευναν· ζητειν, pro quo Petrus εκζητειν iunctim cum ερευναν adhibuit 1 ep. 1, 10. Cf. praeterea *Loesnerum* ad h. l. nec non ad 1 Petr. l. c. et Ioh. 5. 39. *Krebsium* ad Ioh. l. c. *Alberti* et *Raphel.* annott. Polyb. ad h. n. Και adeo. Βαθος, α βαω *innitor*, proprie est *cui quis innititur*, *fundus*. Hinc etiam *profunditas*. Matth. 13, 5. Luc. 5, 4. metaph. vero h. n. vt αβυσσος, dicitur omne *abstrusum et soli intellectui hominum vel perspicacissimorum imperuium*, quod alias dicitur ανεξιχνιαστον Rom. 11, 33. Eph. 3, 8. ανεξερευνητον Rom. l. c. μυστηριον αποκεκρυμμενον Eph. 3, 9. Bene *Hesych.* τα βαθη· τα αχωρητα, τα

τὸ γὰρ πνεῦμα πάντα ἐρευνᾷ, καὶ τὰ βάθη τοῦ
12 Θεοῦ. Τίς γὰρ οἶδεν ἀνθρώπων τὰ τοῦ ἀνθρώ-

VARIAE LECTIONES.

11. ανθρωπων A. Ath. Cyr. Vigil. taps. et του ανθρωπου posterius F G boern. Or. semel. Hilar. Ambr. alicubi. Vigil. alicubi omittunt, loci vestitui magis quam sententiae consulentes. — Pro τα του Θεου exhib. το του Θεου D. a pr. m. τα εν τῳ Θεῳ F G boern. Ambrst. Hilar. Alii. — Pro οιδεν posterius habent εγνωκεν A C D E 37. 39. 46. 71. 74. 80. Barb. 1. Matth. k. Vulg. It. Or. semel. Ath. Bas. Antiochus. Cyr. vtr. Damasc. Ambr. Hilar. Alii. εγνω F G 23. Bas. Epiph. Alii. *Griesb.* lectionem εγνωκε receptae aequalem, immo forsitan praeferendam iudicat.

ακατεληπτα. Cf. *Raphel.* qui plura loca ex *Polybio* congessit, quibus βαθος etiam *eam mentis atque ingenii altitudinem* significat, *qua praediti abdita quaeque examinamus ac dispicimus,* (e. g. *Polyb.* p. 396. ed. Gronov. vbi *Valesius*), quam *Philo* leg. ad Cai. p. 997. A. φρονησιν βαθειαν vocat. (vid. *Loesnerum* in h. l.) Hinc Patribus solennes sunt formulae: βαθος νοηματων, β. δογματων, β. διανοιας. (vid. *Suic.* s. v. βαθος.) Sic etiam Chaldaei אמיקתא Dan. 2, 22. (Alex. τα βαθεα), pro *consiliorum profunditate* adhibent, et Hebraei dicunt העמיק Ies. 31, 6. (Alex. βαθειαν βουλην βουλευεσθαι), pro *consilium profundum consultare.* Τα βαθη του Θεου igitur h. l. sunt: νοηματα του Θεου βαθεα, *arcana Dei consilia, ab intellectu hominum remota,* s. *mens diuina occultior* omnino, quam Paullus v. 7. vocabat σοφιαν Θεου εν μυστηριῳ αποκεκρυμμενην. Bene *Theophylact.* simpliciter per μυστηρια του Θεου et *Seuerus* ap. *Oecum.* in h. ep. p. 393. per αἱ βαθυταται και διαλανθανουσαι ἡμας οικονομιαι reddidit. Quae autem hic de πνευματι praedicantur, ad *Paullum* πνευματι *adiutum* transferenda videntur sic: ἡμιν δε απεκαλυψε το πνευμα του Θεου· ἡμεις γαρ δια του πνευματος (*ich, unter dem Beystande des Gottes-Geistes*), παντα δυναμεθα ερευναν, και τα βαθη του Θεου.

11. Τις ανθρωπων inuicem iungenda pro τις ανθρωπος. Τα του ανθρωπου sc. βαθη, s. νοηματα βαθεα. Πνευμα ανθρωπου, h. n. pro νους ανθρ. Το εν αυτῳ sc. ον s. ενοικουν. Minime vero hic cum interpp. monuerimus, Paullum vocibus ανθρωπ. et

που, εἰ μὴ τὸ πνεῦμα τοῦ ἀνθρώπου τὸ ἐν αὐτῷ;
οὕτω καὶ τὰ τοῦ Θεοῦ οὐδεὶς οἶδεν, εἰ μὴ τὸ
πνεῦμα τοῦ Θεοῦ. Ἡμεῖς δὲ οὐ τὸ πνεῦμα τοῦ 12

Θεος toties repetitis supersedere potuisse scribendo sic: τις οιδε τα ἑαυτου sc. νοηματα, ει μη το πνευμα αυτου etc. Consulto enim vocc. ista, spretis pronominibus, diserte repetuntur, quo magis applicatio huius exempli ab *homine* desumti, ad *Deum* facta, totiusque omnino sententiae vis, in oculos incurrat. Quapropter mirum est, *Grotium*, vnius cod. auctoritate motum, voce ανθρωπων nihil opus esse iudicasse, cum tamen omitti non possit, absque manifesto sensus detrimento. vid. var. lect. Ουτω, scienter hic post interrogationem, contrarium valide affirmantem, positum, licet neque ὥσπερ, neque καθως, vel simile quid praecesserit, monstrat elegantiam in commate latentem. Τα του Θεου, (s. τα εν τω Θεω), sc. βαθη. οιδεν i. e. εγνωκε, s. εγνω, (vid. var. lect.) pro quo *Epict.* ench. c. 78. dixit: τα θεια επισταται. Πνευμα τ. Θ. h. n. *mens diuina.* Iam is est sensus orationis Paullinae: *Quemadmodum enim, quid quisque hominum cogitet, nemo scit, nisi ipse cuiusque spiritus, ita nec arcana Dei consilia quisquam nouit, nisi ipse Dei spiritus;* iam suadente nexu cum v. 12. supplendum: *adeoque nemo hominum in arcana Dei consilia penetrare potest, nisi Deus* το πνευμα αυτου *cum eo communicauerit;* nam summa sententiae Paullinae huc redire videtur: ὡς ουδεις των ανθρωπων οιδε τα νοηματα του ανθρωπου, ει μη δια πνευματος ανθρωπινου, ουτω και ουδεις οιδε τα του Θεου νοηματα, ει μη δια πνευματος θειου.

12. Ἡμεις, ad Ap. restringendum est. Κοσμος, h. n. pro ανθρωποι εν τω κοσμω. vid. ad Iac. 1, 27. adeoque πνευμα του κοσμου s. ανθρωπινον, s. ανθρωπου v. 11. est *ingenium vulgare, omnibusque hominibus commune, cuius ope res istas sublimiores* (de quibus Paullo ante sermo erat), *indagare nequeunt.* Ουκ ελαβομεν sc. ετι νυν εκ s. ὑπο του Θεου. (vid. infra versionem). Το πν. το εκ τ. Θεου sc. δοθεν, s. πορευομενον, s. πεμφθεν, i. q. πνευμα τ. Θεου v. 11. s. πν. θειον, (vt ap. *Thucyd.* 3, 16. απιστουντες τῃ εξ αυτων ξυνεσει pro τῃ αυτων ξυνεσει), i. e. *mens diuina, quae res vel*

κόσμου ἐλάβομεν, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα τὸ ἐκ τοῦ Θεοῦ, ἵνα εἰδῶμεν τὰ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ χαρισθέντα

occultissimas perspectas habet. Ἱνα ειδωμεν sc. δι' εκεινου πνευματος του εκ τ. Θ. Χαριζεσθαι vel χαρισασθαι in medio vi formae suae est *semet ipsum gratiosum et amabilem exhibere*, qua potestate legitur Eph. 4, 32. Col. 3, 13. Ab illo vsu elegantiorum vulgaris loquendi consuetudo recedens χαριζ. adhibuit pro *largiri* s. *gratiose largiri*, εκ χαριτος διδοναι, ita vt, quod saltem Ap. hac voce simul exprimere voluisse videtur, *merito nihil tribuatur.* Sic et Alex. hac voce vsi sunt ad reddendum hebr. נתן Esth. 8, 7. et ap. *Aelian.* v. h. 9, 1. opponitur τῳ λαμβανειν, vt et *Xenophonti* mem. 1. 2. 10. κεχαρισμενοι sunt *beneficiis affecti.* Τα ὑπο τ. Θ. χαρισθ. non restrinxerimus cum interpp. ad *felicitatem in vita post mortem futura nos manentem*, sed ad omnia omnino *commoda moralia* retulerimus, *siue sint praecepta, siue doctrinae, siue promissa etc. quae της του Θεου σοφιας, seu religionis div. beneficio nobis summa contigerunt.* Iam sensus h. c. ex populari dicendi genere sic constituendus esse videtur: το πν. ὁ ελαβ., ἱνα ειδωμ. τα ὑπο τ. Θ. χαρισθ. ἡμ., ουκ εστι το πν. τ. κοσμ. (s. πασιν ανθρωποις κοινον), αλλα τ. πν. εκ τ. Θ. *facultates, quibus equidem, ex quo apostolus constitutus sum, me instructum sentio, non tam sunt facultates istae vulgares, omnibusque hominibus communes, quibus arcana Dei consilia inuestigare haud licet; sed potius facultates ipsae diuinae, quas Deus mihi impertiit, vt earum ope perspiciam, quaenam sint summa illa commoda moralia, diuinae istius doctrinae, sic mecum communicatae, beneficio gratiose hominibus concessa.* E vulgari autem interpretatione πν. τ. κοσμ. vt σοφια τ. αιων. τ. v. 6. pro *eruditione humana*, πν. τ. Θεου vero vt σοφια τ. Θεου v. 7. pro ipsa *rerum diuinarum scientia*, humanam sapientiam longe superante, accipi solent, ita vt Paullus h. c. *laetari videatur hac scientia diuinitus sibi concessa, etiamsi artium literarumque, licet egregiarum, cognitione careat.* Prior vero qualiscunque explicatio tam vsui loquendi voc. πνευμα, quam nexui cum v. proxime praecedente magis congrua videtur.

ἡμῖν· ἃ καὶ λαλοῦμεν, οὐκ ἐν διδακτοῖς ἀνθρω- 13

13-16. Addit Ap., quatenus et quibusnam hominibus την σοφιαν του Θεου και τα χαρισθεντα ἡμιν δι' αυτης exponere possit. 'Α, pro ταυτα δε sc. τα χαρισθ. ἡμ. Λαλουμεν, et hic acceperimus pro δυναιμην αν λαλειν. vid. ad v. 6. Λογοι, non *verba* solum, sed et omnem *tractationis modum* significat, ita vt expositionis rationem, argumentorum dilectum, pondus atque ordinem, totumque omnino dicendi genus amplectatur. (nos: *Vortrag.*) cf. Act. 2, 40. 15, 32. 20, 2. Eph. 5, 6. Διδακτον, passiua gaudens significatione, est *id quod docetur*, s. *doceri potest.* Vti igitur Ioh. 6, 45. διδακτοι του Θεου, (qui est genitiuus *causae*, haud raro in statu constructo, quem vocant, latentis), ex hebr. למודי יהוה Ies. 54, 13. sunt *a Deo instituti*, sic λογοι διδ. ανθρ. σοφ. sunt *sermones*, *qui docentur*, *s. doceri possunt sapientia humana*, *i. e. praeceptis ac artibus eruditis*, *iisque potissimum dialecticis ac rhetoricis*; et διδακτοι πνευματος sc. λογοι, *sermones*, *qui a spiritu div. suppeditantur.* Suspicabatur *Bentleius*, memorante *Wetstenio* in proleg. p. 172., διδακτοις in posteriori hoc membro vna litera auctius αδιδακτοις scribendum esse, ita vt αδιδακτοι πνευματος λογοι, ex oppositione satis elegante, sint *sermones spirituales*, *quos nulla sapientia hum. docet ac docere potest.* Sed nonne λογοι του πνευμ., αδιδακτοι δια σοφιας ανθρ. et ipsi, sensu vix mutato, διδακτοι δια του πν. putandi sunt? Quare non opus est hac coniectura, omni insuper codicum auctoritate destituta. Ceterum sunt, qui verba nostra εν διδακτοις ανθρ. σοφ. λογοις protinus respondere existiment verbis εν πειθοις σοφ. λογοις v. 4., id quod tamen, in tanto vocc. πειθοις et διδακτοις discrimine, tunc demum recte moneretur, si εν πειστοις ibi legendum esset, vt nonnulli legendum iudicarunt. Circumscripserim l. n. fere sic: εδυνηθην καγω λαλειν περι των δια της σοφιας του Θεου χαρισθεντων ἡμιν, καιπερ οφθαλμος ουκ ειδεν αυτα, αλλ' εν λογοις μονον, οἱς παρεχει το πνευμα, ουκ εν λογοις, οἱς οἱ Σοφοι και οἱ 'Ρητορες ὑμων διδασκουσι. Similiter *Plato* in Menone (disputat: vtrum σοφια sit διδακτη, vt Sophistae volebant), concludit: αρετη αν ειη ουτε φυσει ουτε διδακτον, αλλα θεια μοιρα παραγιγνομενη ανευ νοῦ, οἱς αν παραγιγνηται. Πνευματικοις, vel suppl. ex proxime superioribus λογοις, vel e mox

πίνης σοφίας λόγοις, ἀλλ' ἐν διδακτοῖς πνεύ-

VARIAE LECTIONES.

13. ἃ omitt. FG. gr. Eus. — λαλουμεν cum ελαβομεν commutat 49. — Pro ανθρωπινης exhib. ανθρωπινοις 39. 71. 80. — Loco διδακτοις poster. hab. διδαχη 10. Arm. Vulg. Damasc. Vigil. semel. Alii. διδαχη bis pro vtroque διδακτοις Syr. Erp. It. Ambrst. Gaudent. διδακτης bis 52 ex emend. διδακτικοις bis Barb. 1. — ἁγιου post πνευματος omitt. ABCDFG. 17. 67. ex emend. 71. 80. Syr. Erp. Copt. Arm. Vulg. It. Clem. Or. sexies. Meletius ap. Epiph. Eus. Cyr. vtr. Damasc. Ambrst. Pel. Patr. lat. probb. Grotio, Millio, Bengelio, Griesb. Vatero. — πνευματικως pro πνευματικοις 17. Barb. 1. (fortassis ex v. 14.) — συγκρινομεν loco συγκρινοντες substit. FG. Vtrumque habet boern.

sequentibus ανθρωποις. Praeferimus rationem posteriorem, quam iam *Pelagius*, *Sedulius*, *Haymo*, alii, sequuti sunt: nam vti otiosa compareт, quae ex priore prodit sententia, (vid. infra), quippe quae iam in verbis modo enunciatis αλλ' εν διδακτοις πνευματος lateat; sic posterior eo adstruitur, quod ratio v. 14. subiungitur, cur Ap. τα πνευματικα nonnisi τοις πνευματικοις, s. *hominibus spiritualibus* exponere possit atque solitus sit, in qua vlterius explananda v. 14. 15. et ad Christianos Corr. transferenda c. 3, 1., οἱ πνευματικοι tam τοις ψυχικοις, quam τοις σαρκικοις et νηπιοις εν Χριστῳ opponuntur. Sunt vero οἱ πνευματικοι haud alii, quam qui ελαβον και αυτοι το πνευμα το εκ του Θεου v. 12., seu, vbi a notione illa του πνευματος, του τα παντα ενεργουντος, recesseris, *Christiani prouectiores*, οἱ το πνευμα, i. e. τον νουν, και τα αισθητηρια γεγυμνασμενα εχοντες προς διακρισιν καλου τε και κακου Hebr. 5, 14., qui eodem nexu et sensu τελειοι v. 6. et φρεσι τελειοι 14, 20. dicuntur, quos tamen Ap. πνευματικους h. l. vocare maluisse videtur, tum quia voc. πνευμα ipsius menti inde a v. 10. semper obuersabatur, tum quia prouectiorem hanc ipsam mentis formationem atque culturam, vt eximia quaeuis in homine *christiano* conspicua, ipsi τῳ πνευματι του Θεου tribuenda esse existimabat. (de quo plura disputabimus ad 3, 16.) Hinc non miraberis, posteriorem hanc notionem mentis culturae vel *spiritus div. ope productae*, disputationi Paullinae proxime subsequenti, non solum vbi vo-

ματος, πνευματικοῖς πνευματικὰ συγκρίνοντες.

ces πνευμα et πνευματικος ad se, sed etiam vbi eas ad Corr. referri vult, simul admixtam deprehendi, licet eas, quantum ex vocab. τελειος, voci νηπιος opposita, et ex totius loci contextu colligere licet, nonnisi in vniuersum ad *mentem ad altiora capienda satis efformatam* reuocari velit. Πνευματικα igitur sc. βαθη, s. νοηματα, quae v. 11. τα του Θεου dicebantur, de illis ipsis *doctrinis arcanis* acceperim, quas *reuelationi* se debere, Ap. persuasum habuit. Συγκρινοντες, pro δει ἡμας συγκρινειν. Praeter propriam significationem *confundere, commiscere*, 2 Cor. 10, 12. συγκρινειν et *exponendi* et *interpretandi* vi obtinet ap. Alex. qui hac voce expresserunt chald. פשר Dan. 5, 13. 17. et hebr. פתר Gen. 40, 8. (vbi *Aquila* επιλυειν, *Symmachus* autem διακρινειν habet), v. 16. 22. 41, 12. 15. Sic et simplex κρινειν legitur ap. Theocrit. Idyll. 21, 29. et *Ios.* ant. II. 5. Cf. *Loesnerum* et *Krebsium*. Frequentior quidem verbi συγκρινειν significatio est *componere* (vid. ad 2 Cor. 10. 12.), quae et ipsa eundem sensum parit, nam *verba spiritualia componere cum rebus spiritualibus*, quid quaeso aliud est, quam *verbis spiritualibus vti ad spiritualia exponenda*; sed nimis contorta apparet dicendi ratio. Claret iam, vbi πνευματικοις addito λογοις expleueris, mens Paulli haec: *exponere possumus sapientiam diu.*, *quam τῳ πνευματι acceptam referimus*, *ac eodem modo*, *quo το πνευμα eam exponi vult*; in qua quidem enuntianda e *rerum* diuinarum, intellectum humanum longe excedentium reuelatione collegisse videtur, et earundem *tractandarum* rationem indidem deriuandam esse. Quodsi vero ανθρωποις in voce πνευματ. subaudieris, sensus prodit hic: *doctrinas*, *quas iuuante sp. s. equidem perspectas habeo*, *nonnisi πνευματικοις* siue *hominibus tradendas censeo*, *qui pro cultiori*, *qua pollent*, *mentis ingeniique vi*, (*et ipsa τῳ πνευματι debita*), *earum intelligentiam capere valent*. Reliquae reliquorum interpretum sententiae, quorum alii, e. c. *Chrysostomus* et *Theodoretus*, verba πνευματ. πνευμ. συγκρ. per: *spiritualem N. T. doctrinam testimoniis e V. T.* quod itidem spirituale sit, *desumtis confirmare*, alii, in quorum numero vel ipse *Grotius* deprehenditur, inuerso ordine, per: *V. T. e N. interpretari*, alii denique aliter explicari volunt, vix

14 Ψυχικὸς δὲ ἄνθρωπος οὐ δέχεται τὰ τοῦ πνεύ-

dignae sunt, quae commemorentur. Cf. var. lectt. quarum alia aliis obseruandis materiam suppeditabit.

14. Sequitur ratio, cur Ap. τα πνευματικα nonnisi πνευματικοις tradat; vnde part. δε pro γαρ acceperimus. Ψυχικος, a ψυχη, quatenus τον νουν, i. e. *mentem*, *seu id*, *quod in nobis cogitat*, *intelligit et vult*, *ac singulas eius facultates atque propensiones* designat, est homo, qui in rebus diuinis inuestigandis *facultates istas vulgares sequi solitus*, *sibique unice relictus et sufficiens*, *iuxta opinationes leuiter arreptas ruit*, *repudiata omni rerum reuelatarum scientia*, (*der Naturmensch*), quem Iudas v. 19. ψυχικον, πνευμα μη εχοντα vocat. Optime *Suidas*: Ψυχικον καλει ὁ Αποστολος τον τοις ανθρωπικοις λογισμοις τα πραγματα επιτρεποντα, και την του πνευματος ενεργειαν μη δεχομενον, κ. τ. λ. vid. nos ad Iac. 3, 15. Quodsi vero ψυχικος, praeeunte potissimum *Noesselto*, (opusc. fasc. II. p. 132.), quem sequuti sunt *Rosenmüllerus*, *Krausius*, *Valckenarius*, ab ea vocis ψυχη significatione deriuari malueris, ex qua est *anima*, *seu ipsa illa pars essentialis*, vt vulgo vocatur, *qua viuit*, *sentit ac mouetur homo*, *aeque ac caetera animantia*, quae inde nomen habent, quod *Plato* το θηριωδες τε και αγριον, *Symmachus* vero, interpretum doctissimus, το επιθυμητικον vocant, (vt v. c. apud *Ios.* ant. I. 2. Deus primo homini πνευμα et ψυχην indidisse dicitur, vbi πνευμα est, quod homini proprium, ψυχη autem quod ipsi cum brutis animantibus commune est; vnde et *Siracides* 5, 2. iungit loquutiones εξακολουθειν τῃ ψυχῃ et πορευεσθαι εν επιθυμιαις καρδιας); ὁ ψυχικος habendus erit: *qui spreta ratione coeco tantum prauarum affectionum impetu abripitur*, (*der sinnliche* oder *thierische Mensch*), seu qui, *Noesselto* interprete, *sensu ducitur suo*, *nec*, *quod homines decebat*, *rectam rationem sequitur*, *inprimisque in religione aestimanda ne alios audit quidem*, *nec vel examinat oblata sibi*, *vel experimenta facit eorum*, *quae audiuit*, *vt*, *quale sit istis pretium statuendum*, *intelligat*, *sed temere repudiat quae sentit suis opinionibus et libidinibus contraria*. Sic duce vtraque vocis ψυχη significatione, de qua nihil doctius legi poterit obseruationibus *Vitringae* l. 1. c. 4. et 11. ad

ματος τοῦ Θεοῦ· μωρία γάρ αὐτῷ ἐστὶ, καὶ οὐ δύναται γνῶναι· ὅτι πνευματικῶς ἀνακρίνεται· ὁ 15

hominis *profani, ac altioris sapientiae chr. luce non-dum collustrati* seu ου πνευματικου, notionem in voc. ψυχικος latentem pertingimus. Praetulerimus tamen rationem priorem, quia nobis quidem vniuersae demonstrationi, per totum hoc cap. non tam homines voluptatibus mancipatos frenaque laxantes, quam de opinata sapientia, sibi solis debita, gloriantes castiganti, magis consentanea videtur. Ceterum Ap. quomodocunque ψυχικ. acceperis, in eligenda hac voce sequutus est rationem dicendi eam, quae est in praecipuis orationis virtutibus, vt vno verbo non solum rem, sed etiam eius modum aut causam significet. Δεχεσθαι vt παραλαμβανειν et hebr. לקח, h. n. vel est *assentiri, recipere,* (*er ist nicht empfänglich dafür*), vel *assequi, intelligere*, κατανοειν, (cf. Prov. 1, 3. vbi Alex. לקח reddiderunt per νοησαι), ita vt ου δεχεται i. sit q. ου δυναται γνωναι. Plura vid. ad Iac. 1, 21. Τα του πνευμ. τ. Θεου, i. e. τα νοηματα, ἁ ενεργει s. παρεχει μοι το πν. τ. Θεου, i. q. πνευματικα v. 13. et σοφια τ. Θεου v. 7. *religionis mysteria, quae equidem reuelationi div. accepta refero.* Μωρια — εστι pro μωρια μαλλον αυτῳ δοκει ειναι. *insanire ipsi viderer, ubi res a spiritu diuino profectas, proferre vellem.* vid. ad 1, 18. Και ου, pro ου γαρ δυναται γνωναι, *nam ea intelligere nequit*, nimirum quia non semper conciliari possunt cum sapientia illa humana, cui soli inhiat, sed potius πνευματικως ανακρινεται, i. e. δει ανακρινεσθαι παρ' ανθρωπων πνευματικων, s. *ab hominibus chr. qui* πνευματι *s.* νῳ *magis exculto et collustrato fruuntur, ac certo quodam modo* το αυτο πν. τ. Θεου *mecum nacti sunt.* vid. ad v. 13.

15. Comma hoc nobis quidem arcte cohaerere videtur cum verbis vltimis v. 13. Postquam ibi probauit Ap., se nonnisi τοις πνευματικοις, (non item τοις ψυχικοις), τα πνευματικα tradere solere; nunc, post *causam* v. 14. insertam, sic pergit: commode se hunc auditorum dilectum habere posse, cum quilibet πνευματικος quemlibet ψυχικον diiudicare valeat. Πνευματικος, vid. ad v. 13. Ανακρινει pro δυναται ανακρινειν, *diiudicare potest.* cf. c. 4, 3. Παντα, pro neu-

δὲ πνευματικὸς ἀνακρίνει μὲν πάντα, αὐτὸς

VARIAE LECTIONES.

15. Abest μεν in AD a pr. m. FG. 17. Syr. Erp. Vulg. It. Or. Theodoret. alicubi. Patr. lat. (fortassis vitandae opinatae difficultatis causa in comment. commemoratae). — τα παντα exhib. AD a pr. FG. 17. 67. 71. Matth. f. Chrys. etiam in Matth. 7. παντας. Theodoret. in textu et comment. (sed alibi παντα) Iren. semel.

tro haberi et ex v. 13. suppleri solet: τα πνευματικα, (vnde et lectio τα παντα vid. var. lect.), neque id male per se, cum et v. 10. το πνευμα dicatur π α ν τ α ερευνᾳν, Paullusque saepius verba infinita adhibeat cum aliquo modo, vt ουδεν sc. βρωμα Rom. 14, 14., ipsamque vocem nostram παντα 3, 21. Col. 8, 8.; sed parum apte ad vestitum sententiae oppositae αυτος - ανακρινεται. (vid. quae sequuntur). Rectius omnino *Bosius* (exercitt. phil. p. 123.), et qui eum sequnti sunt *Loesnerus*, *Noesseltus*, *Rosenmüllerus*, *Krausius*, alii, παντα pro quarto casu sing. masc. habentes, ψυχικον ex v. 14. suppleri malunt, quia sententia ista: ὁ πν. ανακρ. μ. π α ν τ α manifesto reciprocatur in ea quae sequitur: αυτος δε ὑπ' ουδενος ανακρ., ita vt voci ουδεις respondeat πας, per legem disiunctionis necesse sit. Possit forsan praeeunte *Noesselto*, etiam locus 6, 2., licet ad sensum ex alio genere esse deprehendatur, (vid. Exc. III.), confirmandae interpretationi prolatae inseruire, quatenus, cum Paullus dicat: οἱ ἁγιοι τον κοσμον κρινουσι, οἱ ἁγιοι ibi haud dubie τους πνευματικους in loco nostro, ὁ κοσμος vero παντα sc. ψυχικον s. profanum denotare videatur. Reliqua sic explenda sunt: αυτος δε ὁ π ν ε υ μ α τ ι κ ο ς ὑπ' ουδενος ψ υ χ ι κ ο υ ανακρινεται s. δυναται ανακρινεσθαι. Iam sensum loci interpp. huc reuocare solent: *Christianus prouectior quemlibet profanum* ανακρινειν, *s. erroris conuincere potest, non item profanus Christianum prouectiorem*; prouocantes ad tuendam hanc verbi ανακρ. significationem ad locum 14, 24. vbi ελεγχειν et ανακρ. inuicem iunguntur. Sed vti ex ipsa hac verborum coniunctione vix colligi potest, ανακρ. eadem cum ελεγχ. potestate gaudere, (quam equidem potius, cum aliunde vix constet, ex significatu forensi, eoque *interrogandi*, s. *quaestionem habendi*, vt effectum ex causa, deriuauerim); sic praecipue sententia ista, si quid video, vix vlla commoda ratione

δὲ ὑπ' οὐδενὸς ἀνακρίνεται. Τίς γὰρ ἔγνω 16

VARIAE LECTIONES.

16. Κυρίου pro Χριστοῦ hab. BD gr. a pr. m. FG. boern. Theophyl. ed. Ambrst. Aug. Sedul. (fortassis quo magis effati applicatio cum verbis ipsius conspiret).

cum vv. 13-14. necti potest. Quare nos quidem, retenta satis trita *diiudicandi* potestate, locum n. in vniuersum enunciatum, ad ipsum Ap. reuocauerimus, revocatumque cum v. 13. iunxerimus fere sic: εγω μεν, ὡς πνευματικος, δυναμαι ανακρινειν παντα ψυχικον, αλλ' αυτος εγω ὑπ' ουδενος ψυχικου δυναμαι ανακρινεσθαι, ὁθεν οἱος ειμι συγκρινειν τα πνευματικα ει μη τοις πνευματικοις; *ego quidem, vel per ipsum spiritum s. profundiore religionis scientia instructus, eiusdemque quasi mysteriis initiatus, quemlibet profanum, scientia illa destitutum, diiudicare, adeoque a πνευματικοις s. vere collustratis, dignoscere possum,* (vel inde, quod ὁ ψυχικος, nonnisi σοφιαν ανθρωπινην inhians, τα του πνευματος ου δεχεται, και μωριαν εχει, διοτι ου δυναται γνωναι); *neque tamen ὁ ψυχικος, a τοις του πνευματος adeo alienus, iustum de me, τῳ πνευματικῳ, iudicium ferre potest; vnde patet, me profanos, recte a me aestimatos, ab initiatis segregare, et nonnisi his diuina illa impertiri posse.* Partic. μεν, *quidem*, licet hic sequente coniunctione aduersatiua δε adhibeatur, non ita premenda est, ac si et alieni iudicii de πνευματικῳ ferendi copiam aliquam seu praetextum relinquat, sed vel πλεοναζει vt Act. 1, 1. 28, 22. Rom. 1, 8. 3, 2. alib., vel, quod praetulerim, aequiparanda est h. n. lat. *quidem* in voc. *equidem*, pro *ego quidem*, vt ὁ πνευματ. μεν sit: *der Begeisterte für seine Person.* (vid. var. lect.) Cf. loca a *Bosio* collecta, nostroque simillima haec: *Plutarch.* in conv. VII. Sap. Κρατει (ὁ ἥλιος) παντων, κρατειται δε ὑπ' ουδενος. et *Philostrat.* vit. Apollon. 7, 22. Ὁτι σοφια μεν τα ξυνιεντα ἑαυτης εκπληττει παντα, αυτη δε ὑπ' ουδενος εκπληττεται. His adde *Epicteti* sententias has: Καθαπερ ἡ τον χρυσον δοκιμαζουσα λιθος, ουκετι κ'αυτη προς του χρυσου δοκιμαζεται· οὑτω και ὁ το κριτηριον εχων. et: αισχρον τον δικαστην προς ἑτερων δικαζεσθαι.

16. Verbis postremis v. 15. αυτος — ανακρ. ratio subiungitur, cur ὁ ψυχικος de

νοῦν Κυρίου, ὃς συμβιβάσει αὐτόν; ἡμεῖς

πνευματικῳ recte iudicare nequeat, ad quam vestiendam vtitur effato Ies. 40, 13. ap. LXX e textu hebr. plenius sic audiente: τις εγνω νουν Κυριου; και τις αυτου συμβουλος εγενετο, ὁς συμβιβᾳ αυτον; η πρὸς τινα συνεβουλευσατο, και συνεβιβασεν αυτον; ει τις εδειξεν αυτῳ κρισιν; η ὁδον συνεσεως τις εδειξεν αυτῳ; cui inest sapientiae diuinae, inuestigationem non admittentis, praeconium hoc: *quis vel assequutus est* (מי תכן) *sapientissima Dei consilia, aut adeo in iis capiendis auctor ipsi exstitit seu magister? etc.* (nisi cum *Chald.* *Syr. Saad. Vitringa* reddi malueris: *quis moderatus est*, מי תכן, *consilia diuina*, et s. p.), i. e. *non indiget Deus ad sapientiam suam promouendam subsidiis humanis, qualia sunt moderamina atque consilia aliena, sed eam omnem atque consummatissimam ex semet ipso haurit.* Iam videamus, quomodo Ap. hoc effatum ad argumentum suum exornandum transtulerit. Τις γαρ, sc. ψυχικος, i. e. ουδεις ψυχικος. Εγνω, pro δυναται γινωσκειν, s. γνωριζειν. Νους, vt רוח Ies. l. c., interdum valet *decretum*, *animi consilium*, alias βουλη, εννοια, νοημα. e. c. *Hom.* Il. η. v. 143. ουτι Διος νοον ειρυσσαιτο. *Hesiod.* Εργ. v. 105. Διος νοον εξαλεασθαι. *Ioseph.* ant. 7, 4. 4. cf. *Stephani* thes. s. v. νους, et *Koppe* ad Rom. 11, 34. Simili sensu *mens* reperitur ap. Latinos, v. c. *Sil. Ital.* l. 5. v. 60. "*mentesque* Deorum explorant super euentu." Sic νους Κυριου et h. l. ad *consilia* vel *Dei* vel *Christi* περι των χαρισθεντων ἡμιν v. 12. spectare potest. Ὁς, pro ἱνα αυτος sc. ὁ ψυχικος. Συμβιβαζειν, quod proprie sibi vult *vna ascendere facere*, (*Hes.* συμβιβω σε· συμπορευομαι σε), deinde *nectere*, *compingere*, (*Hes.* συναπτω σε, i. q. συναρμολογειν. Eph. 4, 16. Col. 2, 2.) denique etiam, vbi metaph. de nectendis animi cogitationibus adhibetur, pro nexus ratione, modo est *docere*, modo *conuincere*, modo *diiudicare*, etc. (*Hes.* συμβιβω σε, διδασκω σε· συμβιβασατω, διδαξατω· συμβιβασθεντες, διδαχθεντες, διαλεχθεντες.) Hinc etiam Alex. saepe hac voce vtuntur ad reddenda verba הודיע Ies. l. c. Exod. 18, 6. הבין Ies. 40, 14. et השכיל Dan. 9, 22. Iam omnes istae significationes metaph. hic satis bene procedunt, ex quibus tamen *diiudicandi* signif., (qua συμβιβ. v. c. occurrit ap. *Platon.* Hipp. min. διαπυνθανομαι και επανασκοπω, και συμβιβαζω τα

δὲ νοῦν Χριστοῦ ἔχομεν. Κἀγώ, ἀδελφοί, Cap. III, 1

λεγομενα), reliquis praefe-renda videtur, quippe qua συμβιβ. τῳ' ανακρινειν v. 15. maxime respondeat. Αυτον, tam ad Κυριον et νουν Κυριου, quam ad πνευματικον v. 15. spectare potest. Iam alii aliter sensum loci constituunt. Mirantur interpp. recentiores, et inter hos praecipue *Noesseltus*, αυτον a fere omnibus, ad verbum reddentibus: *quis Dei mentem assequatur aut adeo eum doceat?* ad *Deum* referri, quasi stultitiae arguatur, qui vel Deum docere velit. Quomodo enim, *Noesseltus* inquit, qui consilia Dei se perspexisse putet, idem quoque se, tanquam magistrum, Deum eruditurum, neque potius ex eo didicisse, existimet? At vero quae tum scioli isti philosophi Corr. artibus dialecticis, haud fallacibus scilicet, confisi, circa religionem chr. ad placitorum suorum normam conformandam, pro inepta insolentia sua argutati sunt, monente S. V. *Schulzio*, quodammodo ad ipsa diuina consilia tantum non corrigenda redierunt. Neque praeterea esse videtur, quod verba nostra ad ipsam istam vel Deum quasi meliora docendi stultitiam referamus, cum et commode cum veteri vate, et ipso αυτον ad *Deum* referente, nec tamen sententiae ineptae ab ipso prolatae culpam sustinente, ad *sapientiae Deo peculiaris, nec vlla alienae institutionis ope comparatae*, i. e. ad sapientiae *summae* notionem exornandam reuocari possint, quam quidem propheta vllum mortalium, Ap. vero τον ψυχικον cogitando assequi posse negauerit. Sed licet sic absona dici nequeat vulgaris ista interpretatio, αυτον ad Deum referendum esse statuens, aliunde tamen eam a loci contextu alienam esse, mox demonstrabimus. Recentiores, voc. Κυριος ad *Deum*, αυτον vero ad πνευματικον v. 15. spectare rati, sic reddunt: *quis ex profanorum numero assequutus est consilia Dei circa nos beandos, vt πνευματικον erroris conuincere possit?* (seu, quod propter ανακρινειν v. 15. praetulerimus: *vt πνευμ. recte diiudicare valeat, an vere talis habendus sit nec ne?*) *nos vero*, οἱ πνευματικοι, *consilia* Christi εχομεν (ex praeced. εγνω i. q. γινωσκομεν vid. ad 4, 7.) *penitus perspecta habemus*. Quam interpretationem vt tueantur, prouocant ad loci contextum, qui vt αυτον ad πνευματικον referatur, manifesto requirat; nam, inquit *Noesseltus*, vti αυτον v. 16. de eodem

οὐκ ἠδυνήθην λαλῆσαι ὑμῖν ὡς πνευματι-

dicitur, qui v. 15. αυτος appellatus esset, de πνευματικῳ videlicet, s. *Christiano*, sic etiam membra vtriusque commatis haud dubie, quanquam inuerso ordine, sibi respondent. Scilicet sententiae priori v. 15. ὁ πνευμ. ανακρ. μ. παντα, additur membro posteriori v. 16. ratio haec: ἡμ. νουν Χρ. εχομεν· sententia vero posterior v. 15. ὁ πνευμ. ὑπ' ουδ. ανακρ. superstruitur membro priori v. 16. hoc: τις γαρ — συμβεβ.. αυτον; Sed quamuis acute haec moneantur, obstat tamen, si quid sentimus, vtrique interpretandi rationi, a nobis prolatae, quod Paullus vocabula νους Κυριου s. Θεου et νους Χριστου promiscue adhibuerit, ac, praeter omnem lectorum exspectationem, illud in postremis verbis v. 16. enuntiandis cum hoc commutauerit, quo demonstrationis seriem aliquantum turbari, quisque sentiat necesse est. (vid. var. lect.) Dicunt quidem, consilia *Dei* hic, variandae orationis causa, *Christi* consilia vocari, tum quia ad eam redeant, tum quia Deus ea Christo potissimum exsequenda demandauerit; nisi his praetexendis difficultas magis obumbrari et infuçari, quam dissolui videatur. Quae cum ita sint, nos quidem vix dubitamus, quin Paullus pro more suo, effata V. T. ad Deum spectantia haud raro in Christum transferendi, vel voc. Κυριος non minus quam αυτον ad Christum, vel, quod praetulerimus, Κυρ. ad Christum, αυτον vero ad νουν Κυριου s. Χριστου referri voluisse, vt sententiam enuntiaret hanc: *quis των ψυχικων assequutus est νουν* Κυριου s. Χριστου, *consilia Christi περι των (δι' αυτου) χαρισθεντων ἡμιν ὑπο του Θεου* v. 12. *ita vt eum* (i. e. *dignitatem atque merita eius*) vel *vt νουν αυτου, haec ipsa Christi consilia*, (*adeoque et πνευματικον, haec intime persentientem*) *diiudicare possit; ego vero*, (nam ἡμεις ad Ap. restrinxerimus), νουν Χριστου εχω, *consilia illa Christi*, ὡς πνευματικος, *perspecta habeo*, (vnde etiam de ψυχικῳ *iudicium mihi competit*). Sic αυτον, vt Ies. l. c. ita et hic ad Κυριον, quae insuper vox in proximis exstat, reuocatur; sic comma nostrum cum comm. 15. adcurate conferenti, vtriusque similitudo, idemque vnius ad alterum habitus, qualem supra demonstrauimus, in oculos incurret; sic etiam apparet, cur Paullus, illam ipsam, quam modo exhibuimus, sententiam expressurus, verba al-

κοῖς, ἀλλ' ὡς ~ σαρκίνοις, ὡς νηπίοις ἐν Χρι-

~ σαρκικοις

VARIAE LECTIONES.

1. Κᾀγω pro και εγω ACDFG. 17. 46. 73. 80. Alii. Matth. f. Clem. Or. Chrys. (etiam in Matth. 2. 7.) Damasc. — σαρκινοις pro σαρκικοις ABCD a pr. m. 67. ex emend. 71. Slav. Clem. (semel vel bis vt rec.) Or. ter. Nyss. *Vatero* iudicante: σαρκινοις hic correctoris esse, qui cum illud voc. saepius sequeretur, a corrigendo abstiterit. Sed nonne ex illis ipsis D. Or. alicubi. Nyss. (vt et FG.) etiam v. 3. σαρκινοι bis pro σαρκικοι substituerunt? et cur quaeso corrector ille σαρκινοις praetulit, cum Paullo formam σαρκικος vsitatissimam esse constet, ita vt formam σαρκινος semel tantum ad propriam *rei carneae* vim exprimendam adhibuisse videatur 2 Cor. 3, 3. Quare alium ex testibus illis aliam formam, prout alterutra ipsi vsu trita fuit, adhibuisse, ac lectionem σαρκικοις et hic seruandam esse, censuerimus.

legatis intermedia: και τις αυτου συμβουλος εγενετο; omiserit, videlicet quia eam diluerint atque obscurauerint magis quam illustrauerint; sic denique mira amplius videri nequit illa formularum νους Κυριου et νους Χριστου permutatio, cum voces Κυριος et Χριστος toties promiscue adhibeantur, nisi Ap. νουν Χριστου ad formulam νους Κυριου, quam ex effato Ies. retinere maluit, magis definiendam et ad Christum reuocandam consulto adhibuisse putandus est, Cf. cum l. n. Sap. 9, 17. et Sir. 18, 2-5. Similem Solonis sententiam fragm. v. 149. *Koppius* attulit ad. Rom. 11, 35.

Cap. III. 1. 2. arcte cohaerent cum cap. II. Descripta nimirum ea ingenii, diuinitus exculti, firmitate, qua ad capiendas sublimiores disciplinae chr. doctrinas opus sit, cap. 2, 13 - 16. nunc tantum abesse contendit, vt Corinthii hac mentis facultate polleant, vt in tanta ingenii imbecillitate tanquam tirones et infantes, primis disciplinae chr. rudimentis indigeant. Et sic iam eo redit Ap. vnde exorsus erat, se omnino quidem profundiori rei chr. scientia praeditum esse c. 2, 6. qua tamen in Corinthiis adeo imbecillibus erudiendis tum, cum docendi causa apud eos fuerit, vti se potuisse, iam negat v. 1. 2. Inest igitur l. n. defensio contra eos, qui suae a disciplina Paullina defectioni praetexerent, Corinthios vix

2 στῷ. Γάλα ὑμᾶς ἐπότισα, οὐ βρῶμα· οὔπω

rudimenta a Paullo accepisse, ideoque recte iis doctoribus adhaerere, qui multo plura religionis capita, eaque non sine magno eruditionis apparatu, venustaeque orationis ornatu tradere soliti sint. Καγω, i. e. εγω, καιπερ πνευματικος ειμι, *ipse ego, cui larga ad vos instruendos a spiritu diu. materia suppeditatur,* etc. Ουκ ηδυνηθην, h. e. *per ingenii vestri imbecillitatem mihi non licuit.* Λαλειν, vt 2, 19. pro διδασκειν. Πνευματικοι, vid. ad 2, 6. 14. 15. Ὡς πνευματικοις, i. e. *spretis primis elementis, eo doctrinae apparatu, quem percipere possunt* πνευματικοι, s. *prouectiores.* vid. ad 2, 13. Σαρκινοι, vel ex vulgari lect. σαρκικοι, (vid. var. lect.) ex hebr. בשר, quod saepe omnis generis imbecillitatem significat, (vid. *Koppii* exc. in ep. ad Gal.) h. n. vi oppos. πνευματικ. respondet voci ψυχικοι 2, 14., i. e. *homines, qui,* τῃ σαρκι *quasi nondum exuta, pro imbecilla ipsorum indole, profundiorem rerum reuelatarum scientiam necdum admittente, multis adhuc erroribus ac praeiudiciis infecti sunt.* Νηπιοι, vt αρτιγεννητα βρεφη 1 Petr. 2, 2. opponuntur τοις τελειοις cap. 2, 6. sunt igitur *homines rudiores, qui in religionis disciplina, veluti infantes, adhuc circa ima rudimenta subsistentes, res subliniores cogitando nondum assequi possunt;* verbo: *recens conuersi,* νεωστι κατηχουμενοι, adeoque απειροι λογου δικαιοσυνης, s. πνευματικου, (Hebr. 5, 13.) quos תינוקות *sugentes,* Iudaei vocare solebant. vid. loca plura ap. *Schoettgen.* hor. hebr. et talm. et *Wetst.* ad 1 Petr. 2, 2. Cf. praeterea Rom. 2, 20. Eph. 4, 14. Hebr. 5, 12. 13. 14. Εν Χριστῳ, siue κατα την διδαχην του Χριστου, vocis νηπ. explicandae causa Ap. addidit. Ὡς σαρκ. και νηπ. iam ex oppos. ὡς πνευματικ. reuocauerim ad illud: καθως ηδυναντο ακουειν Marc. 4, 33. i. e. *in vobis, tanquam paruulis, edocendis, ad ima rudimenta descendi, non admixta* επιγνωσει πνευματικῃ, *siue altioris indaginis doctrina.*

2. Γαλα. Ap., cum religionis disciplinae rudiores *paruulos* vocauit v. 1., iam nunc, metaphorae inhaerens, *prima rudimenta religionis chr.,* s. τα στοιχεια της αρχης (s. προπαιδευματα) των λογιων του Θεου Hebr. 5, 12. *rudioribus tradenda,* ad γαλακτος (sc. λογικου. 1 Petr. 2, 2.) similitudinem reuocat, paruulis praeberi soliti; qui quidem loquendi

γὰρ ἐδύνασθε. ἀλλ' οὐδὲ ἔτι νῦν δύνασθε·

VARIAE LECTIONES.

2. καί ante οὐ βρῶμα omitt. A C. 17. 23. 37. 39. 46. 73. 80. al. 5. Matth. c. f. Copt. Vulg. Clem. ter. Iren. gr. et lat. Or. sexies. Eus. Nyss. Cyr. Dial. c. Marc. Chrys. semel. (etiam in Matth. 2, 7.) Damasc. Theodoret. Cypr. Hilar. Ambrst. Alii. — ἐδύνασθε pro ἠδύνασθε A B C F G. 37. 46. 48. 57. (c. al. 6.) 72. Alii. Matth. b. alii 5. Ed. Clem. Or. Cyr. Chrys. alicubi. Damasc. Alii. — βαστάζειν verbo ἐδύνασθε add. Iren. gr. et *escam percipere* Iren. int. — οὐδὲ pro οὔτε exhib. A B C D E F G. 17. 39. 46. 57. (c. al. 4.) 71. 73. Matth. i. Clem. Iren. Or. alicubi. Cyr. Chrys. (etiam in Matth. 2. 7.) Theodoret. Damasc. Theoph. Alii. Nonnullorum vero obseruationi, οὐδὲ etiam graecae ling. indoli magis conuenire, cum simplicem negationem non οὔτε sed οὐδὲ excipere soleat, vix quicquam tribuendum videtur, cum Paullum purioris graecitatis minus gnarum fuisse constet.

vsus etiam apud script. prof. obtinet. cf. *Philo* de agricult. p. 301. ἐπεὶ δὲ νηπίοις μέν ἐστι γάλα τροφή, τελείοις δὲ τὰ ἐκ πυρῶν πέμματα· καὶ ψυχῆς γαλακτώδεις μὲν ἂν εἶεν τροφαὶ κατὰ τὴν παιδικὴν ἡλικίαν τὰ τῆς ἐγκυκλίου μουσικῆς προπαιδεύματα, τέλειαι δὲ καὶ ἀνδράσιν εὐπρεπεῖς αἱ διὰ φρονήσεως καὶ σωφροσύνης, καὶ ἁπάσης ἀρετῆς ὑφηγήσεις. Plura dabit *Wetst.* In *Alberti* Gloss. N. T. p. 121. γάλα bene per διδασκαλίαν ἐλαφρὴν exponitur. Ποτίζειν proprie notat *potum* s. πότον, (quod ap. Atticos συμπόσιον significabat), *dare*, (cf. *Ammonius* p. 118.), sicque de *conuiuio instructo* occurrit etiam Gen. 19, 3. Vbi vero vt hic loci cum duplici accusatiuo constructum legitur, est tam *potum* s. *aquatum agere* pecudes, (notum est illud *Virgilii*: *et potum pastas age Tityre*, pro quo graece diceres: πότιζε), quam vt l. n. omnino *potandum dare alicui aliquid*, hebr. הִשְׁקָה. Gen. 19, 32. Matth. 10, 42. alibi. Passiue legitur 1 Cor. 12, 13. Γάλα ποτίζειν, igitur est: prima disciplinae cuiusdam, et h. n. *religionis chr. elementa tradere*. Βρῶμα, ex oppos. γαλ. i. e. q. ἡ στερεὰ τροφή, *cibus solidior* Hebr. 5, 12. i. e. *doctrinae sublimiores*, et *intellectu difficiliores*, intelligentioribus tantum tradendae, quae supra τὰ πνευματικά, σοφία τοῦ Θεοῦ etc. vocabantur. Οὐ βρῶμα, suppl. καὶ s. ἀλλ' οὐ βρ. (vid. var. lect.) sc. ἐπότισα ὑμᾶς, in quo tamen vocabulo, quod per συλλη-

3 ἔτι γὰρ σαρκικοί ἐστε. ὅπου γὰρ ἐν ὑμῖν ζῆ-

ψιν, quam vocant, tam cum βρωμ. quam cum γαλ. iungitur, hic *dandi* seu *offerendi* tantum notio tenenda est. *Erasmi* versionem: *lactis potu vos alui, et non cibo*, adoptauit et felicem vocauit *Beza*. In cod. veteri *Erasmus* inuenit: *lac vobis dedi, non cibum.* Neque tamen quicquam in phrasi Paullina inauditum dicas. Verba *edendi* et *bibendi*, obseruante *Valckenario*, in linguis frequenter permutantur. Cur Paullo non liceret, ποτιζειν aeque de *esca* quam de *potu* adhibere, cum *Hom.* Il. θ. 546. iam dixisset: οινον οινιζοντο – σιτον τε, vbi proprie loquendo ad σιτον aliud verbum requiri videretur, atque οινιζοντο, hoc enim vt *vino* conuenit, sic *escae* conueniret εσιτουντο. Recte monuit *Eustath.* ad Il. γ. 328. plura legi ap. *Hom.* istius generis, velut: σιτον και οινον εδοντες· εκ του αναλογου γαρ, inquit ὥσπερ σιτον εδοντες, οὕτω νοητεον και οινον πινοντες. Talia occurrunt in graecis latinisque scriptoribus plurima. Cf. *d'Orvillius* ad Chariton p. 395 sqq. Ουπω, *nondum*, sc. cum prima vice, ad vos erudiendos, Corinthum venirem. Sic accipienda est haec vox propter ουδε ετι νυν, quod ad tempus scriptae huius ab Ap. epistolae spectat. Δυνασθαι, ex hebr. כָּהֹל *capacem esse*, vnde forma semipassiua יְכָל *capacitate quadam praeditum esse*, quae pro nexus ratione magis definienda est, h. n. valet: doctrinas difficiliores *capiendi et intelligendi facultate pollere*, (δυναμιν εχειν του συλλαμβανειν τι). cf. Ps. 139, 6. Quodsi vero δυνασθαι, ex solenni significatione, per *posse* reddideris, omnino, monentibus interpp., supplendum est φερειν, βασταζειν, *concoquere*, vid. var. lect. cf. Ioh. 16, 12. cuius tamen ellipseos vix exempla exstant. Sit iam coniecturae locus, an Ap., graecae linguae parum gnarus, sensu prorsus non mutato, δυνασθαι pro δυνατου s. τελειον ειναι, *adultum esse* adhibuerit, ad quam quidem tuendam tam ex hebr. בָּחוּר et גֶּבֶר, quod Alexandr. saepius per δυνατος reddiderunt, (cf. *Trommii* concord.) quam ex opposito νηπιοι, *nondum adulti*, aliquod praesidium repeti, Paullus vero, paronomasiis inhians, vocabulum, hoc sensu parum solenne, elegisse videri possit, vt significaret illud ηδυνηθην v. 1. Sed indicent me intelligentiores, annon iusto audacius sic coniecerim. Ουδε ετι νυν, (vid. var.

λος καὶ ἔρις καὶ διχοστασίαι, οὐχὶ σαρκικοί

VARIAE LECTIONES.

3. Καὶ διχοστασιαι omitt. A C. 23. 46. 57. 71. 74. Barb. 1. Copt. Aeth. Arm. Vulg. Clem. bis. Or. bis. Eus. Nyss. Chrys. in comment. Damasc. Hier. Aug. Ambrst. Alii. prob. *Millio* prol. 986. *Griesbachio* vero omissionem probabilem esse iudicante.

lect.) *ne nunc quidem*, tanto temporis spatio, post religionis prima inter vos semina sparsa, praeterlapso.

3. 4. Tantam vero esse ingenii imbecillitatem Corinthiorum, iam inde potissimum colligit Ap., quod dissidia et σχισματα adhuc inter eos locum habeant, quibus v. 3. 4. acriter vituperandis, e diuerticulo, in quod inde a cap. I, 13. digressus erat, rediens, de his ipsis schismatibus deinceps agere pergit. Ετι - εστε pertinent ad v. 2. Ετι q. ετι νυν v. praeced. Σαρκικοι εστε, vid. ad v. 1. Ὁπου, *vbi*, tantum non in omnibus linguis saepius pro *quandoquidem* occurrit, nimirum vbi *loci* ac *temporis* notiones, vti hic, inter se iunctae cogitari possunt. cf. Hebr. 9, 16. 10, 18. 2 Petr. 2, 11. Exemplorum farraginem *Vigerus* (de idiot. gr. l.) collegit. Ζηλος proprie, teste Etym. M. coll. *Duport*. ad Theophr. p. 293. est *feruor*, a ζεω *ferueo*, et λιαν *valde*, vnde ad *omnes omnino vehementiores animi adfectus* transfertur. Multum vero, obseruante *Valckenario*, discrepabat in hac voce vsus atticus a vulgari. *Laudabilis aemulatio* Athenis dicebatur ζηλος atque hinc ductum ζηλωσαι τινα, *aemulari laudabilia alicuius facinora*. Quando vero laudabilis aemulatio exiguo sane limite ab inuidia distat, non mirum est in lingua communi ζηλον significasse, quem Graeci adcuratiores φθονον, *inuidiam* vocabant. Act. 5, 17. 13, 45. Rom. 13, 13. 2 Cor. 12, 20. Ερις, non tam ab ειρω, s. ερεω, *dico*, quam potius ab ερω, *sero*, *necto*, vnde contrarii significatus voces fluxerunt: ερος, s. ερως, *amor*, et ερις, *lis*, *contentio*, (*Suid*. ἡ δια λογων επιψογος φιλονεικια παρα τω αποστολω.) cum non solum amici *vinculo amicitiae iungi*, sed et litigantes *manum conserere* dicantur. Vulgo quidem ερις flectebatur εριδος, εριδες, sed nihil impedit, quominus ab ερις, εριος pluralis formetur ερεις, vt a πολις fit πολεις. Pluralis autem iste rarior Paullinus est. cf.

4 ἐστε, καὶ κατὰ ἄνθρωπον περιπατεῖτε; ὅταν γὰρ λέγῃ τις· ἐγὼ μέν εἰμι Παύλου· ἕτερος

2 Cor. 12, 20. Gal. 5, 20. Tit. 3, 1. Διχοστασιαι sunt *factiones contrariae* s. *dissidia, quibus homines in diuersa studia scinduntur*, διχως ἱστανται, *stant aduersis partibus*, i. q. σχισματα c. 1, 10. Legitur etiam Rom. 16, 17. Gal. 5, 20. 1 Macc. 3, 29. Inest igitur vocibus ζηλ., ερις, διχοστ. (nisi και διχοστ. delenda censueris, vid. var. lect.), figura, qua Paullus delectabatur, *gradationis*. Vigebat in ecclesia Cor. *liuor*, et huius genuina filia *contentio*, quae pepererat *fissuras*. Ceterum vti *Sallust*. Catil. 9, 2. *iurgia, discordias* et *simultates* tanquam synn. iunxit, sic et Ap. voces istas cumulasse videtur, quo penitius *omnis generis* dissidiorum, e sectarum studio oriundorum, notionem exhauriret. vid. ad 1, 10. Περιπατειν ex hebr. התהלך, desumta a via, cum qua vita humana comparari solet, metaphora, est *viuere, se gerere*. Ανθρωπος vero, h. n., vbi τῳ πνευματικῳ opponitur, per emphasin est *merus homo, isque e rudiorum parumque docilium grege, qui altiori mentis per rel. chr., ac vim diuinam in Christianos agentem cultura adhuc destitutus est*. Κατα ανθρωπον περιπατειν, quod alias audit κατα σαρκα ζην, s. περιπατειν Rom. 8, 4. 12. igitur sibi vult *pro more eiusmodi hominis parum exculti iudicare atque se gerere omnino*, i. q. σαρκικον ειναι, quod proxime praecedit, neque adeo *vitiositatis* hominis, per religionem chr. nondum *emendati*, sed potius *ingenii imbecillitatis* hominis altiora ac diuina nondum *percipientis*, notionem continet. Atque hic loci iam est, vbi excursum nostrum I., vulgarem disputationis Paullinae 2, 6. — 3, 3., quam exhibere ac tueri conati sumus, interpretationem diiudicantem, aliamque intelligentiorum iudicio permittentem, conferri velimus.

4. De hoc commate explicando vid. ad 1, 12., praecipue proleg. p. 18. sqq. Ceterum Ap. ex schismatibus animi parum perpoliti infirmitatem rectissime colligit, siquidem, qui solo veri inuestigandi studio ductus, propriam mentem ad illud indagandum appellit, iurare non solet, vt dicunt, in verba magistri, seque non tam *horum magistrorum*, qui veri quid explorarint, feruidum et acrem *propugnatorem*,

δέ· ἐγὼ, Ἀπολλώ· οὐχὶ σαρκικοί ἐστε; Τίς 5

VARIAE LECTIONES.

4. ανθρωποι pro σαρκικοι leg. ABCDEFG. 17. 67. ex emend. 71. Copt. Aeth. Vulg. It. Didym. Damasc. Orig. int. Aug. Ambrst. Pel. Beda. *homines estis.* harl. *Semlerus*, vtut in coniiciendo haud raro audax, tam ουχι σαρκ. εστε; quam ουχι ανθρωποι εστε; pro glossa habet, ita vt ὅταν — Απ. v. 4. protasin, τις ουν εστι etc. v. 5. vero apodosin constituant, quaestionibus expressam. Nobis quidem id vnum liquet, lectionem ουχι ανθρωποι εστε ex verbis κατα ανθρωπον περιπατειτε v. 3. in vnam vocem correptis, natam atque explicandam esse per: *nonne vt meros homines vos exhibetis?* vid. comment. ad v. ανθρωπ. v. 3.

quam potius *ipsius veri* modestum *defensorem* praebet, bene memor, fieri omnino posse, vt, cum veri studium nullis finibus circumscriptum sit, et ipse forsitan in posterum meliora edoceatur.

5—20. Iam Paullus, rediens ad argumentum cap. 1, 13. illud partium studium prorsus absonum esse demonstrare pergit argumentis fere his, arcte inter se iunctis: *primum*, doctores illos, quos tanquam sectarum capita venerentur Corinthii, et tantum non ad coelum extollant, ne semet ipso quidem excepto, nonnisi *ministros* esse ecclesiarum, qui, *prouti Deus vnicuique partes quasi proprias assignauerit*, modo nouitios ima rudimenta, modo prouectiores altiora doceant, omnium horum laborum *successu a solo Deo* pendente. v. 5-7. Τίς, s. τὶ (vid. var. lect.) ἐστι; i. e. *quanam dignitate gaudent, et quonam igitur honore prosequendi sunt?* Quaestionibus eiusmodi mouendis orationis vis mirifice adaugetur. Qui mirantur, nostrum nomina Παυλ. Απ. non inuerso ordine extulisse, meminerint, eum tum sectarum recensum v. 4. coll. 1, 12. sequutum esse, (in quo, dum omne istud sectarum studium contemtim haberet, sectae a se dictae merito primum locum assignauit), tum temporis ordinem seruasse, quo de ecclesia Cor. bene merendi opportunitatem nacti fuerant, (ὁ φυτεύων prior τῷ ποτίζοντι); tum, in proxime seqq. ad quaestionem τίς ἐστι; respondentem non tam in eo deprehendi, vt dignitatem, doctoribus chr. a Corr. tribui solitam, extollat, quam potius vt eam

οὖν ἐστι Παῦλος, τίς δὲ Ἀπολλώς; διάκονοι,

VARIAE LECTIONES.

5. τι pro τις hab. AB. 17. 46. 71. Matth. l. Aeth. Vulg. clar. boern. Aug. Optat. Ambrst. Pel. — Praecedit Απολλως, sequitur Παυλος in ABCDE (item FG.) 17. 37. 46. 71. Matth. F. Vulg. It. Damasc. Ambrst. Pel. Aug. *Griesbachio* hanc transpositionem receptae lectioni aequalem immo forsitan praeferendam iudicante, (nisi fortassis ex male intellecto modestiae Paullinae prospiciendi studio nata fuerit. cf. comment.) — αλλ' η ante διακονοι omitt. ABCD a pr. m. EFG. 67. ex] emend. 71. Alius. Copt. Aeth. Arm. Vulg. It. Damasc. Ambrst. Pel. Alii. probb. *Griesb. Vater.*

imminuat, in quo occupatus, nonnisi male modestus nomen Apollonium suo praeposuisset. cf. 1, 12. 4, 6. et var. lect. Αλλ' η, (quae tamen vix sana est lectio, vid. var. lect.) vt hebr. כִּי אִם, *nisi, praeterquam*. Cf. *Diog. Laërt.* prooem. p. 12. μηδενα γαρ ειναι σοφον ανθρωπον, αλλ' η Θεον. *Xenoph.* de exp. Cyr. αργυριον μεν ουκ εχω, αλλ' η μικρον τι. Plura dabit *Raphel.* in annott. Xenoph. ad h. l. Διακονος, διακονια, διακονειν, (מְשָׁרֵת, שָׁרֵת) quae vocc. proprie *cuiuscuis ministerii* notionem exprimunt, vbi, vt h. l., de rel. chr. sermo est, ad *quodcuis negotium, propagandae religionis chr. causa, siue in commodum Christianorum susceptum*, spectant, e contextus ratione accuratius eruendum. Hinc vocab. nostrum διακονοι, modo absolute, vt h. l., modo additis Χριστου, ευαγγελιου, καινης διαθηκης, 2 Cor. 3, 6. 6, 4. 11, 23. Eph. 3, 7. 6, 21. Col. 1, 7. de *doctoribus rel. chr.* ne ipsis quidem *apostolis* exceptis, adhibetur. Iam vero l. n. in voce διακον. ex mente Paulli, non tam Θεου, s. Χριστου, quam potius εκκλησιων supplendum, neque in *vertenda* hac voce a proprio *ministrorum* significatu recedendum est, quia id egisse videtur Ap., vt ex hoc ipso nomine intelligerent Corinthii, quam vana, absona, et muneri *ministrorum ecclesiarum* prorsus incogrua esset illa, quam de doctoribus suis, tanquam sectarum *praesidibus*, animo conceperunt, gloriola. Δι' ὧν, *quorum opera et institutione*. Πιστευειν, sensu latissimo, *amplecti religionem chr. eique morem gerere*, ita vt ad amplectenda tam rudimenta, quam altiora capita religionis spectet, nam in iis, quae sequuntur, de doctoribus sermo est, qui

δι' ὧν ἐπιστεύσατε, καὶ ἑκάστῳ ὡς ὁ Κύριος ἔδωκεν· ἐγὼ ἐφύτευσα, Ἀπολλὼς ἐπότισεν, 6

modo haec, modo illa Corinthiis tradiderint. Και, indicare videtur, praeter momentum illud, quod iam in voc. διακονων latet, aliud sequi, quo Corr. a iusto maiori doctorum quorundam veneratione reuocari debeant, nimirum, doctores istos, qui nonnisi pro *ministris* ecclesiarum habendi sint, *insuper* (και) non pro arbitrio suo hanc vel illam tradendae rel. prouinciam sibi elegisse, sed ἑκαστῳ ὡς ὁ Κυριος εδωκεν, (pro ὡς ἑκαστῳ ὁ Κυρ. εδωκεν, s. εμερισεν sc. την μεριδα s. ευκαιριαν του διδασκειν. Rom. 12, 3.) i. e. *prouti Deus alii alias partes assignauerit, s. opportunitatem largitus fuerit*, quasi scripsisset Ap. ὡς ὁ Κυρ. αλλῳ αλλην εμερισεν ευκαιριαν. Iam comma nostrum vel per se sumi atque expleri potest sic: διακ. εισι, κ. ὡς ἑκ. ὁ Κ. εδωκε sc. διακονοι εισι; vel praeeuntibus *Mosheimio* ad h. l. atque *Marcklando* ad Lys. XII. p. 560. sq. comm. 6 et 7. iungi possunt in sensum hunc: *Et, prout Deus vnicuique nostrum partes proprias assignauit, ego plantaui* etc. Sensus vtrinque idem. Praeferimus tamen priorem rationem, qua varia argumentationis Paullinae momenta magis in oculos incurrere videntur.

6. Ap., similitudine ab agricultura repetita, (cum qua veteres, et Iudaei potissimum, doctoris negotia, sicuti animum excolendum cum ipso agro, conferre solebant, Ies. 61, 5. Matth. 15, 13.) iam varias istas partes, doctoribus chr. assignatas, paucis explicat. Φυτευειν, *plantare* igitur est: *initium alicuius rei*, et h. n. *tradendae rel. chr. alicubi facere*, s. *institutionem chr. a tradendis primis elementis incipere*. *Hes.* Φυτευει· κατασκευαζει, γεννα. *Thomas Mag.* p. 905. ed. Bernard. το Φυτευειν επι Φυτων λεγεται, ηγουν το την ῥιζαν αυτων καταβαλλειν εις γην. απο τουτου παρα τοις ποιηταις και επ' ανθρωπων, ὡς παρ' Ευριπιδῃ εν Ορεστῃ. (v. 10.) οὗτος Φυτευει Πελοπα. και ἁπλως επι του καταβαλλεσθαι αρχην εν πραγμασι. *Etym. M.* sub Φυτευω in fine: κακον μεγα πασι Φυτευσαι· Ιλιαδ. ο. (v. 134.) κατασκευασαι, εμβαλειν. Cf. etiam *Stephani* thes. sub v. Φυτευω. Latini eodem *initii faciendi* sensu dicunt: *serere* discordias, seu lites, *serere* bella. etc. Locus nostro

7 ἀλλ' ὁ Θεὸς ηὔξανεν· ὥστε οὔτε ὁ φυτεύων

simillimus exstat in *Plat.* Phaedr. p. 384. ed. Bipont. πολυ, δ'οιμαι, καλλιων σπουδη περι αυτα γιγνεται, όταν τις τη διαλεκτικη τεχνη χρωμενος, λαβων ψυχην προσηκουσαν, φυτευη τε και σπειρη μετ' επιστημης λογους· οἱ ἑαυτοις τωτε φυτευσαντι βοηθειν ἱκανοι τε και ουχι ακαρποι, αλλα εχοντες σπερμα. Ποτιζειν, *potum praebere* v. 2. vbi ab animalibus ad plantas transfertur, ex hebr. השקה est *irrigare* Gen. 2, 10. Ps. 103, 14. Sirac. 24, 32. Hinc vi opp. φυτευειν sibi vult *rem inchoatam continuare, vlterius ducere,* et quidem h. n. *sparsis institutionis chr. seminibus eandem continuare, et vberius explicare.* Εποτισε igitur, annotante *Grotio*, figurate pro ηρδευσε, quae vox propria agricolis, sed bene facta est translatio, quia, quod plantis est irrigari, id animalibus est potum ipsis praebere. Αυξανεσθαι in med. est *se augere* s. *crescere*, (cf. *Dresig.* de verbb. mediis N. T. I. 30. p. 217. sq.), quo sensu in lingua vulgari, nec non in N. T. Matth. 6, 28. Marc. 4, 8. et act. αυξανειν vsurpatur, (cf. *Graev.* ad Lucian. Soloecist. p. 55.), quod tamen proprie est *augere, incrementum largiri*, pro contextu orationis, et rerum, de quibus adhibetur, varietate, varium sensum admittens. H. n., vbi Deus *plantas* αυξανειν (s. φυτουργειν) dicitur, est: *crescere facere*, s. ποιειν αναβαινειν, hebr. הצמיח, (quo sensu et Latini dicunt *augere*. cf. *Gell.* noct. Att. 18, 12.) et metaph. ex opp. φυτευειν et ποτιζειν, *prospero successu iuuare doctrinam ab aliquo traditam*, quasi αυξανειν τα γεννηματα της διδασκαλιας, quod prouidenti Deo permittendum est. (Nos: *sein Gedeihen, seinen Segen geben.*) *Augustinus* ep. 48. *Nyssenus* c. Eunom. 2. alii, *irrigandi* notionem in voc. ποτιζειν nimis vrgentes, φυτευειν ad κατηχησιν, ποτιζειν vero ad *baptismum* reuocant; quo nil noui frigidius. Ceterum *Grotius* ex *Philone* locum nostro simillimum attulit hunc: Φιλαυτος δε και αθεος ὁ νους, οιομενος ισος ειναι Θεω, ποιειν δοκον εν τω πασχειν εξεταζομενος· Θεου δε σπειροντος και φυτευοντος εν ψυχη τα καλα, ὁ λεγων νους, ότι εγω φυτευω, ασεβει. Ου φυτευσεις ουν, όταν ὁ Θεος φυτουργη.

7. Ειναι τι, quod spectat ad formulam τις εστι v. 5. sibi vult: μεγα τι, s. μεγαν τινα ειναι, *insignem esse, praecipua dignitate gaudere.* Luc. 7, 49. Gal. 2, 6.

ἐστί τι, οὔτε ὁ ποτίζων, ἀλλ' ὁ αὐξάνων Θεός.
Ὁ φυτεύων δὲ καὶ ὁ ποτίζων, ἕν εἰσιν· ἕκαστος 8

alibi, quo sensu haec formula ap. optimos Graeciae scriptores obuia est. e. c. *Plat.* Alcib. I. ει δ' αυ τι και πλουτω προσεχεις και κατα τουτο οιει τι ειναι. *Plut.* de se ips. laud. p. 539. A. το περι εαυτου λεγειν, ως τι οντος η δυναμενου παρ' ετεροις. Nec aliter Latini. *Cic.* ep. 7, 16. "oro te, *quis es!*" ad Famil. 6, 18. "illum librum, qui si est talis, qualem tibi videri scribis, ego quoque *aliquid sum.*" vid. *Wetst.* ad Gal. 2, 6. Eodem sensu Hebraei vocc. מי et מה vtuntur. Ios. 9, 8. Ion. 1, 8. Nos: "*wunder was seyn.*" Cf. *Vigerum* de idiot. l. gr. p. 144. ed. Zeune, et *Palairet* obs. phil. p. 433. Illud ipsum vero τι s. μεγα τι εστι supplendum relinquitur et in proximis αλλ' ὁ αυξανων Θεος. Reliqua explicata lege ad v. 6. Sensus v. 6. 7. iam est: *ego primus institui Corinthios in rel. chr., Apollo institutionem meam continuauit, Deo vtriusque conatus adiuuante. Quare neque mihi, qui rudimenta vobis tradidi, neque Apollo, qui altiora vos edocuit, sed soli Deo laus et gloria debetur.*

8-17. Annectere videtur Ap. *argumentum secundum* ad dissidiorum, ex nimio honore, aliis doctoribus prae aliis tribui solito, oriundorum, stultitiam reprehendendam, idque inde repetitum, quod, quomodo doctores omnes, qui vni eidemque consilio promouendo destinati sint, hoc ipsum promouerint, et quonam adeo honore, quibusque praemiis alius prae alio dignus sit, non penes homines, sed solum Deum iudicium esse possit, debeatque.

Hoc v. 8. summa totius sententiae praemittitur. Ἕν εισι, respicit formulas τινα et τι ειναι v. 5. 7. et est: *iisdem studiis ducuntur*, s. *in idem opus conspirant*, et *quatenus hoc in genere spectaueris, neuter neutri dignitate antecellit.* cf. 11, 5. Ἑκαστος ιδιον, pro αλλος αλλον μισθον ληψ. sc. *olim a Deo.* Κατα τ. ιδιον κ. vel pro simpl. κ. τ. κοπ. αυτου, vt saepius; vel *pro sua cuiusque*, quam religioni chr. tradendae nauauit, opera. Matth. 16, 27. Verba vero ὁ-εισι, particula δε cum ουν commutata, tanquam corollarium ad v. 7. reiici, vel δε priori pro μεν, siue δε, δε, pro καιπερ, ὁμως, sumtis, cum sequentibus iungi possunt in sensum hunc: *doctores rudi-*

δὲ τὸν ἴδιον μισθὸν λήψεται κατὰ τὸν ἴδιον
9 κόπον. Θεοῦ γάρ ἐσμεν συνεργοί· Θεοῦ γεώρ-

mentorum, *et rerum sublimiorum*, licet *vnum idemque agant*, *pro varia* tamen *studiorum pietate*, *intentione et pretio interno*, *variis olim a Deo praemiis ornabuntur*. Sensus vtrinque idem. Praefero tamen posterius, quia verba ἑκαστος δε etc. tum magis habent, quo spectent.

9. Antequam Ap. hunc κοπον describit, scopum, ad quem reuocandus sit, paucis praemittit. Συνεργος, est συναιτιος, συμπρακτωρ s. *socius laborum*, *in aliqua re peragenda adiutor*. Rom. 16, 3. 9. 21. 2 Cor. 1, 24. 8, 23. 3 Ioh. 8. alibi. *Thom. M.* p. 822. ed. Bernard. συνεργος· ὁ περι τι εργον συμπονων. *Hes.* συνεργει· βοηθει. Cf. *Reiske* Indic. graecit. Demosth. p. 713. Exquisite vero Ap. hoc nomine vtitur, quia in proxime seqq. Corinthiorum coetum cum *agro* comparat, de *quo colendo* εργαζεσθαι vocabulum proprium est. Matth. 21, 28. *Xenoph.* oecon. 6, 11. *Aelian.* v. h. 9, 5. cf. *Schwarz* comment. crit. gr. l. p. 564. Iam vero συν in voc. συνεργος tum ad religionis doctores referri potest, quasi scripsisset Ap. ἡμεις αποστολοι συν τοις λοιποις πασι διδασκαλοις (wir alle *zusammen*) εσμεν εργαται του Θεου, ita vt haec verba ad formulam ἐν εισι v. 8. vberius explicandam spectent, sensu hoc: *eodem munere a Deo nobis demandato fungimur omnes*; tum cum voc. Θεου iungi potest sic: ἡμεις εργαται εσμεν (s. εργαζομεθα) συν τῳ Θεῳ, i. e. και ὁ Θεος· (sic את saepius h. n. pro ו copul.) *nos*, *Deo quasi laborum socio s. praeside*, *agrum colimus*. Praefero posterius, quia in seqq. et *Deus ipse* Corinthiorum quasi agrum colere dicitur. Γεωργιον, *agricolatio* pro *aruo ipso colendo*, quo sensu et Alex. שדה per γεωργιον reddunt Prov. 24, 30. 31, 16. cf. etiam locum *Philonis* de plant. n. initio, a *Loesnero* huc allatum. Sensus est: *vos estis aruum illud*, *quod Deus sibi colendum sumsit*. Solennis vero in N. T. est hominum, religionis chr. ope emendandorum cum aruo colendo, Deique cum agricola comparatio. cf. Matth. 13, 38. Ioh. 15, 1. Simili modo Iudaei Ies. 61, 5. φυτευμα Θεου vocantur. Iam delabitur Ap., eiusdem sententiae adornandae causa, ad aliam similitudinem, ab *aedificio* petitam. h. n. in N. T. et ipsam frequentem 2 Cor. 6, 16. Eph. 2, 20. ali-

γιον, Θεοῦ οἰκοδομή ἐστε. Κατὰ τὴν χάριν 10
τοῦ Θεοῦ τὴν δοθεῖσάν μοι, ὡς σοφὸς ἀρχιτέκ-

bi. In voc. οικοδομη vero h. l. non tam de οικω *iam absoluto* (*Gebäude*) quam potius, vt Eph. l. c. de *aedificio nondum vsque ad fastigium exstructo* (*Bau*) vel adeo de *rudi materie ad exstruendum aedificium necessaria* (*Bau - Materialien*) cogitandum est, ita vt sensus prodeat hic: *vos aedificio similes estis, quod ipse Deus exstruendum curat.* Iam inuerso sententiarum huiusce comm. ordine, sensus, si a tropis recesseris, remanet hic: *vos estis coetus hominum, quem Deus ipse per rel. chr. spiritumque div. edocendum et emendandum curat; nos vero ii sumus, quorum opera et ministerio in hac rel. vobis tradenda vtitur.* Paullus vero ex fin. v. 8. vbi του κοπου doctorum mentio fit, posteriorem sententiam praemisit priori. Ceterum attendi velimus, quantopere sententiarum *breuitate*, et voc. Θεου tam saepius *repetito*, quam in *initio* cuiusuis sententiae enunciato, vis orationis adaugeatur.

10. Ap. nunc, aedificii similitudini inhaerens, κοπον illum v. 7. tam suum, quam reliquorum rel. chr. doctorum paucis describit. Χαρις — μοι h. n. αποστολη εκ χαριτος του Θεου δοθεισα μοι. Rom. 12, 3. 6. Gal. 2, 9. Eph. 3, 2. Κατα χαρ. i. e. *pro huiusce muneris, nimirum inter ethnicos obeundi, natura atque indole.* Θεμελιον τιθ. s. καταβαλλειν, quod aedificii exstruendi *initium* et *pars* est, tropo remoto sibi vult: *initium tradendae rel. chr. a primis elementis, quae reliquae institutioni tanquam fundamentum subsunt, repetere, eademque nondum omnes omnino, sed nonnullos tantum docere.* Et posteriorem hanc *exigui auditorum numeri* notionem in voc. θεμελ. tenendam esse, nexus cum seqq. requirit. vid. ad v. 11. cf. Rom. 15, 20. Eph. 2, 20. Hebr. 6, 1. Αρχιτεκτων, *fabrorum praefectus:* (Etym. M. αρχιτεκτων σημαινει και τον των οικοδομηματων επιστατην, κυριως δε τον αρχον των τεκτονων. etc.) quo nomine Paullus forsitan *dignitatem apostolicam* transeundo innuit, qua praecaeteris doctoribus, tanquam fabris, pollebat, nisi, quod praetulerim, αρχιτ. pro simpl. τεκτ. posuerit. Σοφος h. n. *artis peritus*, s. ακριβεστατος την τεχνην. *Hes.* σοφος· φιλοτεχνος και εξευρετικος, et σοφια· πασα τεχνη και επι-

των, θεμέλιον τέθεικα· ἄλλος δὲ ἐποικοδομεῖ·
11 ἕκαστος δὲ βλεπέτω, πῶς ἐποικοδομεῖ. (Θεμέλιον γὰρ ἄλλον οὐδεὶς δύναται θεῖναι παρὰ

στημη. Eustath. ad Il. o. v. 411. οἱ γαρ παλαιοι σοφους εκαλουν παντας τους τεχνιτας. Cf. Exod. 35, 31. et Ies. 3, 3. ibique LXX. *Aristot.* eth. 6, 7. την δε σοφιαν εν ταις τεχναις τοις ακριβεστατοις τας τεχνας αποδιδομεν. οἷον Φειδιαν λιθουργον σοφον, και Πολυκλειτον ανδριαντοποιον· ενταυθα μεν ουν ουδεν αλλο σημαινοντες την σοφιαν, η ὁτι αρετη τεχνης εστιν. Plura collegit *Alberti* ad h. l. Tropo remoto σοφ. αρχιτ. (חכם חרשים Ies. 3, 3.) est: *doctor institutionis chr. peritus.* Αλλος, collectiue sumendum, propter ἑκαστος quod sequitur. Εποικοδομειν, *superstruere aedificium fundamento*, i. e. *institutionem inchoatam continuare, amplificare, et ad plures homines extendere.* Sensus commatis: *equidem pro muneris mei apostolici natura, quippe quod Deus, pro benignitate sua, mihi, inter ethnicos, purioris rel. doctrinae prorsus rudes, obeundum demandauerit, a primis rudimentis, inter nonnullos spargendis, institutionis initium feci; alii hanc disciplinam, altioris indaginis doctrinis exornatam et amplificatam, inter plures diuulgare conantur.*

Commemorato των εποικοδομουντων negotio, Ap. verbis ἑκαστος — εποικοδ. inserit cohortationem hanc, vt prouidam curam adhibeant doctores in hoc superstruendi negotio. Βλεπετω, caueat sibi. Πως, *quonam consilio, modo et studio.*

11. Comma hoc vncis includendum, siquidem Ap. transeundo tantum ostendit, cur reliquorum doctorum negotia ad *superaedificandi* (εποικοδ.) operam v. 10. reuocauerit. "De industria, inquit, veus sum verbo εποικοδ. nam (γαρ) de *fundamento ponendo* haud amplius sermo esse potest, quippe quod semel a me iactum iam sit." Quare verba εποικοδ. v. 10. et θεμελιον v. 11. cum emphasi quadam pronuntianda videntur. Παρα, post αλλος haud aliter ac post comparatiuum, vel valet η, *quam*, vel *praeter*. Sic quoque מ in V. T. deprehenditur Num. 15, 24. 2Sam. 13, 16. et παρα ap. *Aeschin.* Socr. dial. 3, 10. *Aelian.* v. h. IX, 21. XIV, 7. Cf. quae

τὸν κείμενον, ὅς ἐστιν· Ἰησοῦς Χριστός). Εἰ δέ 12

VARIAE LECTIONES.

11. ὁ ante Χριστος omitt. A B C D E I. 72. 73. 74. 80. Alii. Matth. a. al. 7. Ed. Ath. Marcellus ap. Eus. Bas. Cyr. Chrys. (etiam in Matth. 2. 7.) Theodoret. Theoph. Oec. — Χριστος Ιησους (ad vim sententiae praemittendo praedicato, quod vocant, magis augendam), exhib. C D E. 52. Vulg. clar. germ. Or. Chrys. alicubi. Maximus. Damasc. Hilar. Aug. Hier. Ambrst. Alii.

Valckenar. doctissime circa huius particulae vsum ad l. n. disputauit. Τον κειμεν. sc. *mea opera.* Ουδεις δυναται, hic, ad ius agendi spectans, valet: ουδενι εξεστι, *nefas est.* Ὁς (sc. θεμελιος) εστιν, pro εν τουτῳ κατεχεται. Post εστιν vero punctum minus ponendum curaui, ne Ιησους, quod ad Χριστος pertinet, verbo εστιν iungatur. Ιησους Χριστος vero, deleto artic. ante Χρ. (vid. var. lect.) pro Ιησουν ειναι τον Χρ., est dictionis breuitas, quasi *tituli* huiusce doctrinae speciem prae se ferens: "*Iesus – Messias*" *dies muſs Hauptlehre bleiben.* Missa metaphora sensus est: *Quilibet prouidam adhibeat curam, in doctrina chr. vberius explicanda, et latius diuulganda v. 10.* (*nam ad hanc vberiorem explicationem, eandemque diuulgandam, iam nunc omnis redit doctorum reliquorum opera, siquidem prima elementa, a quibus institutionis chr. initium repeti debet, a me iam hic illic tradita sunt, nec cuiquam licet aliunde ordiri, quam vnde equidem exorsus sum, nimirum a doctrina ea, Iesum vere esse Messiam* v. 11.) Sapientissime vero meritoque app., testibus Lucae commentariis, omnis, in edocendis potissimum Iudaeis, institutionis exordia inde repetebant: Iesum, licet in cruce vitam posuerit, Messiam tamen, non terrestrem illum quidem, qualem Iudaeorum sibi effinxerit credulitas, sed moralem, regnique moralis nunquam interituri praesidem, habendum esse; nam hoc demum certo atque indubitato, sperare licebat fore, vt Iudaei, omnem in *solo* Messia propediem venturo salutis exspectationem collocantes, iique a tot impostoribus, dignitatem Messianam sibi arrogantibus, ludibrio habiti, faciles doctrinae ipsius aures praebituri sint. Hinc etiam factum est, vt Paullus primam Corr. institutionem ad solum Ιησουν Χριστον, και τουτον εσταυρω-

τις ἐποικοδομεῖ ἐπὶ τὸν θεμέλιον τοῦτον, χρυ-

μενον reuocandam esse censeret. c. 2, 2.

12—17. Nunc demum annectitur sententia, ad quam totius argumenti secundi summa redit, nimirum: Christum quondam de laborum ac studiorum των εποικοδομουντων pretio iudicaturum, et, pro varia studiorum pietate ac prudentia, quemlibet remuneraturum esse. V. 12-15. de doctoribus bonis, omnem vberioris institutionis ambitum ad θεμελιον a Paullo iactum reuocantibus, v. 16. 17. vero de doctoribus malignis, et θεμελιον illum subuertentibus, hominesque in errores quam maxime nociuos inducentibus, sermo est. Hoc ordine versus hosce se inuicem excipere ex formula ει τις v. 12. et ipsa v. 17. repetita apparet. Εποικοδ. igitur, quod voc. φθειρει v. 17. opponitur, emphasin requirit: *si quis a doctrina ista primaria, a me iam tradita, prorsus non aberrans, omnem potius disciplinam exinde, tanquam ex fonte, deriuauerit.* Χρυσ. αργ. et λιθ. τιμ. (pro οικος εκ χρ. etc.) non anxie premenda, et inter se distinguenda, sed iunctim de *aedificiis splendidis* iisque *solidis*, verbo, de *domo regia*, vel, quod propter v. 16. praefero, de *templo magnifico*, ad modum structurae tabernaculi Exod. 25, 4. 5., intelligenda sunt. In vocc. χρ. et αργ. Ap. forsitan de *statuis* seu *columnis* aureis et argenteis, siue auro et argento obductis, et in voc. λιθ. τιμ. de *marmore* pretioso et firmo (Ies. 54, 11. coll. 1 Paral. 21, 2.) cogitauit, apte ad illud *Tibulli* 3, 3. 16. *quidue domus prodest, Phrygiis innixa columnis, auratae-que trabes, marmoreumque solum.* coll. Hor. od. 2, 18. v. 1—4. et *Cic.* parad. 6, 3. Sic etiam ξυλ. χορτ. καλ. synecdochice iunctim pro *casa fragili rustici* sumenda sunt, cuius parietes et tecta ex lignis, virgeis cratibus et stramentis constructa sunt. Nimirum ξυλα de *trabibus ligneis*, quibus construuntur, tectaque suffulciuntur, χορτ. (חציר), quod ex vsu loquendi satis firmo, pro syn. voc. καλαμ. haberi solet, gradationis, quae etiam in oppos. χρ. αργ. et λιθ. τιμ. cernitur, seruandae caussa, h. n., vsu loquendi itidem non repugnante, de *virgeis cratibus* (quasi ταρσοις s. ταρροις, i. e. πλεγμασι εκ χορτου) seu *cannis*, quae trabium interuallis intexuntur, et καλαμ. (*Suid.* σταχυς του σιτου. *Hes.* το ξυλωδες των σταχυων. coll. *Eustath.* in Il. τ. p. 1248.) de *stra-*

σὸν, ἄργυρον, λίθους τιμίους, ξύλα, χόρτον,
καλάμην· ἑκάστου τὸ ἔργον φανερὸν γενήσεται· 13

mine, seu *luto stramine commixto*, hisce cratibus illigari, s. illini solito, intellexerim. Ad verba similiter *Sen.* ep. 40. dicit: "*culmus* liberos texit, sub *marmore* atque *auro* seruitus habitat. — quid ergo? non quamlibet *virgeam cratem* texuerunt manu, et vili obleuerunt *luto*, deinde *stipula* aliisque *siluestribus* operuere fastigium" cf. *Petron.* 135. *Vitruv.* 2, 4. et 7, 3. Haec omnia vbi ad doctrinam rel. chr. transtuleris, χρ. αργ. et λιθ. τιμ. non ex vulgari interpretatione pro ipsa *institutione* copiosiori, eaque vera, et doctrinae supremi doctoris congrua, neque ξυλ. χορτ. καλ. pro ipsis *additamentis* futilibus, fabulosis, et doctrinae I. C. repugnantibus, habenda esse videntur, sed potius, si quid videmus, ad ipsos *homines* spectant, *qui, tradita ipsis vberiori hac doctrina, auctoritate Iesu Messiae nixa*, vel templum magnificum, vel casa rustici, i. e. *vel homines pii et emendati euadunt, vel in pristina impietate et ruditate perseuerant.* Nam vti v. 9. et 16, 17. vbi *ipsi Christiani* οικοδομη et ναος vocantur, et v. 15. vbi, qui casam rustici compegerit, tamen σωθησεσθαι dicitur, hanc interpretationem requirere videntur, sic hi versus cum vulgari explicatione vix conciliari poterunt. (vid. infra). His adducti, vt sibi constans sit allegoria, et supra formulam θεμελιον τεθεικα non solum ad *doctrinas* elementares, sed etiam ad *homines*, Paulli opera hisce imbutos, retulimus. Quod constructionem huius v. attinet, equidem pro ει δε cogitando substituerim partic. ειτε, et ipsam ante ξυλα repetendam: *siue, siue*, et iam vel in fin. v. 12. suppleuerim: *hoc equidem non curo*, vel, quod praeferendum, verba εκαστου - γενησ. v. 13., male a v. 12. diuulsa, pro apodosi habuerim.

13. Ἑκαστου, sc. τεκτονος, i. e. *doctoris chr.* Το εργον, sc. τεκτονικον, pro *hominibus doctorum opera edoctis.* Φανερον γενησ. suppl. εν εκεινη τη ἡμερα, (vid. quae sequuntur,) sc. ὁποιον εστι. Ἡμερα, saepius absolute pro *tempore reditus Christi ad extremum iudicium de hominibus habendum*, de quo vid. plura ad 1, 8. Ἡ ἡμ. δηλ. concise pro: ὁ Χριστος εν εκεινη τη ἡμ. δηλ. sc. *facta more iudicis inquisitione*,

ἡ γὰρ ἡμέρα δηλώσει, ὅτι ἐν πυρὶ ἀποκαλύπτε-

quae erat Iudaeorum opinio. Ὅτι — ἀποκαλ. arcte iungenda sunt proxime praecedd. ἡ — δηλ. quare post δηλ. recte comma ponitur. Ὅτι. Omnino quidem praecedente temporis, vel certi vel in-definiti, mentione, non ὅτι sed ὅτε sequi solet. Rom. 11, 16 2 Tim. 4, 3. Neque diffitendum est, librariorum culpa ὅτε cum ὅτι hic illic commutatum esse, vt Deut. 4, 10. 28, 62. vbi pro lectione vulgari ὅτι cod. Alex. rectius ὅτε exhibet. Hinc et *Casaub.* ad Theophr. char. c. 18. et *Graev.* ad Lucian. somn. p. 11. atque Prometh. p. 181. ὅτε pro ὅτι restituerunt. Sed quae iure emendantur in vett. Graeciae scriptis, saepissime in scriptis s. emendatione non indigent; ex quo genere et permutatio part. ὅτε c. ὅτι esse deprehenditur, quippe quae frequentissima est in N. T. v. c. Luc. 13, 35. 17, 22. Ioh. 4, 21. 23. 5, 25. 12, 41. alib. et ap. ipsum Paullum 2 Tim. 4, 3. Sic et ὅτι in vers. Alex. legitur pro כאשר *cum*, *quando*, 1 Sam. 6, 6. 2 Reg. 14, 5. pro כ praef. vbi *temporis* notionem inuoluit Gen. 2, 4. 12, 4. Exod. 5, 13. alib. pro אז *tunc* Iudd. 5, 22. et pro בדי *cum* Dan. 5, 20. Quare non esse videtur, quod cum *Bosio* (exercitt. philol. p. 124.) probante discipulo *Io. Alberti* (et alibi et in misc. obss. Vol. III. p. 101.) ὅτε pro ὅτι legamus, sed hoc pro illo sumsisse suffecerit. Εν πυρι q. 1 Thess. 1, 8. sq. (qui locus omnino dignus est, qui cum l. n. contextu et dictione conferatur), εν πυρι φλογός, ex hebr. אש et אש להבה, *inter fulmina et tonitrua*, in quorum comitatu Dii in hasce terras descendere putabantur. Αποκαλυπτεται pro αποκαλυφθησεται, nam non solum in N. T. (v. c. 1 Cor. 15, 34.) sed ap. quosuis scriptores graecos praesens tempus saepe pro futuro ponitur. Apud Atticos quidem in verbis *eundi* hoc paene perpetuum est docente *H. Stephano* de dial. Att. p. 138. sq. de aliis leg. *Hemsterh.* ad scholia in Plut. Aristoph. p. 217. Est vero in voc. αποκαλ. supplendum ἡ ἡμ. Χρ. s. ὁ Χρ. εν ἡμ. εκ. Iam Ap. metaphorae ab aedificio petitae inhaerens, pergere potuisset fere sic: και (pro τοτε) ὁ Χριστος δοκιμασει τα εργα των τεκτονων επι τον θεμελιον τουτον εποικοδομησαντων, και οἱ μεν ναον του Θεου εποικοδομησαντες, μισθον ληψ., οἱ δε ει μη καλυβην, ζημιωθ. At vero, cum concitato potissimum *incendio* aedificiorum firmitas et infirmitas

ται· καὶ ἑκάστου τὸ ἔργον ὁποῖόν ἐστι, τὸ πῦρ

dignoscatur, Paullus quoque haec aedificia non tam omnino, quam ipso *incendio* et *igne* probatum iri, dicit, praecipue cum aedificiorum ex *auro*, cuius ipso igne natura exploratur, confectorum mentionem fecerit. Quid? quod, reditu Christi, quem quidem ipsum horum aedificiorum naturam olim exploraturum esse exprimere volebat, cum sollenni Deorum aduentu εν πυρι (cuius voc. propriae vi in seqq., spreta *fulgurum* significatione, inhaeret), comparato, iam eo procedit in tropo amplificando audaciae, vt illo *ipso igne*, *Iesum olim rediturum comitante*, incensum et sic potissimum probatum iri dicat aedificia fabrorum, ὁποια *qualia*, i. e. vtrum ex materie solida an caduca exstructa sint. Το = δοκιμ. igitur resolv. ὁ Χριστ. δι' αυτου τουτου του πυρος, εν ᾡ αποκαλυφθησεται, δοκιμασει. A metaphora, et a propediem instantis reditus Christi exspectatione, quam et Paullum aluisse constat, (vid. ad 1, 8.) vbi recesseris, sola *futurae explorationis*, *propriaeque animaduersionis*, *quomodo homines religione chr.*, *ex mente fundatoris ipsis tradita*, *vsi sint*, notio remanet. Secundum vulgarem autem interpretationem formula ista ἡ ἡμερα δηλωσει, ex hebr. יום pro καιρος, et ex similibus loquendi formulis, apud exteros scriptores obuiis (Ἁπανθ' ὁ μακρος, κἀναριθμητος χρονος Φυει τ'αδηλα, ap. *Sophocl.* Ουκ εστι μειζων βασανος χρονου ουδενος εργου ap. *Simonid.* et ἡ δε ἡμερα δειξει, ὡν αξιος ἑκαστος εστιν ap. *Xenoph.* Cyrop. l. 3. p. 118. ed. Hutchins. vid. *Grotium* et *Raphelium* annot. ex Xenoph. ad h. l.) per: *suo tempore manifestum fiet*, (*die Zeit wirds lehren*), explicari, πυρ vero de *communi igne*, quo aedificia casu fortuito incenduntur, intelligi, et ad *tempus periculosum et calamitosum* (les. 48, 10.) transferri solet, quod *palam facturum* (αποκαλ.) et *exploraturum* (δοκιμ.) sit, *quomodo aedificauerint*, i. e. *qua ratione*, *quoue consilio doctores doctrinam Christi promouere studuerint*. Sensum igitur vv. 12. 13. huc reuocandum censent: *vti aurum ignibus inuictum est*, *argentum et marmora diu igni resistunt*, *minime lignum*, *stramen et culmus*; *sic*, *quod religionem attinet*, *firma ac mentis emendationi animique tranquillitati expedientia*, *vel in acerbissimis vitae vicissitudinibus durare*, *falsa vero*, *futilia et nociua*, *irruentibus calamitatibus interire*, *suo tempo-*

14 δοκιμάσει. Εἴ τινος τὸ ἔργον μενεῖ ὃ ἐπῳκο-
15 δόμησε, μισθὸν λήψεται· εἴ τινος τὸ ἔργον

VARIAE LECTIONES.

14. μενεῖ pro vulg. μένει Ed. Syr. Vulg. Chrys. Theodoret. alicubi. Patr. lat. μένῃ 71. μείνῃ 2.

re manifestabitur. At vero, cum formula ista ἡ ἡμερα δηλ. hoc sensu, quo vtique ap. nos obtinet, neque in N. T., neque apud exteros scriptores occurrat, nam loca supra allata, si a loco *Xenoph.* recesseris, in quo tamen et ipso de singulari quodam die, non de die diem docente, sermo est, a loci nostri dictione aliena sunt; cum porro voc. αποκαλ. de rebus, quae sola *experientia* duce nobis innotescunt, me vllibi legere haud meminerim, et Paullum potius δοκιμαζεται scripturum fuisse crediderim, (vt habet cod. 23.) admissaque hac interpretatione verba ὁτι — αποκαλ. et και — δοκιμ. mere idem sibi velint, et tautologiam, quam dicunt, efficiant; cum contra vocc. ἡμερα, δηλουν, πυρ, αποκαλυπτ., εργα, δοκιμαζ., μισθὸν λαμβαν. modo hoc modo alio nexu, diei et iudicio extremo in N. T. propria esse, satis constet, Paullusque saepius ex proprio dicendi genere in figuratum delabatur vlterius persequendum: equidem interpretationem priorem vulgari praestare arbitrer.

14. 15. Commata haec ad voc. ὁποιον v. 13. vlterius explicandum addita sunt. Εργον, vt v. 13. Μενεῖ, s. μένῃ (vid. var. lect.) sc. εν πυρι, i. e. μη κατακαησεται, vid. v. 15. Ὁ επῳκοδ. sc. τῳ θεμελιῳ v. 11. commemorato. Μισθον ληψ. sc. ὁ τεκτων παρα του Κυριου. Sensus est: *vbi aedificium igni inuictum deprehensum fuerit*, i. e. *vbi homines in rel. chr. instituti Christo probati fuerint, praemiis ornabitur*, tam ex ipsa negotii a se bene peracti praestantia, quam insuper ex singulari supremi iudicis gratia ad eum redundantibus.

15. Ει (δε) κατακαησ. *vbi aedificium incendio haud resistens conflagrauerit*, i. e. *vbi coetus a doctore quodam, licet recte, institutus, ob neglectam institutionem, adeoque ob mancam inde oriundam religionis cognitionem, fluctuantemque pietatem dilabetur.* Ζημιουσθαι, *iacturam facere*, opponitur

κατακαήσεται, ζημιωθήσεται· αὐτὸς δὲ σωθή-

τῳ κερδαινειν, *quaestum facere*, quod vti inter alia est *ad rel. chr. adducere*, alias σωζειν Matth. 18, 15. 1 Cor. 7, 16. (vid. plura ad 9, 19. et 1 Pet. 3, 1.) sic ζημιουσθαι est *adductorum iacturam facere*. Hinc ζημιωθησεται sibi vult: *ipsius ecclesiae a se conditae, adeoque et honoris ad conditorem inde redundantis, ac studiorum laborumque ipsi insumtorum iacturam faciet*, nimirum quia, quam condiderat, dilabitur, neque honorifico ecclesiae *christianae* titulo digna iudicabitur. Sic τῃ ζημιᾳ ad *ipsius ecclesiae* iacturam, quam eiusmodi doctor faciet, relata, αυτος δε, *ipse vero*, s. *ipse quidem*, (*er, für seine Person*), iam habet cui opponatur. Σωθησεται, *incolumis euadet*, Act. 27, 20., (i. e. *poenae expers declarabitur*), οὑτως δε, alias μολις, *aber freylich so und so*, ὡς δια (s. εκ) πυρος sc. αναρπαστος, (vt et ap. *Strabon.* l. 3. αυτος εσωθη δια ναυαγιου), *vt res et supellex, quae ex domo flagrante tamquam semiusta per flammas eripitur*, i. e. *cum summo periculo*, (nos: *mit genauer Noth*), *vix ac ne vix quidem*, quo sensu haec formula prouerbialis, quam scriptores N. T. ex Amos. 4, 11. et Zach. 3, 2. mutuati esse videntur, et ap. scriptores exteros frequentissima est; e. g. *Xenoph.* oecon. c. 21. §. 7. ακολουθητεον ειναι και δια πυρος, και δια παντος κινδυνου. Idem in symp. 4, 16. εγω ουν μετα Κλεινιου δια πυρος ιοιεν. Cf. praeterea Aristoph. Lysistr. 133. *Eurip.* Androm. 487. *Aristid.* in Appell. p. 126. *Liban.* orat. 1. de vit. sua p. 62. ed. Reiske. *Hor.* od. 2, 1. 6. Plura dabunt *Abresch.* in animadv. ad Aeschyl. l. 1. c. 3., *Elsnerus*, *Wetst.*, ac *Wolf.* ad h. l. Videtur Ap. in animo habuisse architectum, qui, quo tempore domus a flammis corripitur, in eadem adhuc versatur, nec igitur nisi per flammas ruens vitam seruare potest; qua quidem sententiae conformatione intimi doctoris cum discipulis nexus sortisque communio simul significari videtur. Sensus tropo remoto huc redire videtur. *Quamuis eiusmodi ecclesiae mox dilabentis doctor quaestum quasi, quem Deo pie colendo attulisse perhibebat, ideo honoris etiam meritique ex ecclesia stabili condenda ad conditorem redundantis, lucrum cessare dolebit; damnum tamen e poena ipsi insuper irroganda emergens deuitabit*, nimirum quia τῳ θεμελιῳ εποικοδ., seu doctrinam Iesu Messiae puram, neque erro-

16 σεται, οὕτω δὲ ὡς διὰ πυρός. Οὐκ οἴδατε,

ribus adulteratam tradiderat; *aegre vero deuitabit*, vel quia, quod poenae instar habebit, pro intimo cum ecclesia nunc soluta pristino nexu, (quippe ex quo parum abesset, quin vna cum ecclesiae aedificio ipse conflagraret), moestus, tristisque de tristi eius sorte, ac spe sua frustra concepta, maxime dolebit, vel quia curae fortassis haud satis sollertis in fide ipsius magis firmanda collocatae culpam sibi ipse tribuet, et quae est reliqua moestitiae in animi quasi fundo remanentis largissima materia. Fuerunt, qui, praeeunte *Al. Moro* (nott. ad N. T. p. 155.), loquutiones huius comm. ex medio iure petitas haberent, ita vt ζημιωθησεται sit *multabitur* omnino, a ζημια *poena, mulcta*, quae vox ap. Graecos tam de *mulcta pecuniaria*, quam de *poena capitis* obuia est, (cf. *Ez. Spanh.* ad Aristoph. Plut. v. 1125.); σωθησεται vero ὡς δια πυρος, *ex iudicio, tanquam ex incendio, aufugiet*, nam vtique *amburi* et *ambusti* Latinis dicuntur, qui *nec absoluti nec damnati in vniuersum, a iudice dimitterentur*, vt *vsti* qui *penitus damnarentur*; cf. *Liv.* XX, 35. 40. *Cic.* p. dom. 43. et p. Mil. 5. Vix autem Ap. *mulctari*, (ζημιουσθαι), dicere voluit, quem mox *e multa aufugere*, (σωζεσθαι), contendit; quare ipsius *iacturae* notionem in voc. ζημ. tenendam esse censemus. Vulgaris autem vv. 14. 15. interpretatio, ad *doctrinam* reuocans, quae nobis quidem ad *Christianos edoctos* referenda videntur, sensum fundit hunc: *Si aedificium, quod quis exstruxit, igni resistens perdurat, h. e. si doctoris cuiusdam vberior institutio adeo firma deprehenditur, vt vel irruentibus in discipulos calamitatibus non labefactata corruat, praemia studii, patientiae ac laboris reportabit; quodsi vero aedificium cuiusdam conflagrauerit, h. e. si quis fundamento a me iacto doctrinas superstruxerit falsas atque futiles, iacturam faciet, laboris scil. et studii frustra in hac re collocati*, αυτ. δ. σωθ. *ipse vero non plane succumbet calamitatibus*; quibus tamen, (vbi omnino de *calamitatibus*, hic sermo fuerit, vid. supra), οἱ πλανωντες, της πλανης, qua alios deceperunt, sibi conscii, magis succumbent, quam οἱ πλανωμενοι; vnde alii reddi malunt: *ipse vero salutem, licet aegre, adipiscetur*; in quo tamen ne miremur singularem erga malignos doctores, (de qui-

ὅτι ναὸς Θεοῦ ἐστε, καὶ τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ

bus insuper v. 16. sermo demum incipit), benignitatem, ξυλ. χορτ. καλ., quae ad v. 13. per *inania*, *falsa*, *inutilia* reddere haud dubitant, hic pro doctrinis *parum firmis parumque vtilibus* accipi malunt, qua tamen interpretandi licentia et inconstantia difficultas infucari magis quam dirimi videtur. Vid. plura ad v. 13.

16. 17. Iam deflectit oratio Ap. ad sortem futuram doctorum malignorum, qui discipulos erroribus corrumpebant, describendam. v. 17. (vid. nexum ad v. 13. init.) quam tamen quo magis promeriti esse videantur, de dignitate hominis christiani pauca praemittit v. 16. Ουκ οιδατε; *memores estote*, (*bedenket doch*). Ναος, non solum ab ethnicis, sed etiam a Iudaeis pro ipso numinis diuini habitaculo et recessu habebatur. *Phauorin.* ναος· παρα το εννιαιειν εν αυτω θεον. Hinc, Paullo ipso verborum suorum interprete, Christiani ναος τ. Θεου vocabantur, και — ὑμιν, *quatenus* (και pro γαρ, s. διοτι, s. τουτ' εστι) spiritus div. in ipsis, veluti in templo, habitabat, i. e. quatenus spiritui div., qui hominibus, ex quo Christiani facti erant, statim inesse, eosque ad recte beateque viuendum impellere putabatur, sese regundos permiserunt. Quae quidem sententia de spiritu div. cum hominibus communicato, vbi eius primordia spectaueris, proxime e sola facultates humanas insolitas et a vulgarium hominum ingenio alienas explicandi et ex causis naturalibus deducendi imperitia ac sciola quasi inscientia oriunda est, pro qua *vetustissimi aeui homines* quosuis legislatores, imperatores, poëtas, sapientes, virtuteque generosiore praeditos, insolita eiusmodi virorum prae reliquis praestantia obstupescentes, neque aliam rationem in promtu habentes, singulari diuino auxilio et tantum non αποσπασματι του Θεου menti ipsorum superaddito, quo reliqui careant, tales euasisse perhibebant. Rectius iam *Iudaei* eandem sententiam ad *Mosen*, quem imperatorem, legislatorem, poëtam, ac historiographum admirabantur, et post ipsum ad *prophetas*, insignes illos oratores, poëtas, chartae magnae a Mose relictae interpretes, regum consiliarios, vel res, in temporis futuri tenebris latentes, ipsis populoque praesagientes; denique et ad omnes omnino *Iudaeos*, et ipsos vel puriore vnius Dei cultu reliquis gentibus praestantes, ita transtulerunt, vt

17 οἰκεῖ ἐν ὑμῖν; εἴ τις τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ φθεί-

hos omnes spiritus div. adflatu magis minusue gauisos fuisse contenderent. Hinc, eadem notione similiter ad *Christum*, *apostolos*, et, quod proxime ad l. n. pertinet, ad quosuis omnino *Christianos* relata, in *religionis chr. disciplinam*, sed sensu puriore atque sublimiore, neque eo ex sola mentis humanae in rerum causis indagandis imbecillitate deriuando, transiisse putanda est. Qui enim monemur, nos θειας φυσεως κοινωνους ειναι, qui euocamur, vt perfecti euadere conemur, sicuti pater coelestis perfectus est, qui edocemur, Deum non solum vitae nostrae vicissitudinibus, sed etiam humanae sentiendi atque agendi rationi sapientissime prouidere, etc., quomodo dignitatem atque praestantiam nostram imminui, neque potius mirum quantum adaugeri arbitremur eo, quod prouidente summo Numine, ac interueniente potissimum religionis spiritualis recte intellectae et ad vitae vsum translatae diuino medio, το θειον εν ἡμιν δια του θειου adeoque naturae nostrae conuenientissime, excitetur, alatur atque promoueatur! Sed haec, quae merito doctrinae sanctae vlterius prosequenda relinquuntur, pro interpretis officio paucis innuisse suffecerit. Cf. praecipue Rom. 8, 9. Gal. 4, 6. *Koppii*que exc. 5. in ep. ad Gal. *Phavorin.* ναος εστι νοητος νους καθαρος, την ποικιλον τεως σοφιαν του Θεου καθιδρυμενην εχων εν ἑαυτῳ. Commentarii in h. l. instar haberi potest loc. *Epict.* ap. Arrian. diss. 2, 8. p. 205. seq. ed. Vpton. συ αποσπασμα ει του θεου· εχεις τι εν σεαυτῳ μερος εκεινου. τι ουν αγνοεις σου την ευγενειαν; — Εν σαυτῳ φερεις αυτον, και μολυνων ουκ αισθανῃ, ακαθαρτοις μεν διανοημασι, ρυπαραις δε πραξεσι, — αναισθητος της σαυτου φυσεως. κ. τ. λ. cf. etiam *Valer M.* 4, 7. ext. 1. *Fida hominum pectora quasi quodam sancto spiritu referta templa sunt.* coll. *Sen.* ep. 41. *In vnoquoque bonorum virorum habitat Deus.* Plura exhibebunt *Wetst. Elsner. Raphel.* Tropo, et veteri tam cogitandi quam loquendi genere remoto, verba ναος Θεου, εν ᾧ ενοικει ὁ Θεος, nobis fundunt sensum hunc: *coetus hominum, qui paene diuinam dignitatem in se latentem, cultu diuino promouere debent, et in hoc ipso cultu sese a Deo, per religionis doctrinam adiutos sentiunt.* Simili sensu R. *Aschek* ad Hagg. 2. populum Israël. et *Lactant.*

ρει, Φθερεῖ τοῦτον ὁ Θεός· ὁ γὰρ ναὸς τοῦ Θεοῦ

de v. sap. 4, 13. ecclesiam chr. *verum templum Dei* dici perhibent.

17. Ει (δε) τις spectat ad ει τις v. 12. Φθειρειν ναον hic opponitur τῳ· εποικοδομειν ναον θεμελιῳ a Paullo iacto. *Qui tantum abest, vt templum fundamento, a me iacto, superstruat, vt templum a me aliisue exstructum* Φθειρῃ (s. μιαινῃ Ps. 78, 1.) *corrumpat atque profanet* etc. i. e. *qui coetum diuinum, rel. chr. a nobis rite edoctum, in errores inducere et dissidiis quasi dissecare audet.* (*Hes.* Φθειρεται· πλανᾶται. cf. etiam *Perizon.* ad Ael. v. h. 14, 27.) Φθειρει — Θεος, sc. ὁ εν τῳ ναῳ ενοικων. Antanaclasis causa voc. Φθειρειν repetitur, h. n. *puniendi* sensu sumendum. Ceterum haec formula spectare videtur ad veterum sententiam hanc: homines, qui vel templa, ipsorum Deorum habitacula, (v. 16.) laedere s. profanare ausi fuerint, nunquam inultos euadere posse. Ὁ — εστιν, nam quoduis templum ἁγιον s. *sanctum*, i. e. ex primitiua hebr. קדש significatione, *ab vsu profano remotum* et *numini cuidam diuino sacratum*, indeque, vt h. l., *inuiolabile*, quasi αφθαρτον est. Hinc apud *Plutarch.* qu. Rom. p. 283. ἱερον ἁγιον και ασυλον, ap. *Strab.* 4. p. 287. ἱερον ἁγιον, τιμωμενον, και μηδενος προταπτεσθαι θαρρουντος, et ap. *Cic.* in Verr. 4, 46. (coll. pr. Arch. p. c. 8.) fanum *inuiolatum* et *sanctum* iunguntur. Cf. *Elsn.* in h. l. Tropo remoto ὁ — εστιν sibi vult: *nefas est coetum div. erroribus imbui.* Ὁστις saepius Paullo valet ὁς Rom. 16, 4. 6. 7, 12. alibi. Ὁιτ. — ὑμ. *quale templum Deo sanctum estis vos!* (nam relatiuum duobus substantiuis interpositum, genus et numerum modo praecedentis, modo subsequentis recipere, satis constat). Quodsi vero tam in hoc voc. ὁστις abusu, quam in sententia, quae v. 16. iam per ναος του Θεου εστε expressa erat, repetita offendaris; verba οἱτ. εστε ὑμ., retenta propria voc. ὁστις significatione, commode quoque cum verbis v. 18. μηδεις ἑαυτον εξαπατατω, iungi possunt fere sic: *quisquis fueris*, (*seu ex quibusuis tu partibus steteris, siue Sophistarum, siue doctorum rel. chr., seu ex his siue Paulli s. Apollo, s. Kephae* v. 22.) *noli te ipse decipere.* Sensus vv. 16. 17. *Homines, praecipue ex quo religioni chr. nomen dederunt, diuina gaudent dignitate altioris, diuiniorisque sensus, in ipsis excitati, ipsiusque religionis subsidio*

18 ἅγιός ἐστιν, οἵτινές ἐστε ὑμεῖς. Μηδεὶς ἑαυτὸν ἐξαπατάτω· εἴ τις δοκεῖ σοφὸς εἶναι ἐν ὑμῖν ἐν

VARIAE LECTIONES.

18. Verba εν τῳ αιωνι τουτῳ sequentibus iungunt 17. 31. 80. Ed. Slav. 5. Or. Chrys. Cypr.

vlterius promouenda. Quodnam igitur grauius animo concipi potest delictum, quam homines, tanta dignitate insignes, adulterata rel. doctrina in errores rapere perniciosos! Quare fraudulenti eiusmodi doctores, τον λογον του Θεου καπηλευοντες (2 Cor. 2, 17.) *grauissimam huius delicti quondam poenam luent.*

18 — 20. Haec commata mihi quidem *tertium* quoddam pro demonstranda schismatum stultitia *argumentum* continere videntur, inde petitum, quod alii alium doctorem prae caeteris sequendum eligere soliti sint, sapientiae humanae nimbo, circumquaque sparso, allecti; cum tamen doctoris chr. dignitas minime ex magniloquae et reconditae eruditionis humanae, sed potius ex perspicuae doctrinae chr., (quae, in summa licet simplicitate, ingenii tamen humani inuentis vel maxime abstrusis et profundis longe antecellat), modulo ac pede quasi metienda sit. Εξαπαταν, q. simpl. απαταν, quasi απαγειν του πατου, vt *Eustath.* aliique grammatici explicarunt, (cf. *Steph.* thes.) est *abducere a recta via*, praecipue *veri*, indeque *decipere, in errorem inducere.* *Hes.* εξηπατησεν· εξεπλανησεν. Hebr. השיא Ies. 36, 14. Hinc μηδ. ἑαυτ. εξαπ. אל תשאו נפשתיכם Ier. 37, 9. est formula dehortandi solennis, quam sunt, qui ad proxime superiora referri velint sic: *nemo vestrum semet ipse decipiat*, i. e. *nemo alat falsam opinionem, iuxta aestimandum esse, quid ac quo consilio alios doceat.* Cum tamen formula ista dehortationes incipere, non finire, soleat, Ier. l. c. 2 Thess. 2, 3. Eph. 5, 6., ac ne nimis praerupte incipiat argumentum v. 18., ex proxime sequentibus eam expleuerimus fere sic: *nemo se decipi patiatur in doctoris, cuius partes sibi tuendas elegit, dignitate aestimanda atque constituenda.* Εν ὑμιν vel iungi potest cum ει τις, vt sit ει τις ὑμων, vel cum δοκει, pro simpl. δοκει ὑμιν (ex hebr. ב, et datiuum designante), *si quis vobis visus fuerit sapiens*, vel cum σοφος ειναι,

τῷ αἰῶνι τούτῳ, μωρὸς γενέσθω, ἵνα γένηται
σοφός. Ἡ γὰρ σοφία τοῦ κόσμου τούτου μωρία 19

si quis sapientia inter vos excellere videatur; sensu semper eodem. Praefero tamen posterius, propter verborum consequutionem. Σοφος εν τῳ αιωνι τουτῳ, (sic enim iungendum puto), i. q. σοφ. του αιων. τ. 1, 20. coll. 2, 6. s. σοφ. του κοσμου τουτου cf. v. 19. i. e. *qui ingenio suo indulgens, sprela diuina religionis chr. sapientia, eruditione inter homines* (εν τ. αιων. τ.) *vsitata, eademque tantum ad vitae humanae consilia relata, se alios superare gloriatur.* Μωρ. γεν. vel positum est pro: πρωτον μανθανετω το μωρον του Θεου, (vid. ad 1, 25.) ἱνα (pro τοτε) γ. σ., *si quis sapientia humana aliis praestare sibi visus fuerit, doctrinam chr., licet stulta nonnullis videatur, addiscat; tunc demum de vera sapientia gloriari potuerit;* vel pro: γινωσκετω πρωτον, την σοφιαν τ. αιων. τ. μωραν ειναι, τοτε σοφ. γεν. *qui sapientia hum. se alios superare gloriatur, intelligat primum, quam manca sit haec sapientia sua, et quam multa supersint, quae ignoret; tunc in hac ipsa de ignorantia sua persuasione sapiens sibi videbitur;* vel, (vbi σοφος ad rel. chr. sapientiam restrinxeris,) *tunc eo propensior erit, ad rel. chr. amplectendam.* Alii vero, in quorum numero sunt *Origenes, Cyprianus, Grotius, Beza, Rosenmüllerus,* rel., non sine omni codicum auctoritate (vid. var. lect.) verba εν τ. αιων. τ., a praecedentibus diuulsa, sequentibus μωρ. γεν. iungi malunt in sensum hunc: *si quis vestrum sibi videtur sapiens esse, is a vulgo hominum pro stulto haberi non recuset; tum enim sapientis nomine dignus erit.* Sed vti haec sententia, quae per se quidem bene procedit, a v. 19. contextu aliquantum aliena videtur, sic etiam Paullum, si haec fuisset mens eius, verba εν τ. αιων. τ. post verba μωρ. γεν. positurum fuisse, arbitrer. Exstat similis sententia ap. *Epict.* ench. c. 13.

19. 20. Causa additur, cur doctrinae humanae, in constituenda religionis chr. dignitate, ratio prorsus non habenda sit, quae quidem allatis V. T. effatis magis amplificatur. Σοφια του κοσμου τ., ex formula σοφος εν τ. α. τ. v. 18. est: *sapientia quae sola ingenii humani ope acquisita est, et nonnisi vitae humanae consilia agitat.* Μωρια (pro adj.

παρὰ τῷ Θεῷ ἐστι· γέγραπται γάρ· ὁ δρασσόμενος τοὺς σοφοὺς ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτῶν·
20 καὶ πάλιν· Κύριος γινώσκει τοὺς διαλογισμοὺς

μωρα) π. τ. Θ. ε. h. n. non tam sibi vult: *stulta est ex iudicio diuino*, in qua dicendi formula, ex hebr. לפני יהוה tum *summae* stultitiae notio lateret; quam potius μωρια παρα τη σοφια τ. Θ. *stulta deprehenditur facta cum sapientia diuina comparatione*, vel *ratione div. sapientiae habita*, quem sensum ea quae sequuntur requirunt. Sic etiam παρα habes 2 Pet. 3, 8. alibi. Γεγρ. γαρ nimirum Iob. 5, 13. vbi Eliphazus v. 8. seqq. totus in eo est, vt, viae commonitionibus suis in animum Iobi muniendae causa, prouidentiam Dei probos constanter protegentis, improbos suamet malitia illaqueantis, Iobo ante oculos ponat, quo orationis tenore et l. n. pronunciatus est. Δρασσομενος sc. ὁ Θεος, ex hebr. pro finit. δρασσεται, quod proprie est: *pugno includit vt elabendi rima non supersit*, (vnde δραγμα· ὅπερ ἡ χειρ δραξηται, a praeter. δεδραγμαι), hinc i. q. καταλαμβανει, quo voc. Alex. vsi sunt, *prehendit*, seu potius *capit*, quo sensu proprius etiam accedit ad hebr. לכד *visco vel glutine nectendi capiendiue* significationem. *Hes.* δρασσομενοι, κρατουντες. Remota metaphora sola *reprehendendi* notio remanet. Σοφοι, חכמים. ex seq. πανουργ. Eliphazo sunt *astuti*, *callidi*, quo calliditatis sensu et Graeci hoc voc. vtuntur. cf. *Eurip.* Med. v. 409. coll. Androm. 936. Πανουργια, ערמה, vt lat. *calliditas*, modo est *prudentia*, modo *astutia*; in N. T. vero, quoties occurrit, in deteriorem partem sumitur. Luc. 20, 23. 2 Cor. 4, 2. 11, 3. Eph. 4, 14. Εν τ. παν. α. pro δι' αυτης της πανουργιας α. Sententia Eliphazi igitur est: *vtcunque vafri sint homines, qui aliis nocere gestiunt, Deus tamen eos suismet ipsorum astutis consiliis inuoluit.* Paullus vero l. n. ad σοφους s. doctores sapientia hum. pollentes sic transferri voluisse videtur: *Deus efficit, vt homines, qui sibi sapientissimi videntur, sua ipsorum sapientia capiantur, ac ita, quam vana sit, agnoscant.*

20. Και παλιν, pro: και εν αλλη τινι περιοχη sc. γεγραπται, est formula aliud V. T. effatum cum alio iungendi. cf. Hebr. 1, 5. 6. 2, 13. Sic etiam *Plut.* d. aud. poët.

τῶν σοφῶν, ὅτι εἰσὶ μάταιοι. Ὥστε μηδεὶς 21

c. 5. παλιν δε ὁ μεν Ευριπιδης ειπων εν ορκῳ. Locus est Ps. 94, 11. isque ex mente poëtae falsae ac miserae tyrannorum opinioni oppositus, quasi Deus tyrannidem ipsorum haud curet, seu cognitam habeat. Verba tam cum textu hebr. quam cum vers. Al. accurate conspirant, excepto voc. אדם, των ανθρωπων, pro quo Paullus, huiusce effati cum argumento, in quo tractando versatur, conciliandi causa, των σοφων substituisse videtur. Verborum consequutio mere hebr. huc reuocanda: κ. γιν. ὁτι οἱ διαλ. τ. σοφ. ματ. εισι, vel τους διαλ. τ. σοφ. ματ. ειναι. Διαλογ. מחשבות *cogitationes*, poëta in deterius sumit, pro *peruersis tyrannorum in subditos consiliis*, quae ματ. (הבל) ειναι, *irrita fieri*, *euentu carere* perhibet. Paullus vero διαλογισμους, sub quibus et alias *praua* potissimum *consilia*, (διαλογ. πονηρους Matth. 25, 19. Marc. 7, 21.) intelligi vult Rom. 1, 21. 14, 1. pro contextus ratione de *inuentis ingenii sapientum* intelligit, quae, facta cum sapientia div. comparatione, ματ. *manca et vana*, et *verae sapientiae nomine indigna sint*.

21—23. Schismatum stultitia iam sic demonstrata, Paullus annectit cohortationem hanc: ne alii de alio doctore glorientur, spretis reliquis omnibus, cum non solum omnes doctores, sed omnes omnino res ac vicissitudines, quae ipsis contingant, *communi* Christianorum commodo inseruiant. Ὡστε, pro δια τουτο, *quare*, sc. cum stultum sit sectarum studium. Καυχ. *honori* igitur sibi duxisse videntur Corr., se Paulli, Cephae, aliorumue studiosiores esse. Εν ανθρωπ. i. e. εν διδασκαλοις ὑμων, οἱ εισι ει μη ανθρωποι. Παντα, neutro vtitur Ap., quia praeter doctores et alias res, communi Christianorum vsui destinatas, in animo habet. Ὑμων (vel ὑμιν) εστι, q. Rom. 8, 28. audit: παντα συνεργει εις το αγαθον ὑμων. Quatenus vero Ap. voc. παντα doctores chr. complectitur, ὑμων εστι idem sibi vult, q. διακονοι εισι, δι ὡν επιστ. v. 5. Sensus est: *Omnia, quae ad finem rel. Chr. vlterius promouendum aliquam vim habent, siue sint doctores, siue aliae res; haec omnia ad vos omnes pertinent, ita vt ne vllam quidem rem, seu vllum doctorem alia secta prae alia sibi soli vindicare et arrogare possit.* Similiter *Diog. L.* Zen. 7, 1. 25. et Diog. 6, 32. των σοφων παντα ειναι, et *Cic.*

καυχάσθω ἐν ἀνθρώποις· πάντα γὰρ ὑμῶν ἐστιν.
22 Εἴτε Παῦλος, εἴτε Ἀπολλὼς, εἴτε Κηφᾶς, εἴτε

ac. qu. 4, 44. et de fin. 3, 22. (coll. *Senec.* de benef. 7, 2.) *sapientis omnia esse*, ait, *quia sciat vti solus omnibus.*

22. Iam Apostolum illud vocab. παντα per μερισμον, quem vocant, non solum variis doctoribus, Paullo, Apollo, Kepha, licet suum quisque institutionis modum sequeretur, sed etiam vel totius vniuersi pluribus partibus, quibus ad religionis chr. scientiam amplificandam et promouendam vis quaedam inesse videri poterat, prouti sese menti ipsius hinc inde, absque commemorandorum certo ordine seruando, obtulerint, enumerandis explicandum sibi sumsisse, in eo quidem interpretes consentiunt fere omnes, in modo vero eruendo magnopere discrepantes, quo Ap. singulas partes enumeratas, κοσμον, ζωην, θανατον, κ. τ. λ. ad fidem virtutemque chr. promouendam sigillatim transferri voluerit. Sic alii sunt, qui κοσμον de *reliquis hominibus in mundo viuentibus*, qui, praeter doctores, commodis Chr. inseruire, θανατον de *calamitatibus ac periculis*, ex quibus Chr. fidei adaugendae subsidia mutuari, ζωην vero de *vita beata*, quam religione nixi vel inter calamitates istas agere possint, τα ενεστ. denique και μελλ. iterum de *calamitatibus iam nunc Chr. adfligentibus*, et ipsis adhuc *imminentibus* intelligant; alii, qui, praeeunte *Grotio*, omnia ad doctores chr. referentes, κοσμον pro *mundi vniuerso*, quo non doctores solum, sed omnes omnino Chr. fruantur, ζωην pro *vita doctoribus a Deo protracta*, vt prosint ecclesiae, θανατον pro *morte*, *quam doctores ob euangelium obeant*, vt alii ipsorum constantia firmiores euadant, τα ενεστ. pro *linguarum et sanationum donis*, quae doctores in id adhibeant, vt fideles inde et numero et viribus crescant, τα μελλ. demum pro *rerum futurarum reuelationibus*, alii denique qui aliter haec verba sumant. Quibus tamen explicationibus, coactis illis quidem, et in lubrico ac instabili locatis, excogitandis, interpretes ingenia frustra defatigasse videntur, cum investigare conentur, quae ipse Paullus in medio relinquenda censuit. (vid. infra). Nobis quidem ad vocab. κοσμος prorsus solitarium, oppositoque destitu-

κόσμος, εἴτε ζωὴ εἴτε θάνατος, εἴτε ἐνεστῶτα

tum, a quo tamen ζωη et ενεστ. excipiuntur, praecipue attendentibus, singulorum loci n. membrorum dispositio sese conspicienda praebet fere haec: Compertum habebat Ap., alios Corinthios alii prae reliquis doctori adhaerere, ita vt essent qui a Paullo, alii qui ab Apollo, alii qui a Kepha se vocari vellent. Quae quidem diuisa studia magnopere improbans, neque minus in votis habens, vt Christiani inter Corr., non alii ex alio doctore, sed ad vnum omnes non solum ex triumuiris illis, sed ex quibusuis aliis doctoribus vere christianis, qui ipsis contigerint, neque ex solis his, sed vndecunque omnino fieri possit, in re chr. proficiant, hanc ipsam *illimitatae materiae*, vnde discere possint, notionem, animi adfectui indulgens, eo iam exprimere conatur, quod, praeter illam doctorum triadem, vel (ὁλον τον) κοσμον (*totius mundi vniuersum*) ad eos in doctrina chr. instituendos ac firmandos pertinere affirmat, atque, vel hoc nondum contentus, iam nunc et ipsum hunc κοσμον, ad vim vocis augendam, vti Col. 1, 16. (coll. Rom. 8, 38. 39.) in τα εν τοις ουρανοις, και τα επι της γης, τα ὁρατα και τα αορατα, sic l. n. in ζωην (ζωντα), και θανατον (θνητα, αψυχα), ενεστ. κ. μελλ., vberius describit. Hinc acquiescendum esse putauerimus in sensu loci ex mente Paullina sic vniuersim constituendo: *vestra sunt omnino omnia*, (vid. ad v. 21.): *vestri sunt siue Paullus, siue Apollo, siue Kephas; quinimo vestrum est totius mundi vniuersum, siue illud in res vita praeditas seu destitutas, siue in res praesentes seu futuras distribueritis;* quibus enunciandis Ap. in vniuersum praecepisse putandus est, *vt scientiam rel. chr. discant, vndecunque eam discere possint*, neque tamen, prae animi adfectu, quo correptus locum n. conscripsit, vllo modo cogitans de singulari quodam modo ex centenis, qui animo concipi possunt, quo ζωην, θανατον etc. ad animum christianum efformandum atque firmandum transferri velit. Reputantibus vero nobis, Paullum id potissimum hic agere, vt Corinthios a studiis alius prae aliis *doctoribus* reuocet, locumque n. a pluribus *doctoribus* nominatim commemorandis exeuntem, in supremi *doctoris* mentionem v. 23. abire, in

23 εἴτε μέλλοντα· πάντα ὑμῶν ἐστιν· ὑμεῖς δὲ,

VARIAE LECTIONES.

22. ἐστιν omitt. A B C D a pr. m. F G. gr. 17. 46. clar. germ. Dial. c. Marcion. Ambrst. Aug.

mentem venit, an Paullus forte, quae ardens ac impetu plenus, et subiratus Corinthiis, *aucto doctorum numero* non vtentibus, vt omnes ex omnibus discant, sed abutentibus, vt triste sectarum studium alant, de *mundi vniuerso eiusque partibus principalibus* vniuersim enunciauit, ad *doctores* potissimum cogitando reuocari voluerit fere sic: *Vestri sunt Paul., Ap., Keph., quinimo totum doctorum vniuersum, siue in eam vniuersi classem, quae* ζωην κ. θανατον, *viuentia ac mortua, siue in illam, quae* ενεστ. κ. μελλ., *praesentia ac futura, amplectitur, referendi sint*, i. e. vbi ab *vniuersi* tropo recesseris: *vos omnes velim ex omnibus omnino doctoribus* γνησιοις, *quantus quantus sit ipsorum numerus, in scientia chr. proficiatis, siue adhuc superstites sint, seu iam obierint, siue iam nunc seu olim vobis contigerint.* Mutuatur quidem interpretatio prolata haud spernendum praesidium ex *multitudinis* significatione, quae voci κοσμος omnino inest, (vid. exc. ad ep. Iac. p. 320 sq.), quo tamen vix indiget, cum *vniuersi eiusque partium potiorum* notionem, qua innititur, firmiter teneri velit, ita vt nihil opus sit demonstrari, quae omnino ex vsu loquendi demonstrari nequeunt, voces κοσμ., ζωη, θαν. etc. pro hominum vel ipsorum doctorum, adhuc superstitum seu demortuorum, praesentium seu futurorum multitudine obuias esse, siquidem alia est tropica alia propria dicendi ratio, aliaque eorum, quae ex aequo, alia eorum quae ex commoto animo prodierunt, interpretatio. Ειτε in enumerandis cumulandisque iis, quae, in vniuersum spectata, eiusdem indolis atque momenti sunt, adhiberi solitum, ab Ap., impetu pleno, singulis vocibus, quarum plures sub hac particula rarius posita colligi potuissent, quasi ad cumulum augendum, sigillatim praemittitur. Παντα ὑμ. εστ., *quid multa verba? perseuero in sententia modo enunciata:* π. ὑ. ε. ad vim orationis augendam et vberioris voc. παντα expositionis, in quam exor-

Χριστοῦ· Χριστὸς δὲ, Θεοῦ. Οὕτως ἡμᾶς λο- CAP. IV, 1

nandam Ap. longius etiam excurrere potuisset, finem faciendum, repetuntur. Sic et locus Col. 1, 16. nostro simillimus, a verbis παντα εν αυτῳ εκτισθη incipiens, in eadem fere et abit. Dignum quod cum l. n. conf. effatum *Senecae* de benef. 7, 3. *Ingentis spiritus res est, cum orientem occidentemque lustraueris animo - cum tot animalia, totam copiam rerum, quas natura beatissime fundit, adspexeris, emittere hanc Dei vocem: haec omnia mea sunt!*

23. Comma hoc non tam, vt aiunt, additum est, ne Christiani, quorum commodis *omnia* inseruire Paullus modo dixerat, insolentes arbitrarentur, se ob id ipsum nullius potestati subiectos esse, quam potius sententiae v. 22. inceptae complementum addit hoc: ὑμεις δε Χριστου, *licet vestra sint omnia, vos ipsi tamen ad Christum pertinetis et quasi peculium ipsius estis, nec igitur a doctoribus humanis vos in sectarum seruitutem redigi patiamini,* i. e. *licet ex omnibus omnino doctoribus vere christianis discere recte cupiatis, omnis tamen traditorum et acceptorum auctoritas a solo Christo, supremo doctore, repetenda est, vt solius huiusce diuini doctoris, non humanorum doctorum sectatores euadatis; Christi auctoritatem vero,* sic pergit Ap., *tamquam diuinam merito suspicimus, nam* Χριστος του Θεου, s. τῳ Θεῳ εστι, *ad Deum pertinet,* vt υιος του Θεου, *Deo,* vt *filius patri, simillimus,* ᾧ ὁ πατηρ παντα δεικνυσιν (Ioh. 5, 20.), ὁς ουν, ουχ αφ' ἑαυτου λαλων (Ioh. 7, 17.), ρηματα ει μη του Θεου λαλει (Ioh. 3, 34.) etc. *ita vt Deum inter et Christum summus consiliorum intercedat consensus.* Sic igitur verba nostra: Χρ. τ. Θεου, non solius gradationis vlterius prosequendae causa, vt sunt, qui statuant, sed ad sententiam inchoatam in illud sublimitatis culmen prouehendam addita comparent: *omnem Christianorum fidem, omnemque ipsorum dignitatem atque praestantiam in eo inniti: quod, interueniente Christo,* θεοδιδακτοι *habendi sint.* Ceterum habita nexus ratione, quo locum n. cum c. 1, 12. contineri in prolegg. p. 31. sqq. demonstrasse nobis videmur, argumentum vv. 22. 23. propius ad istius temporis conditionem ecclesiae Cor. admouendum esse videtur fere sic: παντα μεν

γιζέσθω ἄνθρωπος, ὡς ὑπηρέτας Χριστοῦ, καὶ

ὑμων εστι, (s. παντες μεν διδασκαλοι ορθως λαλουντες και διδασκοντες ὑμων εισι), αλλ' ὡς ετι εισιν εν ὑμιν, οἱ εικοτως θελοντες ειναι ει μη του Χριστου (1, 12.), οὑτω και ὑμας, τους λοιπους παντας, τους νυν ειτε Παυλου ειτ. Κηφ. οντας, δει ειναι μονου του Χριστου, και, μεσιτευοντος Χριστου, αυτου του Θεου s. διδακτοι του Θεου. in quibus ex mente Paulli, alias declarata, suppleri possit: ἵνα ᾖ εἷς Κυριος, μια πιστις Eph. 4, 5., και κατηρτισμενοι ἦτε εν αυτῳ νοΐ 1 Cor. 1, 10., παντες γαρ ὑμεις εἷς εστε εν X. I. Gal. 3, 28. Similis gradatio exstat ap. *Philem.* fragm. p. 306. Εμου γαρ κυριος μεν εἷς ανηρ, Τουτων δε και σου μυριων τ'αλλων νομος, Ἑτερων τυραννος, των τυραννουντων Φοβος, Δουλοι βασιλεων εισιν· ὁ δε βασιλευς, θεων· Ὁ θεος, αναγκης.

Cap. IV, 1-5. Reprehensa schismatum insania, qua abrepti Corinthii hactenus doctoribus iusto vel maiorem vel minorem dignitatem et auctoritatem tribuerant, iam modulum quasi et pedem addit Ap. ex quo doctorum dignitatem quasi metiri debeant. v. 1. 2. Sua tamen parum interesse, ait, vt homines bene de se iudicent, cum in iucundissima licet prouinciae apostolicae a se bene administratae conscientia, ne ipse quidem, sed solus Deus de se ac meritis suis iudicare possit. v. 3. 4. Quae quidem sententia tum cohortationi ansam praebet, ne temere sibi arrogent iudicium de doctoribus faciendum, quod soli Deo olim promulgandum competat. v. 5. Sic igitur Ap. v. 1. 2. ad argumentum c. 3, 5. et v. 5. ad cohortationem c. 3, 8—17. quodammodo reuertitur. Ὁυτως sc. μαλλον, *hoc modo potius*, quem iam indicaturus sum, quisque de nobis statuat. Ἡμας, ad *doctores chr. omnino* spectat; cf. v. 3. vbi, missa reliquorum doctorum causa, de se solo loquitur. Λογιζεσθαι, quod proprie arithmeticis tribuitur, *subducto calculo rationes conficientibus*, saepius, vt h. n, idem e. q. ἡγεισθαι, νομιζεσθαι, *existimare, statuere de aliquo.* Rom. 2, 26. 8, 36. 2 Cor. 10, 2. Ανθρωπος, ex hebr. אדם Prov. 24, 12. pro ἑκαστος, vt germ. *man*, quo ad verba impersonalia, quae vocant, exprimenda vtimur, cf. 6, 18. 7, 1. Gal. 1, 12. etc. Ὑπηρεται, ab ερω, ερεω, ερεσσω, *remigo*, proprie sunt *subremiges* ex infimo trium των ερετων (s. θαλαμιτων) in nauibus Graecorum, ordinum. Sic legitur ap. *Demosth.* p. 1209. 11. ed. Reis.

οἰκονόμους μυστηρίων Θεοῦ. Ὃ δὲ λοιπὸν, ζη- 2

VARIAE LECTIONES.

2. Pro ὃ δὲ hab. ὧδε AD a pr. m. G. 31. 39. 67. ex emend. 71. Syr. Erp. Aeth. Arm. *hic*, Vulg. It. Hier. Aug. Ambrst. Pel. Sedul. Beda. (in quo cernitur vel legendi festinatio, vel insolentioris ὃ λοιπὸν in solennius λοιπὸν emendandi studium). — ζητεῖτε pro ζητεῖται AD gr. Egr. FG gr. 23. 31. 39. 48. 73. 80. al. 8. Matth. c. f. m. Codd. ap. Oec.

ke, vbi ὑπηρέται, ἐπιβάται et ναῦται vt diuersi copulantur, vt et ap. *Eund.* v. c. p. 1208. 20. 1214. 23. ὑπηρέσια *ministros nauales* significat, diuersos a nautis et a militibus classiariis. Licet iam christianis scriptoribus Christus, ecclesiae gubernator, saepius tanquam *magister nauis in vndis huius mundi iactatae* consideretur, (vid. *Suic.* T. 2. p. 1361.), ac Constantinus Imp. (ap. Euseb. p. 675. vbi Vales.), ecclesiae praefectum eleganter ναυκλήρον vocet; in N. T. tamen, nulla similitudine a re navali petita, ὑπηρέται vt δοῦλοι, quo et *Hes.* ac *Suid.* vocem n. reddiderunt, de quibusuis *ministris* adhibetur, quorum opera in quacunque re peragenda vtimur, inprimis vero l. n. ὑπηρέται του Χριστου, s. absolute ὑπηρέται Act. 26, 16. haud aliter ac δοῦλοι τ. Χρ. (ad imitationem formulae עבדי יהוה, quo titulo prophetae, oracula div. enunciantes, insignes erant, vid. ad Jac. 1, 1.) ex proxime seqq. οἰκον. μυστ. Θ. sunt ὑπηρ. της διδαχης τ. Χρ., s. ὑπηρ. του λογου Luc. 1, 2., s. διακονοι δι' ὧν πιστευομεν 1 Cor. 3, 5. i. e. *doctores, qui Christo tanquam supremo doctori quasi seruiunt, seu vice eius funguntur, quatenus doctrinam eius tradendam et propagandam curant.* Simili sensu Sap. 6, 4. reges, iudices ac principes dicuntur esse ὑπηρέται της βασιλειας του Θεου. Οἰκονομος, vt hebr. על בית 1 Reg. 4, 6. et רב בית Esth. 1, 8. proprie *dispensator et administrator rei familiaris et domesticae*; hinc. i. q. ὑπηρ. s. *qui in aliquo negotio omnino rite peragendo versatur*, quo sensu praeter h. l. etiam Tit. 1, 7. et 1 Petr. 4, 10. ad *doctores rel. chr.* (quorum officium 1 Tim. 1, 4. dicitur οἰκονομια Θεου ἐν πιστει), transfertur, ad quos hoc nomen eo melius quadrat, quo certius est, Christianos non minus ac Iudaeos sese tanquam vnam familiam (οἰκον, בית) spectasse, cui summum numen veluti paterfamilias praeesit, cuius vice prophetae et doctores funguntur. Μυστηριον, chald.

τεῖται ἐν τοῖς οἰκονόμοις, ἵνα πιστός τις εὑρεθῇ.

רז et hebr. מסתר (a quo sunt, qui voc. μυστ. derivare conentur, cuius origo tamen rectius απο του μυειν s. μυεσθαι repetitur), in N. T. semper denotat *omne nouum, inauditum, et vel olim, vel adhuc hominibus ignotum*, quo sensu non solum de singularibus quibusdam doctrinis e. g. Eph. 1, 9. 3, 3. 4. 9. sed etiam, modo absolute, Col. 1, 26. 27. modo additis μυστ. του ευαγγελιου, Eph. 6, 19. της πιστεως 1 Tim. 3, 9. Χριστου Col. 4, 3. et, vt h. l., Θεου Col. 2, 2. de *toto rel. chr. ambitu* vsurpatur, quippe qui ante Christi aduentum ignotus esset hominibus. Eadem *ignoti* vi voc. μυστ. deprehenditur ap. *Marc. Anton.* 4, 5. ὁ θανατος τοιουτος οἷον γενεσις φυσεως μυστηριον. *Cic.* de or. 1, 47. *Explicet nobis et ille dicendi mysteria enunciet.* cf. Tob. 12, 12. Iudith. 2, 2. Sap. 2, 22. 6, 24. Sirac. 22, 27. 2 Macc. 13, 21. De vario huius voc. vsu cum ap. exteros, tum ap. sacros et ecclesiasticos scriptores, copiose disputauit *Casaubonus* in exercitt. Antibaron. 16, 43. qui recte obseruauit apud graecos scriptores μυστ. significare *sacra arcana*, quae Latini *seclusa* vocant, ad quem loquendi vsum forte et N. T. scriptores respexerunt. cf. praeterea *Poll.* onom. 1, 1. 31. et *Reiskii* ind. Graecit. Demosthen. p. 518. Numerus plur. vero vocis μυστ. ad plures doctrinas, quas rel. chr. amplectitur, spectare videtur. Οικ. μυστ. Θ. ergo mere i. e. q. ὑπηρ. Χρ. *viri, quorum ministerio Christus ac Deus vtuntur, in tradenda et propaganda rel. chr. hucusque hominibus ignota.* Qui ex veteribus μυστηρια de *sacramentis*, quae vocantur, baptismi et s. coenae, intelligi volunt, ne audiendi quidem sunt.

2. Ὁ λοιπον, sc. εστι, alias simpl. λοιπον, s. το λοιπον (suppl. κατα τ. λ.) respondet lat. *quod reliquum est* s. *ceterum*, et est vel ad finem properantis, vel vt h. l. orationem corripientis et connectentis. Ζητειται ad latinismum accedit: *requiritur*; quanquam hoc sensu et scriptoribus bene graecis satis tritum est. Exempla praeter *Wetst.*, et *Schwarzius* collegit ad *Olearium* de stilo N. T. p. 374. Vocis οικονομ. translationem vlterius persequitur Ap. Πιστος, נאמן, *fidelis* h. n. in munere obeundo. Luc. 12, 42. 1 Sam. 22, 14. vid. ad 7, 25. Τις (vt ανθρωπος v. 1.) pro ἑκαστος αυτων sc. οικον. Ἑυρισκεσθαι (Phil. 2, 8.) נמצא (Ies. 53, 9.) *reperiri* (*Virg.* Georg. 2, v. 350.) *befunden werden*, pro

Ἐμοὶ δὲ εἰς ἐλάχιστόν ἐστιν, ἵνα ὑφ' ὑμῶν ἀνα- 3

ειναι, היה, est vsus loquendi tantum non omnibus linguis communis. vid. ad 1 Petr. 2, 22. E *Philone* Loesnerus exempla huc attulit. Totum comma resoluerim sic: το λοιπον, ὡς εν οικονομοις ζητειται ἱνα πιστοι ὡσι, οὑτω και εν τοις οικ. τ. μυστ. Θ. *ceterum vti ad dispensatores rei domesticae requiritur, vt fideles muneri suo ex omni parte satisfacientes nihil in suam rem ipsi vertant, multo minus rem domini quasi domini vsurpent ipsi; sic quoque doctores rel. chr. omnem in obeundo munere sibi demandato religionem et diligentiam adhibeant, neue doctrinae diuinae proprii ingenii commenta substernant, gloriolae suae magis quam venerationi diuinae, et Christianorum emendationi ac saluti consulentes.*

3. Εμοι εις ελαχ. εστι, est phrasis, quae praefixo ל in voc. למעט Hagg. 1, 9. coll. Iob. 15, 11. per voculam εις seruando hellenistica euasit, rectiusque adhibito nominatiuo audiret εμ. ελαχ. εστι, *mea perparum refert, mi nimi id facio*, pro qua Graeci elegantiores dixerint: εμοι παρ' ουδεν εστι, εμοι ουδεν διαφερει, εν μικρῳ ποιουμαι, εγω ελαχιστην φροντιδα εχω, εμοι ελαχιστον μελει, περι ελαχιστου ποιουμαι, quae phrases ap. *Plat. Herodot. Themist. Ael.* al. obuiae deprehenduntur. Sic ειναι εις τι pro ειναι τι adhuc habes 1 Cor. 6, 16. Eph. 5, 31. alib. Ἱνα vt hebr. כי pro ὁταν. cf. Ioh. 16, 2. 32. 4, 34. 6, 29. 1 Cor. 7, 29. Gen. 4, 12. Sic ἱνα quoque vsurpatur ap. Hom. Il. η. 353. *Callim.* hymn. in Dian. v. 12. Ὑμων, ad *Corinthios omnino* spectat. Ανακρινειν iudicibus proprium est, qui, *quaestionibus propositis*, (vel per tormenta), *verum indagare* student. *Hes.* ανακρινομενος· εξεταζομενος. *Phavorin* ανακρινω· το πραχθεν εξεταζω, ει καλως η κακως επραχθη. — ανακρινειν· εξεταζειν, αναπυνθανεσθαι, επερωταν, ελεγχειν, βασανιζειν. Hinc in vniuersum *examinare, perscrutari*, hebr. חקר 1 Sam. 20, 12. vbi LXX. Denique facta exploratione *iudicium facere de aliquo, pretium rei statuere in vtramque partem*. Latior haec tam *probandi* quam *repudiandi* significatio et h. l. obtinet, adiuncta tamen, quatenus ανακρ. post verba ὑπο ανθρ. ἡμ. repetendum est, priori iudicis interrogantis seu quaestionem habentis, notione. cf. 1 Cor. 14, 24. Ανθρ. ἡμερα, reddi solet per *iudicium humanum* s. *opinio hominum de nobis et rebus nostris*, pro qua significatione alii aliunde praesidium repetere

κριθῶ, ἢ ὑπὸ ἀνθρωπίνης ἡμέρας· ἀλλ' οὐδὲ ἐμαυ-

conantur. *Hieronymus* in epist. ad Alliasiam hoc et alia quaedam ex Cilicum, vbi linguam graecam Paullus primum didicit, idiomate, seu Cilicismum esse putat; illis enim *diem* solitum dici pro *iudicio*. Sed recte dubitatum fuit a viris doctis, quam vere hoc ab Hieronymo dictum sit. Quare alii phrasin nostram ex vsu loquendi vocis יום, pro *iudicio* adhiberi solitae, Iob. 24, 1. alibi, deriuant. At vero יום, monente *Dathio*, (vid. *Glassii* phil. s. p. 878.) de iudicio quidem dicitur, sed tali, quod vel praemium, vel poenam consequitur, nunquam vero de iudicio animi. *Schoetgenius* in peculiari dissertatione de ανθρωπινη ἡμ., vocem dubiam, *Wolfio* auctore, ex hebr. יוֹם אֱנוֹשׁ Ier. 17, 16. explicauit; quod tamen ibi minime pro *die hominis* s. *humano*, sed potius, clamante contextu, pro *die afflictionis* s. *miseriarum*, quales Ieremias popularibus suis annuntiare debebat, sumendum est. Prae caeteris placet *Bezae* et *Olearii* sententia, qui Paullum *diem* maluisse, quam *iudicium* dicere statuunt, vt significaret *diem extremi iudicii* a Deo vel Christo habendi. Iuuandae huius sententiae causa prouocauerimus tum ad intimum loci n. contextum cum v. 5., qui habita manifesta huius iudicii ratione enunciatus comparet, cuius etiam in superioribus c. 3, 13., ex qualicunque nostra huius loci interpretatione, mentio exstat, tum ad formulam ἡμερα Κυριου, huic iudicio propriam, 1 Cor. 1, 8. 5, 5. alibi, cui, sive de iudicio a *Deo*, siue a *legato ipsius I. C.* habendo in ea cogitaueris, vix vlla alia quam ἡμερα ανθρωπινη opponi potuit, ad designandum *iudicium*, *ab humanis iudicibus exerceri solitum*. In eo tamen a duumuiris illis recedimus, quod ex illa ipsa allusione, ad diem iudicii, a supremo *iudice* habendi, facta, non tam de iudicio *hominum omnino*, (quae notio iam in ὑφ' ὑμων latere videtur), quam potius *iudicum* humanorum cogitauerimus, ac si scripsisset Ap. η ὑπο κριτων ανθρωπινων εν ἡμερα κρισεως, ita vt sensus prodeat hic: *perinde mihi est, quem me esse putetis, vel quid ipsi iudices in die dicta a me obeunda de me statuant, dummodo*, (sic ex v. 6. suppl. videtur), *supremo olim iudici ne displiceam*. Quod ne arrogantius dictum videatur, statim addit: αλλ' — ανακρ. *iudicium aliorum de me propterea non curo, quia tantum abest, vt aliquid certi de me statuere*

τὸν ἀνακρίνω. (Οὐδὲν γὰρ ἐμαυτῷ σύνοιδα, ἀλλ' 4
οὐκ ἐν τούτῳ δεδικαίωμαι·) ὁ δὲ ἀνακρίνων με,
Κύριός ἐστιν. Ὥστε μὴ πρὸ καιροῦ τι κρίνετε, 5

VARIAE LECTIONES.

5. τι quod aliquam difficultatem parit, omitt. 43. 52. Syr. Erp. Vulg. clar. germ. Ambrst. Pel. Beda.

possint, vt ne ipse quidem me diiudicare, et certo definire ausim, vtrum caeteris doctoribus, quos mihi vel praeferendos vel posthabendos censetis, merito praeferendus an posthabendus sim. Similiter *Juuenalis* de Diis loquutus: *Notior est illis homo, quam sibi.*

4. Γαρ pro μεν s. καιπερ γαρ. Ουδεν (sc. κακον, ατοπον, δεινον etc.) εμοι συνοιδα, *nihil mali*, i. e. *nullius in munere meo gerendo negligentiae mihi conscius sum;* plane vt *Hor.* l. 1. ep. 1. "*nil* conscire sibi" etc. cf. Iob. 27, 6. ου γαρ συνοιδα εμαυτω ατοπα πραξας. *Demosth.* p. 351. 27. ed. *Reiske:* το μηδεν αὑτῳ συνειδοτι δεινον. *Epict.* ench. c. 56. *Aeschin.* c. Ctesiph. p. 306. in fin. Plura exempla dabunt *Wetst.* et *Kypkius* in h. l. et *Reiske* in ind. graecit. Demosth. p. 713. ac *Palairet* in obss. phil. p. 386. Αλλ', vbi γαρ pro καιπερ γαρ sumseris, valet ὁμως δε. Εν τουτῳ sc. πραγματι, s. μερει, ex hebr. בזאת vel לזאת Gen. 2, 23. (quod relatiue audit באשר, εν ῳ, *quapropter*,) i. q. alias δια τουτο (sc. το μη συνειδεναι πονηρον,) *propterea vel ob id ipsum;* nos: *bey dem Allen;* quamquam et *Polybius, Xenophon,* alii εν τουτῳ eodem sensu adhibent. Loca vide ap. *Kypkium* in h. l. Ου δεδικ. ex hebr. הצדיק, pro ου δικαιος ειμι, s. ελευθερος ειμι απο πασης ἁμαρτιας, *sed ob id ipsum non ab omni culpa liber iudicandus sum.* Sic δικαιουσθαι habes Rom. 4, 2. 6, 7. Act. 13, 39. alibi, coll. Iob. 35, 7. Ez. 16, 52. Ps. 143, 2. vbi LXX. De toto huius voc. et cognatorum vsu loquendi cf. *Koppii* exc. 4. in ep. ad Gal. Ὁ ανακρινων, pro ὁ δυναμενος, s. ῳ εξεστι ανακρινειν εμε. Κυριος, vel Θεος vel Χριστος. Sensus est: *nullius quidem in munere obeundo negligentiae mihi conscius sum; sed ob id ipsum non ab omni culpa liber iudicandus aliisque praeferendus sum, siquidem plura mihi supersunt praestanda; qui potius me iudicandi ius habet, vel me recte diiudicare potest, solus Dominus est.*

5. Ὡστε, pro δια τουτο, sc. cum neque vobis, neque

ἕως ἂν ἔλθῃ ὁ Κύριος, ὃς καὶ φωτίσει τὰ κρυπτὰ

mihimet ipsi recte de me iudicandi copia sit. Προ καιρου, vel per se sumendum, vt sit: *non ante tempus illud, quod ad iudicium de aliquo faciendum requiritur*, i. e. *non temere, praepostere*, (nos: *nicht zu frühzeitig, zu voreilig*,) ita vt προ καιρου oppos. sit τῳ· κατα καιρον (בעתו, s. בעתה Rom. 5, 6. Ies. 60, 22. cf. *Hemsterhus.* ad *Lucian.* dial. mort. 4, 1.) i. e. *iusto tempore ac loco*; vel καιρος, vt saepius, absolute pro tempore quodam definito, et quidem h. n. pro *tempore reditus Christi* positum est, vbi tum explicationis causa statim addita essent verba: ἑως etc. Sensus vtrinque idem. Κρινειν, q. ανακρινειν v. 3. *iudicium ferre, quid mihi de aliquo videatur, siue iudicium illud in laudem, siue contemtum alterius, siue rectum siue praeposterum sit.* Κρινειν τι vero vel est κρισιν τινα s. *iudicium quoddam firmum et fixum facere de aliquo*, vel positum est, pro κρ. κατα τι *in aliquam partem s. bonam, s. malam, iudicare*, sc. περι των διδασκαλων ὑμων. *Lutherus* vero in Postilla, vt vocant, eccles. p. 76. voc. επαινος, quod sequitur, ad *laudis* significationem restringens, et nexum cum 3, 4. 5. et 4, 6. 7. vrgens, vbi Paullus in Corinthiis non reprehendat, quod se et Apollo aliis postponant, sed quod praeferant, κρινειν, vt Rom. 14, 5. et hic illic ap. profanos scriptores, (a *Raphelio* in annott. ex Herod. ad h. l. excitatos), in bonam partem interpretatur, vt sit *bene de aliquo sentire, et loqui*, s. *laudare* et *aliis praeferre.* Sed vti voc. επαινος latiorem *vniuersae remunerationis s. retributionis* significationem admittit, (vid. infra), sic etiam ex nexu cum locc. citt. vix aliquid pro adstruenda hac explicatione colligi posse videtur, tum quia nomina *Paullus* et *Apollo* non vrgenda sunt, cum Ap. haec omnia ad se et Apollo tantum *exempli causa* translata esse, ipse profiteatur (v. 6.), tum, quia, si vel maxime concesserimus, Corinthios Paullum et Apollo reliquis doctoribus praetulisse, ex eo ipso sequatur, alios doctores ab iis contemtos esse, tum denique, quia Corinthios partes Paulli, ob infacundiae probrum, magis deseruisse, quam amplexos esse, ex cap. 1, 17 seqq. omninoque Corinthios alios alii, posthabitis reliquis, doctori adhaesisse, vel ex c. 1, 12. satis apparet. Ἑως — Κυριος, (s. Θεος, s. Χριστος) sc. ad

του σκότους, καὶ φανερώσει τὰς βουλὰς τῶν καρ-

extremum iudicium de hominibus habendum. Inest vero verbis ὥστε - Κυριος constructio paullo inuolutior et concisior, sic fere explicanda: *nolite vos iudicare de aliis, sed omne potius iudicium de doctoribus vestris soli Christo in die extremi iudicii faciendum et promulgandum permittite.* Ὁς, pro οὗτος γαρ. Και, adeo, pertinet ad τα κρυπτα του σκοτους, i. e., cum Hebraei per statum constructum, quem vocant, plures casus significent, τα κρ. εν σκοτ. (quae sic expressa videntur, ad vim vocis τα κρυπτα additis εν σκοτ. magis augendam), *interna hominum indoles, quae alios fere semper latet,* et h. n. potissimum *doctorum in tradenda et propaganda rel. chr. consilia et studia,* quod paullo post, Ap. ipso interprete, audit: βουλ. καρδ. cf. Rom. 2, 16. Φωτιζειν, (hebr. האיר,) proprie *lucem emittere*, h. n., vocabuli σκοτ. ratione habita, i. q. *Suida* auctore εις φως αγειν, εξαγγελλειν, syn. voc. φανερουν. cf. 2 Tim. 1, 2. Iob. 12, 22. מגלה עמקות מני חשך vbi *Schultens.* Locus dictione nostro simillimus exstat ap. *Dionys. Hal.* 5, 54. Δεισαντες, μη φθασωσιν αυτους ἑτεροι, τα κρυπτα εις φως εξενεγκοντες, αυτοι γινονται μηνυται. et 10, 10. επει δε ἡ του δαιμονιου προνοια — τα κεκρυμμενα βουλευματα και τας ανοσιους επιχειρησεις των θεων εχθρων εις φως αγει. Plura collegerunt *Wetst.*, *Raphelius* obss. Polyb., *Palairet.* obss. phil. p. 387. et *Suic.* thes. eccl. T. II. p. 1490. Και, pro τουτ᾽ εστι, nam verba φωτισει — σκοτ. aliis verbis explicantur. Φανερουν, (hebr. גלה Ies. l. c. et Ier. 33, 6. vbi LXX.) *hactenus occulta et ignota ad omnium notitiam perducere*, alias αποκαλυπτειν, i. q. φωτιζειν, *Suida* φανερουν non minus ac φωτιζειν per εις φως αγειν explicante. Ceterum voc. φανερουν ad iudicem throno insidentem, indeque, facta interrogatione, sententiam de singulis hominibus sigillatim, coram circumfusa hominum multitudine, promulgantem, qualem Christum olim futurum esse arbitrabantur, spectare videtur. Βουλαι καρδ. hebr. מחשבות Ies. 55, 7. 8. מזמות Ps. 21, 12. praecipue תעלמות לב Ps. 44, 22. q. Rom. 2, 15. λογισμοι, et, *Casaubono* interprete, ap. *Epict.* c. 67. δογμα, *intima animi sensa et consilia,* (externis sermonibus et factis opposita,) quibus doctores potissimum adducti rel. chr. alios docuerunt.

διῶν· καὶ τότε ὁ ἔπαινος γενήσεται ἑκάστῳ ἀπὸ
6 τοῦ Θεοῦ. Ταῦτα δὲ, ἀδελφοὶ, μετεσχημάτισα

Και τοτε, pro τοτε πρωτον, suppl. αλλ' ουπω νυν παρ' ανθρωπων s. παρ' ὑμων. Επαινος, vel vt hebr. הדר est *laus*, *iudicium honorificum*, s. *praemium*, quatenus ipsa laus inter praemia referri, praemiumque laudi iunctum esse solet (cf. Rom. 2, 29. 13, 3. praecipue 1 Petr. 2, 14. vbi επαινος τῃ εκδικησει. coll. *Xenoph.* oec. 9, 14. vbi το επαινειν τῳ ζημιουν opponitur), ita vt vtroque sensu ad doctores bonos spectet, laudibus ac praemiis olim a supremo iudice ornandos; vel, quod praetulerim, vt voc. μισθος, (nos *Lohn*), alias h. n. adhiberi solitum, est *iudicium* s. *remuneratio in vtramque partem*. Mediam hanc vocis επαινος, tam laudis, quam vituperii, significationem *Hes.* quoque innuit, quando επαινους interpretatur τας κρισεις, και τας συμβουλιας, και τας αρχαιρεσιας. Hinc *Casaubonus* ad *Epict.* l. c. voc. επαινος explicat per ψογος, atque id se alibi docuisse affirmat. *Elogii* et *tituli* eandem esse in scriptoribus Lat. rationem, norunt eruditi. Cf. *Ernesti* clav. Cic. Ἑκαστῳ potissimum διδασκαλῳ, siue bono, siue maligno. Γενησ. ἑκ. ex hebr. היה cum ל, pro συμβαινειν, τυγχανειν. Απο του Θεου. Vbi supra Κυριος pro Χριστος sumseris, et h. n. de Christo, Dei vice, in iudicio olim habendo, fungente, cogitandum est. Iam missa iudicii extremi sententia iudaica (vid. ad 1, 8.) nobis quidem sola *sortis doctorum in vita futura*, *studiis ipsorum in tradenda rel. chr. adhibitis*, *congruae*, in h. l. tenenda videtur.

6. Comma hoc glossae speciem prae se fert, a Paullo orationi intextae, ad lectores monendos, haec omnia, quae de moderatione ac modestia, in dignitate doctoris chr. rite constituenda, nec vltra modum extollenda, disseruerit, ad se et Apollo, (quem quidem collegam sibi amicissimum, secum consentire, neque μετασχηματισμον, et eius exemplo amplificatum, aegre laturum esse, certum habebat), *exempli causa* translata esse, licet ad constringendam aliorum doctorum arrogantiam, moderandamque discipulorum, iusto maiorem doctoribus auctoritatem vindicantium incogitantiam, dicta sint, quorum tamen, sive doctorum sive discipulorum, nomina verecundiae ipsorum parcens, reticere maluerit. Ταυτα sunt qui ad 1, 12. et

εἰς ἐμαυτὸν καὶ Ἀπολλὼ δι' ὑμᾶς, ἵνα ἐν ἡμῖν

VARIAE LECTIONES.

6. ὑμῖν pro ἡμῖν habent D a pr. m. 23. al. 3. Matth. d. Ed. Copt. Syr. p. Vulg. ms. clar. germ. Chrys. alicubi. Antiochus. Beda. — ἃ pro ὃ exhib. ABC. 31. Matth. 7. Copt. Ath. Cyr. — φρονεῖν omitt. AD a pr. m. E a pr. m. FG. 46. ita vt in illis Italae verss. exemplis (excepto Boerneriano), it. in August. Pelag. Ambrst. Vulg. etiam vocc. ἵνα μὴ non exprimantur. — φυσιοῖσθε. Coniect. Erasmi, Bezae, Grotii. φυσιῶσθε. Chrys. ms. et Matth. 2. φυσιοῦσθαι. 73. Matth. f. Theodoret.

totum, quod Ap. hucusque tractauit, de schismatibus argumentum, referri velint sic, ac si Ap. exempli causa se et Apollo, dissidiorum in coetu Corinthiaco exortorum, quibus tamen doctores longe alii ansam praebuerint, professus sit auctores; quam tamen sententiam iam in prolegg. p. 18. sq. nobis refutandam sumsimus. Rectius hoc voc., cum in proxime sequentibus de fugienda arrogantia sermo sit, ad 3, 5. seqq. et 4, 1. 2. restringitur, vbi Ap., quonam loco habendi sint doctores chr., copiosius ostendit. Μετασχηματίζειν, (s. μεταμορφοῦν,) proprie est *transformare, in aliam figuram conuertere*; hinc metaph. *accommodare*, et de eo potissimum vsurpatur, qui *aliud dicens, aliud innuit*, et praecipue *qui ad se transfert, quae de aliis dicenda habebat*; cuiusmodi loquutiones a Graecis vocari solent λόγοι ἐσχηματισμένοι, quos *controuersias figuratas* dixit *Quinctilian.* 9, 11. et *Suet.* in Vesp. et Domit. *figuras*. Loca *Wetst.* suppeditabit. Bene *Chrysost.*, de hoc loco agens, in sermone *de non vulg. pecc.* συνεσκίασε τὴν κατηγορίαν. Sensus est: *dixi haec omnia de me et Apollo, quae tamen de doctoribus omnino intelligenda sunt.* Sic etiam *Syrus* interpretatur: *proposui haec in persona mea et Apoll.* Cf. de h. v. *Dresigium* de verbis med. N. T. 1, 85. p. 334. et *Schwarzii* comment. crit. ling. gr. p. 906. Ἀπολλῶ, est accusatiuus antiquus, vt Ἀθῶ, et *Atho* ap. *Theocrit. Aesch. Virg.* et *Liv.* cf. Act. 19, 1. Δι' ὑμᾶς, proxime ad voc. μετασχ. referri possit sensu hoc: *vsus sum hoc μετασχηματισμῷ vestri causa*, i. e. *vestrae verecundiae inseruiens, ne commemorandis doctorum nominibus, quorum partibus, in summa licet arrogantia ipsorum, studetis, vos erubescere faciam.* Cum tamen, quae proxime sequuntur, ἵνα etc. ad verba δι' ὑμᾶς explicanda spectare videan-

μάθητε τὸ μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν, ἵνα

tur; malim equidem verba nostra, *docendi* tantum notionis, in voc. μετασχ. latentis, ratione habita, explicari sic: *haec*, μετασχηματισμῳ *vsus*, docui *vestri causa*, i. e. *ad modestiam vestram promouendam*. Ἰ. εν ἡμιν μ. vt *ex iis, quae meo et Apollonio exemplo adhibito, de vera doctoris chr. dignitate disserui*, discatis etc. Lectio εν ὑμιν vero pro εν ἡμιν requirere videtur sensum hunc: *vt ipsi, me non monente, facta ad vos applicatione, discatis* etc. Φρονειν, (et φρονημα,) iam per se *magnos tumidorum hominum spiritus* significat, et *arrogantiae* in *iudicando* notionem continet, (*Aristid*. de paraphth. p. 625. φρονειν επι τοις αυτου, *res suas praedicare*, et *Pausan*. Eliac. poster. c. 20. p. 504. φρονησαι επι τῳ ἑυρηματι, *ob rem inuentam sese efferre*. Sic etiam *Suid*. φρονημα· ἡ επαρσις, και ἡ αλαζωνεια. coll. *Schwarz*. l. c. pag. 1395. sq. quae addito ὑπ. ὁ γεγρ. magis adstruitur, nam φρονειν ὑπερ τι est *iusto magnificentius iudicare*, *vltra modum gloriari*. De quanam vero gloriola h. n. cogitandum sit, paullo post demonstrandi locus erit. Ὑπερ ὁ γεγρ., quia γεγραπται ex hebr. כתב et כתוב ad libros V. T. referri solet, interpp. reddunt: *vltra modestiae normam in V. T. praescriptam*, ita vt haec verba vel, quae est *Grotii* sententia, ad Deut. 17, 20. vbi regi praecipiatur, ne se supra alios efferat fastuose, quanto magis aliis, vel ad omnium V. T. locorum ambitum spectent, in quibus de modestia sermo sit. Sed non adscripto ipso V. T. effato, quod formulae γεγραπται, vbi ad V. T. spectat, addi solet, et clamante orationis contextu, praestat verba ὑπ. ὁ γεγρ. praeeuntibus *Elsnero*, *Semlero*, aliis, ad normam a Paullo ipso 3, 5. et 4, 1. 2. praescriptam referri, vocabulo γραφ. vel simpliciter pro *scribere*, vel ex hebr. כתב, pro *praecipere* sumto, qua *praecipiendi* significatione et Latini vocc. *praescribere*, *praescriptum*, vsurpant, vt sensus sit, vel: *vltra normam*, *de qua paullo ante scripsi*, vel: *quam praescripsi*. Praefero prius. Iam vero cum ll. cc. de norma diiudicandae *doctrinae chr*. dignitatis sermo sit, verba ὑπ. ὁ γεγρ. φρ. non, vt fieri solet, de Corinthiis arrogantius de *semet ipsis* sentientibus intelligi possunt; sed post φρονειν potius suppleri debet: επι τοις διδασκαλοις ὑμων, sensu prodeunte hoc: *transtuli haec in me et Apollo etc. ne vltra nor-*

μὴ εἷς ὑπὲρ τοῦ ἑνὸς φυσιοῦσθε κατὰ τοῦ

mam a me supra commemoratam, ad quam omne, de doctoribus chr. iudicium conformari debet, et iusto magnificentius, de doctoribus vestris sentiatis et gloriemini. Alii haec verba ita accipiunt, ac si ad scripturam s. tanquam ad lapidem lydium fidei morumque dogmata explorandi in vniuersum respicere Corinthii iubeantur, nihilque adeo admittere, quod in illa non tradatur. Sed haec explicatio a sententiarum nexu prorsus aliena est. Ἵνα etc. a praecedentibus pendent. vid. infra sensum. Εἷς ὑπ. ἑν vt hebr. אחד bis repetitum, positum est pro: ἄλλος ὑπ. ἄλλου, s. ὑπ. ἀλλήλων, sed et Graeci sic loquuntur. Loca *Kypkius* collegit ad 1 Thess. 5, 11. Φυσιοῦσθαι, vt lat. *inflari*, et nostrum *aufgeblasen seyn*, pro *elato animo esse, superbire, insolenter se gerere;* metaphora non tam, auctore *Chrysost.*, inde repetita, quod, vti tumor corporis indicium sit corruptionis et morbi, sic etiam superbia voluntatis corruptam indolem indicet; quam potius a turgida corporis specie, qua, data opera assumta, gloriolae suae consulere, venerationemque aliis extorquere gestiunt superbi. *Hes.* φυσιούμεθα· ἐπαιρόμεθα, τυφούμεθα, et πεφυσιωμένους· ὠγκωμένους, κενοδοξοῦντας, ἐπηρμένους. Loca similia collegerunt *Wetst.* et *Elsnerus* ad h. l. *Loesnerus* ad Col. 2, 18. et *Fabricius* ad *Sext. Empir.* p. 29. Ceterum ἵνα h. l. subiunctiuo iunctum comparet, cuius constructionis, rarioris quidem, exempla tamen apud N. T. scriptores, graeci idiomatis minus gnaros, occurrunt, v. c. infra 9, 18. Gal. 4, 17. Apoc. 22, 14. (Apud exteros vero scriptt. ἵνα *praesenti* indicat. iunctum vix deprehendes. Exstat quidem ap. *Hom.* Il. α. 363. ἵν' εἴδομεν, in quo tamen forma coniunct., metri caussa correpta, latere dici potest). Quare non est quod φυσιοῦσθε in φυσιῶσθε, quod omni fere codicum auctoritate destituitur, transmutemus. vid. var. lect. cf. de constr. illa *Valckenar.* diatrib. in *Eurip.* Reliqu. p. 149. et *Hemsterh.* ad Lucian. T. 1. p. 267. Κατὰ τοῦ ἑτέρου, *in damnum s. contemtum alterius;* nos: *auf Kosten eines dritten.* cf. de hac voc. κατὰ signif. *Zeunium* ad Viger. de id. gr. l. 9, 5. Sensus, nexu suo cum praeced., hic est: *iusto magnificentius vero de doctoribus vestris sentire non debetis, ne alius vestrum contra alium, pro-*

7 ἑτέρου. Τίς γάρ σε διακρίνει; τί δὲ ἔχεις, ὃ οὐκ ἔλαβες; εἰ δὲ καὶ ἔλαβες, τί καυχᾶ-

pter sectae suae principem, quem, posthabito altero, admiratur, animo se efferat. Sed haec de interpretatione vulgari magis definienda et explananda hactenus. Cum vero v. 7. seqq. ad doctores Corr. spectent, equidem, voce ἀδελφοὶ pro blando alloquio, ad eosdem spectante, vel *collegarum* sensu sumto, et v. 6. ad doctores istos referri malim, prodeunte sensu, si quid iudico, magis commodo hoc: *atque haec, collegae dilectissimi, vestra causa in me et Apollo transtuli, vt hoc exemplo nostro vos, qui et ipsi prouinciam doctoris chr. suscepistis, moderatius de vobis sentire, nec plus vobis tribuere discatis, quam commodum supra significabam; minime vero alius super alium porro inflari adsuescat.* Qua interpretatione admissa supplemento non opus est post verb. φρονεῖν, et comma 6. ex vulgari interpretatione a v. 7. aliquo modo diuulsum, iam nunc arctius cum eodem cohaeret. Sic et *Semlerus* statuere videtur.

7. Fastu doctorum Corr., qui sectis ibi exortis praeerant, in fin. v. 6. commemorato, stultum et absonum hunc esse ostendit, siquidem omnem doctrinae chr. copiam, de qua gloriarentur, vel Paullo, vel aliis app. acceptam referant. Τίς, interrogatione denudatum, pro οὐδεὶς posit. est. Σε, ad peculiarem quendam doctorem Cor., et vel ad ipsum Apollo, sunt qui cum *Zeltnero* referant, obstante tamen cap. 16, 12. Cum vero Paullo hucusque de pluribus doctoribus, arrogantia sua schismatibus ansam praebentibus, sermo esset; praestat σε collectiue ad hos omnes extendi: *o tu, quisquis fueris, qui schismatum auctor es!* Διακριν. proprie *discerno*, metaph. *discrimen facio*, *ita, vt vnum alteri praeferam* s. *vnum altero praestantiorem declarem.* infr. 11, 29. Act. 15, 9. Iud. v. 22. *Xenoph.* Cyrop. 7, 5. 14. διακρίναντες προσιεσαν. *Herod.* l. 3. p. 201. ἦγε πάντας, διακρίνων οὐδένα. Eodem sensu *secernere populo* ap. *Horat.* Iam si propriam verbi διακρ. significationem sequutus fueris, τις — διακρ. distributiue sumendum videtur sic: τίς μεταξὺ ἑνὸς ὑμῶν καὶ ἑτέρου διέκρινε; *quis est, qui effecerit, vt alius vestrum alio doctore vteretur.* Ex metaph. autem significat., quam hic praeferendam censeo, verba

ται ὡς μὴ λαβών; Ἤδη κεκορεσμένοι ἐστὲ, 8
ἤδη ἐπλουτήσατε, χωρὶς ἡμῶν ἐβασιλεύσατε·

lla sumserim pro: ουδενι εξεστι σε διακρ. sensu hoc: nemo, praeter plebem, externa eruditionis vestrae specie obcaecatam, vobis praerogatiuam prae caeteris tribuit; neque Deus, neque apostolus quidam, neque vllus alius, cui iudicium de vobis faciendum competit. Neque etiam tribuendae ipsis praerogatiuae copiam adesse, iam nunc asserit Ap. Τι, iterum, si a quaestione recesseris, pro ουδεν, idque h. n. pro ουδεμιαν παιδειαν s. παιδευσιν. Εχειν, tenere, habere, pro scire, s. didicisse, (nos: inne haben,) 1 Cor. 2, 16. Ioh. 14, 21. Act. 25, 26. (Aelian. v. h. 2, 10. ουκ ειχον Αθηναιοι. Caes. de b. g. 3, 3. non habebant quo se defenderent. Cf. Abresch ad Aeschyl. p. 478.) λαμβανειν vero, s. παραλαμβανειν accipere, vt hebr. לקח Num. 23, 20. pro discere s. doceri, Apoc. 3, 3. coll. 1 Cor. 11, 23. 1 Thess. 2, 13. (vtroque supponente το παραδιδοναι, tradere s. docere). Ελαβες, sc. παρ' εμου, η αλλου τινος αποστολου. Και, etiam: quodsi vero et hanc doctrinam, vti reliquam omnem fortunam, qua gaudes, alii acceptam refers. Τι, vt hebr. מה et lat. quid, pro κατα τι, למה, ob quid. Τι καυχ. pro πως τολμας καυχ. Sensus est: Non vestro ingenio debetis vestram religionis cognitionem, qua tantopere gloriamini, sed mihi vel aliis apostolis ac doctoribus, qui, Deo procurante, vobis contigerunt; quodsi vero eam aliis acceptam refertis, profecto non est, quod gloriemini, quasi eam non ab aliis didicissetis, sed ipsi propriis studiis excogitassetis. Satis bene Chrysost. homil. 11. hoc comma circumscripsit.

8-13. Ap. iam totus in eo est, vt horum doctorum doctrina sua se efferentium, et in eo, quod plebs se eis certatim addicebat, sibi placentium, sortem atque fortunam externam, cum ea, quae sibi obtigerit, comparet. Κεκορ. propr. saturati, metaph. abundantes aliqua re, et quidem h. n. cum v. 7. rerum diuinarum quasi cibo, (cui et Christus religionis doctrinam comparare solet), i. e. scientia. (Cf. Irmisch ad Herodian. 1, 13. §. 10.) Iam vel ironia in verbis latet: omnem iam scientiae div. ambitum perspectum habetis, nihilque vobis amplius appetendum restat, non magis quam iis, qui de epulis facti sunt saturi; vel obiur-

καὶ ὄφελόν γε ἐβασιλεύσατε, ἵνα καὶ ἡμεῖς

gatio: *itane, quasi exsatiati, iam vos vobis ipsi sufficere putatis? itane me vobis doctore amplius non opus est?* Vtroque modo et reliqua explicari possunt. Sensus ironicus mihi quidem melius procedere videtur. Επλουτησατε, i. q. επλουτισθητε 1 Cor. 1, 5. vnde quoque huc suppleuerim (εν) παντι λογῳ και πασῃ γνωσει, *iam abunde instructi estis rel. scientia.* cf. Apoc. 3, 17. 18. et Hos. 12, 9. Noli vero argutari cum interpp. nonnullis in voc. πλουτεω, ac si plus illi insit, quam verbo κορενν., nimirum eius abundantiae notio, quae et aliis donando non exhauriatur. Synonyma potius sunt, ad sententiam amplificandam accumulata. Βασιλευειν, vt ap. Latinos *regnare* dicuntur ii, *qui praecipua quadam dignitate, auctoritate et prosperitate gaudent.* regibus tribui solita. cf. Rom. 5, 17. Apoc. 5, 10. 20, 4. 5. Hor. 1. ep. 10. 8. *Quid quaeris? viuo et* regno. — *Cic.* ad fam. 7, 25. *Olim, quum* regnare *existimabamur.* coll. *Ernesti* cl. Cic. s. v. *regnare* et *regnum.* Plura collegit *Wetst.* Sic etiam a patribus vocc. βασιλευς et βασιλικος adhibentur, vid. *Suic.*th. eccl. T. I. p. 669. seqq. Innuere vero videtur hoc voc. in N. T. Iudaeorum de regno Messiano somnia, in quo doctores sperabant fore, vt assessores iuris dicundi, dignitate et maiestate Messiae proximi, euaderent. cf. Matth. 20, 21. Χωρις ἡμ. pro χ. της διδασκαλιας ἡ. voce ἡμων vel ad solum Paullum, vel etiam ad eius administros spectante. vid. ad v. 9. *Sapientia proprio marte acquisita, propriisque meritis summum honoris ac felicitatis fastigium nacti, misero apostolo, continuataque eius institutione, haud amplius opus habetis.* Cf. Ies. 47, 7. 8. Cum tamen adeo late pateat verbi βασιλ. significatio, *Ambrosiast.* illud: *de spe et promissis Christi securi estis,* Bengelius: *ad regnum peruenistis,* Grotius: *in tuto estis, sicut reges, quibus nemo potest nocere,* Semlerus: *regnum adiistis, et penes vos est dominium et ius statuendi de rebus christianis,* aliique aliter reddiderunt, nexu tamen explicationi superiori potissimum fauente. Ceterum ille ipse *Semlerus,* verbis χωρις ἡμ. ad praecedd. κεκορ. εστε et επλουτ. relatis, εβασ. per se sumi mauult, quo, si quid sentio, ironiae acerbitas adaugetur, siquidem iam nunc doctores κεκορεσμενοι *sine ministerio Paulli* dicuntur, cui tamen rel. chr. cognitionem acceptam referebant; sed Paul-

ὑμῖν συμβασιλεύσωμεν. Δοκῶ γὰρ, ὅτι ὁ Θ

lum, si haec fuisset mens eius, vel ηδη ante εβασ. repetiturum, vel μαλλον δε εβασ., s. αλλα δη και εβασ. etc. "*quid? quod* iam regnum nacti estis," scripturum fuisse arbitrer, quo minus abrupte voc. εβασ. additum videatur. Οφελον, proprie aor. 2. verbi οφειλω; hinc adverbialiter i. e. q. ει, s. ειθε, *vtinam* (Lex. *Cyrill.* MS. Brem. οφελον· ειθε. coll. *Thom. M.* p. 665.) et ap. Hebr. אחלי et לו Ps. 119, 5. Num. 14, 2. etc. vbi Alex., qui et ει αφελον iunctim adhibent Job. 14, 13. 30, 24., et modo cum indicatiuo, praecipue cum fut. ind., modo cum optatiuo iungitur, de qua constructionis varietate vid. *Graevium* ad *Luciani* Soloecistam T. II. opp. p. 730. et *Schwarzium* de soloecism. discip. I. C. antiq. p. 115. Sensus: *vtinam vobis re vera quam optime sit, summaque dignitate et prosperitate gaudeatis. Tantum abest, vt vobis inuideamus, vt nobis sperare liceat, fore,* ινα — συμβασ. *vt vestro quasi splendore et nos resplendeamus*, i. e. *vt, vbi vos consummati fueritis, et nos dignitate fruamur apostolis debita, ac otium et finis fuerit tribulationis apostolicae*, qua, vt v. 9. addit, iam nunc obnoxius sum.

9. Δοκω alii pro pleonasmo habent, non vrgente tamen necessitate, alii, qui εσχατοι pro *hominibus vilissimis* accipiunt, per *arbitror* reddunt, sensu tamen ironico. Nos δοκ. ὁτι ὁ Θ. sumimus pro δοκει ὁ Θ. etc. Act. 17, 18. 2 Cor. 10, 9. *Deus nos* επιθανατιους *constituisse videtur.* Ἡμας, cum addita legantur τ. αποστ. et εσχ., non cum *Iustiniano*, *Calixto*, *Moshemio*, aliis, de solo Paullo, quamquam saepissime de se num. plur. loquatur, sed, praeeuntibus *Heumanno*, *Semlero*, rel. de pluribus app., et inter hos praecipue de Barnaba, qui et ipse varias calamitates inter gentes pertulit, et cum Paullo inter εσχατ. s. *recens electos* refertur Act. 13, 2. intellexerim; facile tamen concedens, ea, quae sequuntur, proxime a Paullo ad semet ipsum relata esse, ita vt modestiae tantum causa, ne solus omne ignominiae et supplicii genus perpessus esse videatur, sermonem ad app. omnino extenderit. Εσχατοι. Vt οἱ πρωτοι, et ap. Lat. *primi, primarii*, homines *claros et illustres*, sic εσχατοι, vbi ex vulgari interpret. verbo απεδ. iungitur, *infimae sortis homines*, significat, (Marc. 9, 35.) quos *Cic.* pr. Rosc. Am. c. 47. et ad fam. 1, 9.

Θεὸς ἡμᾶς τοὺς ἀποστόλους ἐσχάτους ἀπέ-

postremos, et *Apul.* met. 4. *extremos* vocat. cf. *Gell.* n. A. 15, 12. et *Wetst.* in h. l. Quodsi vero, verbo απεδ. ad ὡς επιθαν. reiecto, εσχατ. iunxeris cum ἡμ. τ. απ., de *app. nouissimis*, s. *nouissime electis*, iisque gentibus destinatis, cogitandum est. Iam si illud statueris, απεδ. i. e. q. εποιησε, adiuncta tamen notione eius, quod *publice* quis *fecit*, ita vt factum quasi *ostendat*; (e. c. *Xenoph.* de re equ. 1, 5. χωλον απεδειξε τον ἱππον. Cyrop. 1. οἱ αν δοκωσι του παιδας βελτιστους αποδεικνυναι. *Isocr.* paneg. c. 23. ανδρας αγαθους απεδειξαν. Alia exempla e Graecis dederunt *Raphelius* et *Krebsius* ad h. l. nec non *Hemsterhus.* ad Lucian. T. 1. p. 460. et *Irmisch.* ad Herodian. Vol. 1. p. 121.) sin vero hoc, απεδ. ὡς επιθ. ex propria huius verbi significat. sibi velle videtur: *publice nos spectandos exhibet, vt* επιθ. Prior constructio sensum fundit hunc: *Deus, nos app. homines vilissimos reddidisse videtur, quales sunt ii, quos iudex morti iam adiudicauit;* posterior vero hunc: *Deus nos, qui postremi apostoli facti fuimus, tanquam* απιθαν. *oculis aliorum conspiciendos sistit.* Vtra interpretatio praeferenda sit, ab vniuscuiusque sensu interno pendet. Nobis posterior cum *Attone* et *Tertulliano*, quos et *Semlerus* sequutus est, arridet, cum quia app. priores, licet in Iudaea et ipsi non caruerint variis aerumnis per aliquod tempus, calamitatibus tamen non adeo continuis, vt app. ethnicorum extra Palaestinam, patuerunt; tum quia απεδ. nunc arctius cohaeret cum θεατρ. εγεν. et huic formulae ansam praebuisse videtur. Επιθανατιος rarissime occurrit ap. scriptt. graec., vt adeo vir doctus in *Miscell. Obss.* T. III. p. 246. dubitauerit, an haec vox sit a probatis auctoribus vsurpata. Sed obuiam est επιθανατιος ap. *Dionys. Hal.* 1, 427. ὁθεν αυτοις εθος βαλλειν τους επιθανατιους, et in *Hes. Suid.* et *Etym. M.* explicationibus vocis επικηρα; nec non επιθανατος ap. *Demosth.* p. 1225. ed. Reiske, et ap. *Suid.*; denique adv. επιθανατιως ap. *Aelian.* v. h. 13, 27. *Scaliger* ad Manil. p. 317., *Grotius*, *Elsnerus*, επιθαν. pro *bestiariis*, s. *hominibus ad bestias damnatis*, alii pro *gladiatoribus* sumunt, qui mortis causa a Romanis alebantur. vid. *Lips.* Saturn. II. et *Vrsin.* annall. Vol. II. l. 6. c. 6. sed non vrgente vlla necessitate, necdum locum allatum vidi, in quo haec vox ita sit restringenda. Graecis potius *ad mortem damnari* est κα-

δειξεν, ὡς ἐπιθανατίους, ὅτι θέατρον ἐγενήθημεν

ταδικαζεσθαι επι θανατω, *ad mortem duci* απαχθηναι επι θανατω; hinc orta vox επιθανατιος, s. επιθανατος, hominem notat *ad mortem damnatum*, s. *qui perpetuo in mortis periculo versatur*. Bene *Chrysost.* καταδικαζομενος επι θανατω, s. καταδικος. *Hes.* επιθανατος· προσδοκωμενος αποθανειν, et *Suid.* προσδοκιμος του αποθανειν. Ὅτι etc. ad vocem επιθαν. amplificandam addita sunt. Θεατρον, non solum *locus*, *in quo spectacula exhibebantur*, sed etiam *id*, *quod aliis spectandum*, *vel etiam irridendum praebetur*, (nostrum *Schauspiel*), et, (quia, pro more Graecorum atque Romanorum, homines malefici in theatris non solum ignominiae ludibriique causa exhibebantur, sed supplicio etiam afficiebantur vid. loca ap. *Elsnerum*), *ipse homo*, *qui ignominioso supplicio afficitur*, *et omnium ludibrio tanquam in theatro aliquo*; *exponitur*. cf. praecipue *Krebsii* comment. ad decret. Atheniens. p. 87. Voc. ὡς vero, quod επιθ. praemittitur, et hic ante θεατ. εγεν. (q. Hebr. 10, 33. vno verbo per θεατριζομεθα, exprimitur), suppleuerim, ita vt sensus redeat huc: *nos app. tanquam homines ad mortem damnati*, *et in theatro hoc mortis supplicio afficiendi* *misere tractamur*, *et publicae ignominiae exponimur*. cf. v. 11. Eodem sensu ap. *Plautum* saepius *aliquem ludos facere*. Sic etiam *Philo* leg. ad Caj. p. 1041. cum ipse et reliqui legati in diurno cum Cajo colloquio indigne habiti essent, se tandem respirasse dicit, τοιουτον αντι δικαστηριου θεατρον ὁμου και δεσμοτηριον εκφυγοντες, ὡσπερ γαρ εν θεατρῳ κλωσμοσυριττοντων, καταμωκωμενων, αμετρα χλευαζοντων; et *Sallust.* Iug. 17. *At ego infelix in tanta mala praecipitatus — rerum humanarum spectaculum praebeo*. coll. *Sen.* de prov. 2. et *Plin.* paneg. 33. Quo penitius vero haec *publici* ludibrii, quo ab *omnibus* habebantur app., notio exhauriatur, Ap. addit: se spectaculo esse τῳ κοσμῳ (sc. ὁλῳ) cuius voc. vis h. n. non ad *homines malignos* (vid. ad Iac. 1, 27.) restringi, sed ad *omnes naturas creatas*, *quibus alios ludibrio laedendi facultas inest*, extendi debet, nam per μερισμον, Paullo solemnem, et *vniuersitatis* tantum significationem exprimentem, hunc ipsum κοσμον dispertit in αγγ. και ανθρ. quibus app. spectaculo essent, i. e. *cunctis*, *omnibus omnino*; vt in illo *Cic.* ad div. 1, ep. 9. *neque solum dixi*, *sed etiam saepe facio*, Diis hominibusque *appro-*

10 τῷ κόσμῳ, καὶ ἀγγέλοις καὶ ἀνθρώποις. Ἡμεῖς

bantibus. Quare non anxie quaerendum, quomodo app. ab *angelis* ludibrio haberi potuerint? Neque tamen repugnauerim, si αγγ. (quorum saepius mentio fit in hac ep. 6, 3. 11, 10.) ad angelos malignos referri malueris, quippe qui, fabulis Iudaeorum de daemonibus ad rem chr. translatis et detortis, non minus caede ac sanguine, et quauis calamitate, quam angeli boni salute ac prosperitate Christianorum gaudere, eandemque promouere putarentur, quemadmodum et Ioui Latiali gratissimus bestiarii sanguis erat. *Tertull.* apoc. c. 9. cf. Luc. 15, 7. Matth. 18, 10. et 1 Petr. 5, 8. locaque omnia, in quibus homines a daemonibus obsessi fuisse narrantur. vid. etiam *Eisenmenger* entd. Judenth. T. I. p. 854—883.

10. Iam addit Paullus conuicia et probra illa, quibus app. ludibrii causa vexentur, hisque ipsis ειρωνικως nomina illa honorifica ex diametro opponit, quae doctores Corr. sibi arrogent. Ἡμεις ad app., ὑμεις ad doctores Corinth. spectat. cf. v. 8. 9. Δια Χριστον et εν Χρ. formulae synn. sunt, (in duobus membris, quae sequuntur, repetendae), pro κατα την διδαχην του *Χρ. ratione habita religionis chr.*; nam δια, annotante *Bengelio* in *seruos*, εν vero in *consortes* conuenire, vsu loquendi vix firmari potest. Μωροι et ασθενεις, nec non Φρονιμοι et ισχυροι sunt synn., eodem sensu sibi opposita, vt τα μωρα και ασθενη, et σοφοι και τα ισχυρα 1, 27. illaque tam ad *profundiorem doctrinae chr. cognitionem*, quae e. c. spreta doctrina de morte quam Christus in cruce perpessus est, stulta philosophis visa, ad altiora nititur (1, 22. 23.), quam ad maiorem in tradenda hac rel. *facundiam*, (2, 17. seqq.), haec vero ad religionis *ignorantiam*, et, in eadem docenda *infacundiam et infantiam* spectare, nexus cum locis citt. requirere videtur; neque tamen, vtrum vtro exprimere voluerit Ap., in tanta verborum ambiguitate dirimere ausim, et id in medio relinquens, an in vtraque dicendi formula de vtroque cogitauerit. Quodsi vero distinctione opus sit, distinxerim sic: *nos imperiti et rudes sumus in religionis chr. doctrina, vos peritissimi estis; nos in eadem tradenda timidi, vtpote ruditatis nostrae nobis conscii, vos autem in dicendo audaces et fortes.* Alii ασθ. et ισχ. reddunt: *nos miseri et afflicti sumus, vos autem potentes;* quae tamen sententia, in iis quae

μωροὶ διὰ Χριστὸν, ὑμεῖς δὲ φρόνιμοι ἐν Χριστῷ· ἡμεῖς ἀσθενεῖς, ὑμεῖς δὲ ἰσχυροί· ὑμεῖς ἔνδοξοι, ἡμεῖς δὲ ἄτιμοι. Ἄχρι τῆς ἄρτι ὥρας 11

proxime sequuntur demum quaerenda videtur. Ενδοξοι et ατιμοι i. q. 1, 28. τα οντα et τα αγενη, εξουθενημενα και μη οντα. *Vos ob eximiam doctrinam in honore estis apud vestros; nos autem ob religionis ignorantiam contumelia afficimur.* cf. 2, 2. 3. 1, 23. Mirum videtur, nostrum, qui alias paronomasias anquirit, non scripsisse ὑμ. εντιμοι, ἡμ. ατιμοι, (ad imitationem hebr. כבדים et נכבדים nisi forte voci δοξα כבוד maiorem, quam voc. τιμη, ad describendam doctorum Corr. maiestatem, licet vanam, vim inesse putauerit. Quod autem Ap. non ἡμ. ατιμ. ὑμ. ενδ., sed inuerso orationis contextu, hucusque seruato, ὑμ. ενδ. ἡμ. ατ. scripserit, id quidem, nisi fortuito, et negligentia quadam in scribendo, calamo exciderit, de industria factum esse videri possit, quo arctius v. 10., qui copiosiorem των αποστολ. ατιμων iam nunc in *fine* v. 10. commemoratorum descriptionem continet, cum hoc ipso commate cohaereat. Verbum εσμεν et εστε, ex hebraismo, et ad augendam orationis vim omissum, in hoc commate suo loco supplendum, et ironice sumendum esse, vix est quod moneamus. Reddiderimus sic: *Wir sind einfältige Nachbeter im Christenthume, ihr seyd selbst forschende* (in den Geist der Religion eindringende) *Gelehrte; wir — Schwächlinge, ihr — starke Denker, ihr — in grofsen Ehren, wir — verachtet.* Vlterius vero ironia non producitur; quae sequuntur pro vera Ap. mente habenda sunt.

11. Nexum ad v. 10. transeundo iam indicauimus. Ὡρα, *Hes.* καιρος. Αχρι τ. αρτι (sc. ουσης) ὡρ., alias αχρι του νυν, s. ἑως αρτι v. 13., sed et nos eodem sensu: *bis auf diese Stunde.* Sensus est: *etiam nunc*, ne me de praeteritis tantum agere existimetis. Και, ad vitae incommodorum, quae recitat, *multitudinis* simul notionem exprimendam, saepius repetitum, cum emphasi quadam pronunciandum est. Πειν. κ. διψ. vel, retenta propria horum vocc. significatione, de eo, quod, praecipue in itineribus, *saepius* accidit, vel de alimentis *non large* suppetentibus, vel de *vitae incommodis* iisque grauissimis omnino, et praecipue de summa egestate intelligen-

καὶ πεινῶμεν, καὶ διψῶμεν, καὶ γυμνητεύομεν,
12 καὶ κολαφιζόμεθα, καὶ ἀστατοῦμεν, καὶ κο-

dum est. Praefero prius. Γυμνητευειν, a γυμνος, et vtrumque a γυω, cuius propria significandi vis, *Wassenberghio* subtiliter coniiciente, fuisse videtur *hisco*, *pateo*, vtpote vocali tantum litera diuersum a γαω, quod mox adspirate enunciatum χαω, vnde χαινω *hisco*. Hinc γυμνος proprie est is *cuius corpus patet*, vel *qui patet corpore*, adeoque *nudus*, et γυμνητευειν *nudum*, ac synecd. *male vestitum*, s. *vestitu idoneo destitutum esse*. Plura vid. ad Iac. 2, 15. Κολαφιζειν. Vt a ραβδος ραβδιζειν *baculo caedere*, a ροπαλος ροπαλιζειν *clava percutere*, sic a κολαφος, *compressa in pugnum manus*, (ex κεκολαφα praet. act. verbi κολαπτειν, quod et in formas κολασσειν et κολαζειν, indito ipsis *castigandi* significatu, transiit), κολαφιζειν, (Atticis, auctore *Thoma M.*, κονδυλιζειν), h. e. interprete *Theophyl.* ad Matth. 26, 67. το δια χειρων πληττειν συγκαμπτομενων των δακτυλων, *conuoluta manu percutere*, et opponitur τῳ ραπιζειν, quod *Suid.* reddidit per παταξαι την γναθον ἁπλῇ τῃ χειρι, *faciem plana palma contundere*, vnde parum adcurate *Hes.* κολαφιζομενος· ῥαπιζομενος. Vtrumque metaph., vt et h. l., adhibetur pro *ignominiose tractare* omnino. cf. infra 11, 20. 2 Cor. 12, 7. 1 Pet. 2, 20. Αστατουμεν, (hebr. נדנו,) i. e. αοικοι εσμεν και ανεστιοι· ελαυνομεθα φυγαδες, εξεδροι χθονος; *incertis sedibus vagamur*, *totum terrarum orbem tanquam nebulones oberrare cogimur*, sc. *vi illata sedibus nostris*, *hic illic fixis*, *eiecti*, (vid. Act. app.) nam de voluntaria αστασιᾳ vix, tanquam de vitae incommodo, conqueri potuisset. *Phauorin.* αστατουμεν· τουτεστι διωκομεθα. αποστολικη ἡ λεξις· ὡς το κολαφιζομεθα και αστατουμεν.

12. Και — χερσι male diuulsa sunt a v. 11. siquidem ad ατιμιαν app. describendam pertinent. Κοπιωμεν de quouis *labore molesto* adhiberi solitum, (*Phavorin.* κοπιῶ· μοχθῶ, ἱδρῶ.) additis εργ. τ. ιδ. χ. statim reuocatur ad *operam mercenariam*, eamque manuariam, qua victus comparandi causa fungimur, de qua εργαζεσθαι (vt hebr. עשה et פעל), adhiberi solet, spectatque h. n. ad σκηνοποιϊαν, quam Paullus tractabat. Act. 18, 3. 20, 34. 1 Thess. 2, 9. 2 Thess. 3,

πιῶμεν ἐργαζόμενοι ταῖς ἰδίαις χερσί· λοιδορούμε-
νοι, εὐλογοῦμεν· διωκόμενοι ἀνεχόμεθα· βλασ- 13

VARIAE LECTIONES.

13. δυσφημουμενοι pro βλασφημουμενοι A, 17. 46. Patres aliquot, qui tamen ipsi variant. — Pro ὡς περικαθ. hab. ὥσπερει καθαρματα G. 37. Lect. 4. Matth. b. n. χ. ψ. Ed. Maximus (fortassis ex c. 15, 8. huc translat.) ὥσπερ καθαρματα 43. Alius. ὡς περικαθαρμα. D a pr. m.

8. Eph. 4, 28. *Nos adeo lucrum non venamur, vt potius durum laborem perferre, et manibus nostris victum quaerere haud recusemus.*

Iam, quomodo, in summa licet ατιμια sustinenda, sese gerant, bene memores praecepti I. C. Matth. 5, 44. auctor noster paucis subiungit. Λοιδορ. διωκ. βλασφ. (particc. ex hebr. pro verbb. fin. h. n. per εκν resoluenda), et ευλ. ανεχ. παρακ. non anxie inter se distinguenda, sed vti illa ad *omnis generis iniuriam*, siue verbis siue factis apostolis illatam, sic haec ad contrariam *agendi rationem mansuetam, et ab iniuriis retorquendis prorsus alienam* omnino referenda sunt. Λοιδ. *vbi conuiciis ab aliis afficimur*, famam nostram proscindentibus, quasi simus moribus malis ac perditis. cf. Act. 23, 4. coll. v. 5. vbi λοιδορειν per κακως ερειν explicatur. Ευλ. h. n. ουκ αντιλοιδορουμεν 1 Petr. 2, 23. αλλα καλολογουμεν, (*Hes.* ευλογειτω· επαινειτω.) *honeste et honorifice de ipsis loquimur.* Sic et ap. optimos quosque Graeciae scriptores. cf. *Alberti* ad Gloss. N. T. p. 121 seqq. *Vorstii* phil. sacr. p. 204. ed. *Fischer.* et exc. nostrum 1. ad epp. Petrin. Διωκ. ανεχ. iuuandae gradationis causa rectius transponantur cum βλασφ. παρακ., sed haec in sententiis disponendis cura sollicita a stili, quo in epistolis efficiendis vtimur, popularitate et quasi negligentia aliena est. Διωκ. *si omnis generis vexationibus et iniuriis afficimur.* Matth. 5, 10. Gal. 1, 13. 23. alibi. Ανεχ. sc. των διωγμων, proprie: *sustinemus persequutionum onus, nobis impositum,* i. e. *patienter perferimus s. toleramus iniurias nobis illatas.* Matth. 17, 17. 2 Thess. 1, 4. *Hes.* ανεξεται· ὑπομενεῖ, μακροθυμεῖ. cf. etiam *Irmisch* ad *Herod.* 1, 6. 23. p. 227.

13. Et hic versuum distributio admodum perturbata cernitur, siquidem verba βλασφ. παρακ. a v. 12. seiungi non debuerunt. Βλασφημειν, quod opponitur τῳ ευφημειν, proprie

Φημούμενοι, παρακαλοῦμεν· ὡς περικαθάρματα

est *verbis infaustis*, s. *vocibus male ominatis vti*, fuitque voc. proprium ap. Graecos in sacris faciendis. (cf. *Casaubon.* ad *Theophr.* charact. c. 19. et *Schwarz.* comment. ling. gr. p. 254.) Hinc (vt hebr. גִּדֵּף Ps. 44, 17.) *conuiciari, inique de aliquo iudicare*, quasi βλαπτειν την Φημην, i. q. δυσφημειν (vid. var. lect.) et λοιδορειν quod praecedit. Verterim: *si fama et existimatio nostra conuiciis aliorum infringitur.* Act. 18, 6. Rom. 2, 24. 3, 8. 1 Cor. 10, 30. *Semlerus*, aliique βλασφ., repugnante contextu, pro *maledicum esse in Deum*, sumentes vertunt: *si atrocia et Φορτικα conuicia ab iis audimus, qui Deum vindicem in nos aduocant.* Παρακαλ. i. e. *comiter et humanissime persuasum imus, rem aliter se habere*, s. *hortamur, ne famam nostram temere proscindant.* Bene *Theophylact.* πραοτεροις λογοις και μαλακτικοις αμειβομεθα· addens: τουτο γαρ ἡ παρκκλησις, ἡ πραΰνουσα διαλεξις. 2 Cor. 8, 4. cf. *Suic.* thes. eccl. T. I. p. 697. et T. II. p. 581.

Verbis ὡς — αρτι auctor, ne plura addat, singulas calamitates ab app. sustinendas quasi in summam, figurate tamen expressam, redigit. Περικαθαρμα, vel καθαρμα, lat. *purgamentum*, a περικαθαιρω s. καθαιρω, proprie *quisquiliae* vndique verrendo collectae, et de domo eiici solitae. Hinc metaph. ap. Graecos ad omnia transferebatur, quibus abominanda quaedam spurcitia inhaerere credebatur, (vid. *Schwarz* ad *Theophr.* charact. c. 16.) et speciatim ad *hominem, pro patriae expiatione et lustratione deuotum, atque in lustrale sacrificium destinatum*, maxime pestis aut alius morbi grassantis tempore. Schol. ad *Aristoph.* Plut. v. 454. καθαρματα ελεγοντο οἱ επι καθαρσει λοιμου τινος η τινος ἑτερας νοσου θυομενοι τοις θεοις. coll. ad Equit. p. 353. cf. etiam *Meurs.* Gr. fer. sub v. θαργηλια. Iam quia partim quisquilias et sordes auersari solemus omnes, partim quia eiusmodi homines piaculares, qui ad iram Deorum auerruncandam ad aras mactabantur, seu comburebantur, aut homines viles, qui se vendiderant, et publice alebantur, aut malefici, aut captiui erant; περικαθ. etiam significat *homines nequissimos, et vilissimae sortis*, quos Graeci alias Φευκτους, (vid. Scholion cod. Al. ap. *Matth.*

τοῦ κόσμου ἐγενήθημεν, πάντων περίψημα ἕως

ad h. l.) et Latini *sentinam* (*propudium*, quod voc. saepe ap. *Plautum* occurrit. e. g. Curc. 1. 3. 34.) vocant. cf. *Phauorin.* qui καθάρματα, inquit, τους ρυπαρους και αποβλητους φαμεν. *Ios.* b. i. 4, 4. 3. qui, annotante *Krebsio*, αθυρματα et καθαρματα vt synn. iungit. *Diog. Laërt.* 6. s. 32. extr. *Arrian.* diss. Epictet. 3, 22. p. 318. *Curt.* 10, 2. s. 7. Plura dabunt praeter *Wetst.*, *Loesnerus*, *Elsnerus*, praecipue *Bosius* in obss. ad h. l. et *Olearius* diss. quae inscripta est: καθαρματα *gentilium.* Lips. 1707. Eandem significationis varietatem etiam habet περιψημα a περιψαω, (s. περιψηγμα), quod proprie generatim omne *abrasum*, et speciatim *sordes detergendo et frictione detractas*. s. *quisquilias* denotat. *Hes.* περιψημα· περικαταμαγμα. το ὑπο τα ιχνη παντων sc. πατουμενον. *Phavor.* το απορριπτομενον σκυβαλον ὡς περιττον. Hinc *piaculum quodуis*, (*Hes.* περιψημα· αντιλυτρον, αντιψυχον.) praecipue, vt περικαθαρμα, *homo piacularis*, qualem supra descripsimus, ab Athenienсibus potissimum vel mactari, vel in mare praecipitari solitus, additis, *Suida* auctore, verbis his: περιψημα ἡμων γενου, ητοι σωτηρια και απολυτρωσις. Cf. *Iul. Caes.* de b. g. 6, 16. *Liv.* 7, 6. *Lactant.* opp. 1, 21. Ex vtraque, tam propria quam metaph. huius voc. vi, denique prodiit *hominis abiecti* significatio. Plura de h. v. habent *Schlaegerus* diss. *de Atheniensibus ciuitatem suam sanguine humano lustrantibus.* Helmstad. 1739. et L. *Bosius* in exercitt. ad N. T. p. 131. Et Paullum h. l. περικαθ. et περιψ. pro *hominibus vilissimae sortis* sumsisse, nexus clamat; at vero non tam propriae quisquiliarum, quam metaph. piaculi significationis ratione habita; cf. Rom. 9, 3. vbi sensu fere eodem dicit, vel αναθημα se futurum, si aliis Iudaeis sic prodesse possit. *Lutherus* vtramque significationem voce *Fegopfer*, qua vtitur, iunxit. Ex hodierni sermonis consuetudine dicimus: *Abschaum*, *Auswurf*, *Schandfleck der menschlichen Gesellschaft.* Κοσμος ex seqq. i. q. παντες sc. ανθρωποι. Εγεν. pro ἡγουμεθα. Iam si in vocc. περικαθ. et περιψ. ad *piaculi* significationem respexeris, κοσμου et παντ. sibi volunt: *contemnimur vt homines, qui ad iram Deorum ab omnibus hominibus auertendam sacrificio offeruntur*; sin

14 ἄρτι. Οὐκ ἐντρέπων ὑμᾶς γράφω ταῦτα, ἀλλ'

VARIAE LECTIONES.

14. νουθετων pro νουθετω AC vt videtur. 10. 31. al. 3. Matth. ξ. Theophyl.

vero in metaph. *hominum abiectorum* significatione substiteris, sensus est: *contemnimur vt* omnium hominum *vilissimi*, quales nimirum erant, qui placandorum Deorum causa mactabantur.

14. 15. Hactenus de doctoribus loquutus, nunc verba ad christianos Corr. vertit, quos hortatur, ne ad pudorem ipsis incutiendum haec scripta esse arbitrentur, quae nonnisi ad eos emendandos, et in rectum tramitem reducendos spectent; siquidem non possit quin Corr., quos primus ad rel. chr. adduxerit, paterno amore complectatur. Ουκ εντρεπων, pro: ουχ ὡς θελων εντρεπειν ὑμ. Verb. εντρεπειν vero, quod proprie sibi vult *auertere*, metaph. valet *pudorem iniicere*, s. *facere vt prae pudore aliquis faciem auertat*, nimirum ab iis, quorum aspectum non sustinet. 2 Thess. 3, 14. Tit. 2, 8. cf. *Aelian.* v. h. 3, 17. vbi *Periz.* Γραφω, pro εγραφον. Ταυτα, proxime ad v. 8-13. spectare videtur. Τεκνα αγαπ. vt hebr. בן est vocab. amoris et beneuolentiae, *discipulis* tribui solitum, nam ap. Iudaeos doctores haud raro cum parentibus comparantur. vid. v. 15. Νουθετῶ, (pro quo et exstat νουθετων, quod tum, vt εντρεπων, a voc. γραφω pendet), quasi ευθετω, επανορθοω, s. ορθως τιθημι τον νουν ατακτου 1 Thess. 5, 14. est: *quouis modo siue docendo, siue cohortando, siue castigando aliquem ad meliorem mentem reuocare*, s. *corrigere*, et praecipue est patrum erga liberos. Eph. 6, 4. *Phavorin.* νουθετῶ· το παραινῶ, δοτικῇ, και ὑφηγουμαι, εισηγουμαι, συμβουλευω, ὑποτιθεμαι. cf. etiam *Reiskii* ind. graec. Demosth. p. 525. Hinc iunguntur νουθετειν και διδασκειν Col. 3, 16., νουθετειν και εγκαλειν ap. *Plutarch.*, νουθ. et ελεγχειν ap. *eundem*, nec non νουθ. μαστιξιν ap. *Ios.* ant. 8, 3. et Alexandr. hebr. יסר et הבין per νουθετειν reddunt Iob. 4, 3. 37, 14. Pertinet huc locus *Themist.* orat. 22. p. 277. παμπολυ γαρ διαφερει νουθεσια μεν λοιδοριας, επιπληξις δε ονειδους. Sensus est: *non tam ad vos pudore suffundendos, quam potius in rectum tra-*

ὡς τέκνα μου ἀγαπητὰ νουθετῶ. Ἐὰν γὰρ μυ- 15
ρίους παιδαγωγοὺς ἔχητε ἐν Χριστῷ, ἀλλ᾽ οὐ πολ-

mitem reducendos haec de doctorum vestrorum arrogantia scripsi, nimirum vt me potius, quam istos, monitorem et ducem patiamini.

15. Μυρίος et μυρίοι, paroxytonon, *innumerus*, *innumeri* omnino, (*Eurip.* Alcest. v. 544.) μύριοι vero, proparoxytonon, *decies mille*, vel *decem millia*. Matth. 18, 24. quae etiam Alex. עשרת אלפים Esth. 3, 9. רבו et רבבה Dan. 7, 10. Iud. 20, 10. per μύριους reddiderunt. *Suid.* μυρία· πολλα και αναριθμητα — μύρια δε ο αριθμος. Hinc, vt μυρίος, et lat. *sexcenti*, pro *quamplurimis* s. *innumeris* adhibetur. *Tzetzes* ad *Hesiod.* εργ. v. 252. μύριοι δε οἱ πολλοι, εκ του μύρω, το πλημμύρω. Plura dabunt *Kypke* ad h. l. et *Alberti* ad 1 Cor. 14, 19. Neque tamen hoc inter μυρίοι et μύριοι discrimen semper adcurate seruatur. Sensus vero h. n. vtrinque idem cum μυρ., vbiuis accentu ornetur, i. sit q. πολλοι proxime sequens. Παιδαγωγος, ab αγειν, quod non solum est *ducere*, sed etiam, (metaphora a via, cum qua vita humana, et a viae duce, cum quo doctores comparari solent), *instituere* 1 Macc. 6, 15. *Aelian.* v. h. 14, 20. significat *moribus puerorum praefectum*, (*Führer eines Jünglings*), qui, apud Graecos et Romanos, vel e liberis, vel e seruis honestioribus electus, puerorum ingenuorum vitam atque mores ad recti honestique normam conformabat, ac eosdem vbique comitabatur, (vnde *custos* dictus a *Corn. Nep.* 10, 4. 6. et a διδασκαλοις distinguitur a *Plutarch.* de puer. educ. 10, 9.) vsque dum ex ephebis excesserant. cf. *Cic.* ad Attic. epp. 8, 4. *Terent.* Andr. 1, 1. 27. *Plaut.* Bacchid. 3, 3. 18. *Diog. Laërt.* 6. sect. 30. seqq. *Xenoph.* de rep. Lac. c. 2. §. 1. et c. 3. §. 2. *Aelian.* v. h. 3, 21. ibique *Periz.* Iam vero quia eiusmodi παιδαγωγοι multo in puerorum moribus formandis rigore vti solebant, transiit hinc voc. hoc ad quemlibet *magistrum rigidiorem et seueriorem* Gal. 3, 24. 25., et quidem h. n. *christianum* (εν Χρ.), spectatque ad doctores Corr. Qui tamen cum et ipsi τοις πατρασι, qui *priorem* paruulorum curam et institutionem in se recipere solebant, opponantur, et do-

λοὺς πατέρας· ἐν γὰρ Χριστῷ Ἰησοῦ διὰ τοῦ εὐαγ-

ctoris *secundarii* notio hic in voc. παιδαγ. latere videtur. Εν Χρ. pro εν τῃ διδαχῃ του Χρ. s. εν τῳ ευαγγελιῳ (vid. quae sequ.) iung. cum παιδαγ. vt sint: *doctores rel. chr.* Αλλα et αλλα γε, post εαν, ει, ει μη, haud raro occurrit pro *saltem, ad minimum, attamen,* cuius formulae sic adhibitae *Kypkius* ad l. n. ex *Ios.* ant. l. 6. c. 14. de b. i. l. 4. c. 16. *Dionys. Hal.* ant. l. 10. p. 655. aliunde, *Loesnerus* vero ad Ioh. 3, 33. e *Philone* exempla collegerunt. Cf. praeterea *Devar.* de partic. 1. 4. 1. et *Blackwall.* Tom. II. Class. sacr. p. 54. Sic et αλλα infra 8, 6. 9, 2. 2 ep. 13, 4. occurrit, ac interdum respondet particulis hebr. כי אם Num. 24, 22. et אבל Dan. 10, 21. 2 Paral. 32, 17. Πατερες, vt hebr. אבות, est nomen honorificum, a Iudaeis olim prophetis et magistris tribui 2 Reg. 2, 12. 6, 1. 21. Matth. 23, 9. alibi, indeque ad *doctores chr.*, vt h. l., transferri solitum, substrata sententia hac: doctores non minus ingenium, pectus et sensus discipulorum acuere, subigere et formare solere, quam patres liberos educare, nutrire et bonis sensibus imbuere teneantur. cf. *Schoettg.* hor. hebr. et talm. T. I. p. 745. et Bibl. Br. class. 4. p. 92. Neque Graecis et Romanis patris nomen hoc sensu inauditum. cf. *Philostrat.* l. 2. p. 93. *Hor.* sat. l. 1. sat. 3. v. 126. cf. *Palairet* ad Matth. l. c. Hoc nexu vero πατερες, partim, cum τοις παιδαγ. opponatur, doctorum *mansuetorum*, qui parentum more blandis verbis alios hortantur, 2 Cor. 6, 18. 2 Sam. 7, 14. coll. Hebr. 1, 5. partim, cum per εγ. υμ. εγ. copiosius explicetur, doctorum, qui *ecclesiarum auctores et fundatores* habendi sunt, notionem inuoluit. (vid. ad voc. παιδαγ.) Quo quidem *auctoris* alicuius rei sensu, *patris* voc. scriptoribus tam sacris, Iob. 38, 28. Gen. 4, 19. Ies. 9, 6. Ioh. 8, 44. Hebr. 12, 9. Iac. 1, 17. quam profanis, v. c. *Plat.* Menexen. c. 10. *Plutarch.* de aud. poët. c. 2. (vbi videndus *Krebsius* p. 130.) *Cic.* pr. red. ad Quirit. c. 5. *Hor.* od. 1, 10. 6. satis tritum est. cf. *Schwarz.* comment. ling. gr. N. T. p. 1060. Εν Χρ. I. statim addito δια του ευαγγ. explicatur: *quatenus rel. chr. rudimenta vobis tradidi.* (de vocc. ευαγγ. vid. ad 1 Petr. 1, 12.) Εγω, *nec vllus alius doctorum vestrorum.* Υμ. εγεν., ex

γελίου ἐγὼ ὑμᾶς ἐγέννησα. Παρακαλῶ οὖν ὑμᾶς, 16
μιμηταί μου γίνεσθε. Διὰ τοῦτο ἔπεμψα ὑμῖν 17

VARIAE LECTIONES.

16. Post γινεσθε add. καθως εγω (καγω) Χριστου. 10, 31. 73. Matth. h. Arm. Slav. ed. (non ms.) Vulg. ed. Chrys. (etiam in Matth. 2. 7.) Ambr. alicubi. Pel. Beda. Non habent Ambrst. Sedul. (Verba fortassis ex 1 Cor. 11, 1. huc arcesssita, ne P. *suo* exemplo, per se spectato, nimium tribuere videretur).

proxime praecedd. pro πατηρ ὑμων ειμι, *vitam spiritualem vobis dedi*, i. e. *vos primus institui, et ad meliorem mentem adduxi*. cf. Philem. v. 10. Eadem metaph. vlterius producitur Gal. 4, 19. Similiter *Sanhedrin.* fol. 19. 2. *Dixit R. Samuel f. Nachmanis, dixisse R. Ionathanem: quicunque filium socii sui docet legem, ad eum scriptura refert tanquam si eum genuisset S. D. Num* 3, 12. Sensus totius commatis igitur huc redit: *nolite dicere, vobis, praeter me, plures esse doctores, qui vos moneant: nam si quamplurimos habeatis doctores, minime tamen tot sunt patres, quot sunt doctores. Magistri vestri potius nonnisi paedagogi sunt, quippe qui institutionem a me, tanquam patre, iam inchoatam, vlterius tantum prosequantur, et, pro arrogantia sua, iusto rigidiores sese erga vos gerant; ego vero dignus sum, quem tanquam patrem vestrum veneremini, tum quia mihi, vt paruuli parenti, primam institutionem acceptam refertis, tum quia, pro humanitate mea, parentum beneuolorum more vos semper tractaui.*

16. 17. Quae hisce vv. continetur peroratio, vti cum toto, de schismatibus, e doctorum Corr. arrogantia oriundis, argumento, hucusque pertractato, sic praecipue, si quid iudico, cum fin. v. 15. cohaeret, vbi Ap. Corinthios sibi *primam* in rel. chr. institutionem debere contenderat; vnde iam nunc iure quodam suo colligit: eos primitiuam institutionis *suae* puritatem, quam Timotheus ipsis in memoriam reuocaturus sit, retinere, neque eam cum adulterata inflatorum doctorum, qui se ingesserint, disciplina commutare debere. Παρακαλω ουν, sc. paterno illo iure meo vsus. vid. v. 15. Μιμηται, h. n. i. esse videtur q. ζηλωται, vel μαθηται. cf. 1 Petr. 3, 13. vbi pro μιμηται in aliis codd.

Τιμόθεον, ὅς ἐστι τέκνον μου ἀγαπητὸν καὶ πιστὸν

legitur ζηλωται, et *Herodian.* 6, 8. 6. qui tria haec. vocc. eodem tenore iungit: ὡς μη μαθητας ειναι μονον, αλλα και ζηλωτας και μιμητας της εκεινου ανδρειας. Nam Paullus ex nexu non tam in eo est, vt peculiarem quandam virtutem iis ad imitandum proponat, quam potius, vt eos in rectum doctrinae suae tramitem reducat. cf. v. 17. Maluisse tamen videtur dicere μιμηται, quam μαθηται, vt, doctrinam suam non solum ore profitendam, sed etiam ad emendandam viuendi rationem conuertendam esse, indicaret. Alii vero μιμ. ad imitandum *modestiae* Paullinae exemplum reuocant; repugnante tamen nexu cum v. 17. Μου, emphasin requirit. *Asseclae doctrinae* meae, *non aliorum doctorum* γινεσθε, *agite vt posthac sitis, nondum enim estis.*

17. Δια τουτο iungi potest *vel* cum v. 16. sensu hoc: *propterea* sc. *vt euadatis* μιμητ. μου, *Timoth. ad vos misi;* tunc ὅς ὑμας etc. per se sumenda, pro: οὗτος ὑμ. etc. *vel* cum hoc ipso ὅς, vt sit ἱνα αυτος αναμ. ὑμ. vel αναμνησαι ὑμας, s. plene εις το αναμνησαι ὑμ. Τιμοθεος, vel Lystrensis, vel Derbaeus, patre gentili, matre Iudaea natus, Paulli discipulus ac perpetuus fere comes, et tradendae rel. chr. collega, Act. 16, 1. coll. 20, 4. Τεκνον, *discipulus*, (vid. ad πατηρ et γεννυαω v. 15.) praecipue si verba εν Κυριω, i. e. εν τη διδαχη του Κυριου, huc traxeris, vt i. sit q. τεκνον εν πιστει 1 Tim. 1, 2. Πιστος, siue, verbis εν Κυρ. ad τεκνον relatis, per se sumseris, siue, quod praetulerim, πιστ. εν Κυρ. inuicem iunxeris, *germanum filium* s. *discipulum* significat, *qui suam rel. chr. notitiam ad institutionis meae normam conformauit, conformatamque retinuit*, quod 1 Tim. l. c. et Tit. 1, 4. per γνησιος exprimitur; (mein *ächter* Schüler). Eiusmodi vero discipulo opus erat, ad doctrinam *vere Paullinam* Corinthiis in memoriam reuocandam. Alii per *collegam fidelem in adiuuanda causa chr.* reddunt; quae tamen *collegae* notio, vocabulo αδελφος quidem propria, non item in voce τεκνον latet, quae potius ex vsu loquendi ad *discipuli* significationem restringenda est. Ὅς, vid. ad δια τουτο. Αναμνησει, יזכיר, non docebit, quasi primum audituros, sed *quae iam olim a me audiuistis*, s. *edocti estis, in memoriam reuocabit.* Ὁδους μου εν Χρ. s. κατα τον Χρ. vel κατα την διδαχην του Χρ. suppl. ουσας, i. e. vel *rel.*

ἐν Κυρίῳ, ὃς ὑμᾶς ἀναμνήσει τὰς ὁδούς μου τὰς
ἐν Χριστῷ, καθὼς πανταχοῦ ἐν πάσῃ ἐκκλησίᾳ
διδάσκω. Ὡς μὴ ἐρχομένου δέ μου πρὸς ὑμᾶς, 18

praecepta ad doctrinae Christi exemplum accommodata, (quo *praeceptorum* et *doctrinarum* sensu hebr. דרכים et ap. Alex. τας οδους habes Ps. 24, 4. Iob. 23, 11. alibi. cf. etiam Ps. 119, 150. vbi מצוה per ὁδοι redditur, et Sirac. 2, 19. vbi ὁδοι et ρηματα permutantur, vid. *Georgii* vindic. N. T. l. 2. c. 1. §. 29. et *Steph. le Moyne* obss. ad var. sacr. p. 922, 10.) vel *methodus, quam in rel. chr. docenda hucusque sequutus sum, et adhuc sequor*, q. αγωγη 2 Tim. 3, 10. Praefero posterius, nam si ὁδοι Ap. de ipsis doctrinis intellexisset, sine dubio non tam καθως quam ὡς scripsisset; sensus vero vtrinque prorsus idem. Καθως — διδασκω ad formulam ὁδ. εν Χρ., verba vero εν πασ. εκκλ. ad vocem πανταχου explicandam addita sunt. Iam vero, prouti ὁδ. pro ipsis doctrinis, s. pro docendi methodo sumseris, et horum verbb. sensum constituendum esse, vix est quod moneamus. Ceterum Ap., missa metaphora a via repetita, διδασκω dicit, pro περιπατω. *Semlerus* vero τας ὁδους, dubitans, quin hoc voc. in plurali de vniuersa rel. doctrina adhibeatur, (vid. supra) ad ipsa huius ep. praecepta refert sic: *licet et haec epistola sit breuior* (?) *Timotheus tamen ex ordine et copiosius omnia in memoriam vobis reuocabit, atque exponet, de coniugiis, idolothytis etc., de quibus, cum apud vos essem, nondum clarissime constitueram.* Sed, ad hunc sensum exprimendum, Ap. non αναμνησει, sed εκδιηγησεται scripturum fuisse arbitrer, vt taceam, sententiarum nexum hac explicatione aliquantum turbari.

18–21. Apostolo, iter, quod se iubente Timotheus Corinthum fecerit, commemoranti, in mentem venit, doctores Corr., quod ex Chloes domesticis compertum habuisse videtur, propterea adeo superbe sese gerere, quia Paullum, (hactenus visendis aliis ecclesiis impeditum, quo minus Corinthum veniret), nunquam eo rediturum esse arbitrabantur. Quibus ille: omnino se mox illuc venturum, ac examinaturum esse, non, quanam doctores illi polleant dicendi facultate, sed quae ad virtutis studium Corinth. promouendum effecerint, quippe qua re sola spirituale Dei regnum adiuuetur; quare iam nunc ab ipso-

19 ἐφυσιώθησάν τινες. Ἐλεύσομαι δὲ ταχέως πρὸς ὑμᾶς, ἐὰν ὁ Κύριος θελήσῃ, καὶ γνώσομαι οὐ τὸν

rum agendi ratione pendeat, vtrum se ipsis resipiscentibus mansuetum, an in arrogantia sua perseuerantibus seuerum posthac iudicem exhibiturus sit. Ceterum, doctoresne Corr. absentiam Paulli timori eius dederint, rati, eum non audere ipsum, ad visendam ecclesiam Cor., venire, et praemittere quasi, qui antea animos experiretur, (quod, sunt, qui ex 2 Cor. 10, 9. seqq. huc transferant), ex l. *nostri* contextu effici nequit. Ερχομ. pro ελευσομενου. Εφυσ. τινες sc. των διδασκαλων ὑμων, *nonnulli doctorum vestrorum, maioris cuiusdam sapientiae opinione inflati, insolentius sese gesserunt, omnemque, de rebus ad ecclesiam pertinentibus, statuendi auctoritatem sibi arrogarunt.* vid. ad v. 6. Mirum est, *Tertullianum* et *Theodoretum* haec ad improbum istum hominem trahere c. 5, 1. seqq. Hoc sane non erat *inflari*, nec τινες scripsisset Ap., si hunc petierit.

19. Ελευσ. ταχ. pro ευθεως, vel απροσδοκητως *mox*, vel *inopinate veniam.* Εαν ὁ Κυρ. θελ. אם ירצה השם, *vbi Deo ita visum fuerit.* vid. ad Iac. 4, 15. Ita quidem sperabat Ap., sed diutius differre hoc iter coactus est, ita vt alteram epistolam ex aliquo interuallo scriberet, priusquam eo rediret. 2 Cor. 1, 23. Solent autem sic computare, Paullum post elapsum annum demum Corinthum rediisse. Γινωσκειν h. n. est *inquirere, inuestigare*, quo sensu κατ' ἐξοχ. de *iudicibus* vsurpatur, qui *in reum inquirunt, et statum causae inquirendo cognoscunt.* Ioh. 7, 51. Act. 17, 29. alibi. Τον λογον sc. αυτων, vel ad *sermonem quotidianum* magniloquorum doctorum omnino spectat, vt sensus sit: *in diiudicandis ipsorum meritis, non eorum rationem habebo, quae profitentur, siquidem multa iactare possint, ne minimum quidem praestantes;* vel λογος vt supra 2, 1. est *facundia, dicendi peritia*, qua doctores Corinthiorum superbientes, Paullo sese praeferebant, sensu prodeunte hoc: *non inquiram, illine me sint disertiores*, suppl. *hoc enim ipsis facile concedo.* Praefero posterius, quia arctius cohaeret cum argumento supra 1, 17. — 3, 23. copiose tractato. Δυναμις, hic absolute pro eo sumi solet, quod vi quadam *efficitur, praestatur, producitur*, sensu hoc: *explorabo potius, quid tandem salubre effecerint*

λόγον τῶν πεφυσιωμένων, ἀλλὰ τὴν δύναμιν. Οὐ 20

apud vos, quinam, ipsorum ope, fructus apud vos interea succreuerint, ita vt *facta* opponantur *verbis*. Quo tamen sensu, cum εργον quidem, non item vero δυναμ. absolute positum, me vsquam legere meminerim; suppleuerim equidem δυναμ. του λογου, quod sensum fundit simillimum hunc: *inquiram equidem, non quaenam facundiae ipsorum, per se spectatae, praestantia sit, sed quamnam vim habuerit et efficaciam, ad auditorum animos veri cognitione imbuendos, commouendos, emendandos.* vid. ad 1, 18. et 2, 4. cf. praeterea Rom. 1, 16. 1 Thess. 1, 5. 2 Tim. 3, 5. Hebr. 6, 5. Sic etiam ap. *Isocrat.* Evag. c. 3. δυναμις de vi poëseos legitur, et ap. *Cic.* et *Quinctil.* haud raro formulae: *potentia orationis*, et *potenter dicere*, occurrunt.

20. Βασιλεια τ. Θεου, s. βασ. τ. ουρανων, i. e. του Θεου, του εν τοις ουρανοις sc. ενοικουντος, (siquidem sedes Dei coelestis saepius pro ipso Deo ponitur), s. βασ. τ. Χριστου, Iudaeis, communi oraculorum V. T. interpretationi fidem habentibus, valebat regnum Messiae terrestre (vid. ad 1, 8.), quo instaurando Deum promissa olim patribus, praecipue Abrahamo, facta persoluturum, ac cui, redeunte tum pristinae theocratiae splendore, Deum ipsum praefuturum, vices vero suas Messiae demandaturum esse perhibebant. Cuius quidem regni, quod sibi ipsi opinionis errore finxerunt, somniis, tum institutione Christi (e. c. Ioh. 18, 36.), tum morte eius, quam neque Messiam, neque subditos vnquam passuros esse Iudaei, regni Messiani imaginem coloribus, ab aeuo aureo, mortis malo haud obnoxio, mutuatis expingere soliti, persuasum habebant, (vnde et ζωη αιωνιος vocatur), tum euentu exspectationibus non respondente, tum benefica religionis chr. luce in dies ipsis laetius oborta, magis minusue dissipatis, apostoli imperium morale, siue diuinae intelligentiae piaeque virtutis, quod Iesus, tanquam Messias, doctrina sua in animos hominum exercere cupiat, indeque modo hanc ipsam *doctrinam chr.*, vt l. n., modo *summam felicitatem* inde ad veros eius sectatores, in vita potissimum post mortem futura, redundantem, 1 Cor. 6, 9. 10. 15, 50. modo *singularem Christi tutelam*, in quam sectatores

γὰρ ἐν λόγῳ ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ, ἀλλ' ἐν

suos recepturus sit 1 Cor. 15, 24., sub regno Messiae intelligere sensim aegreque didicerunt. Haec nostrae potissimum epistolae ratione habita semel strictimque obseruasse iuuabit. Alia his vicina vid. ad 1, 8. Λογος vero et δυναμις eodem sensu retinenda sunt, quo v. 19. leguntur, ita vt suppleto in fine comm. εστι s. κατεχεται, s. κατεργαζεται, sensus prodeat hic: *ad religionem, omnemque omnino rem chr. promouendam non requiritur insignis dicendi facultas per se spectata, sed institutio, siue comta sit atque nitens siue non, dummodo vim suam ad animos corrigendos, excolendos et ad mentem diuinam conformandos exserat saluberrimam.* Prope ad hanc, *Semleri* accedit interpretatio, qui λογον simul ad auditores ex doctoribus proficientes, δυναμιν vero ad vim animi emendandi religioni chr. propriam et a doctoribus in auditores magis magisque deriuandam referens, sensum constituit sic: *haec emendatio non spectatur insigni dicendi peritia, vt maximi sint inter vos oratores, eleganter et copiose de Christo eiusque regno loquentes, sed rerum chr. noua vi atque insita, quae mentem hominum salubriter corrigit.* Cuius interpretationis adiuuandae caussa, locum Rom. 1, 16. appono, vbi Paullus το ευαγγελιον dicit δυναμιν του Θεου ειναι (s. παρεχειν) εις σωτηριαν. Praeterea sunt, qui βασιλ. τ. Θ. vel pro *beneficiis per Christum nobis partis*, vel pro *coetu Christianorum*, et λογον pro sermonibus doctorum omnino sumant sensu hoc: *ad consequenda beneficia per Christum nobis parta*, vel, *ad coetum Christianorum erudiendum, non tam sermone quam factis opus est.* Prior formulae βασ. τ. Θ. significatio satis certa illa quidem, parum tamen contextui congrua, altera vero ne vsu quidem loquendi satis firmata videtur. Graecorum denique et Latinorum plerorumque huius l. explicatio, qua, voc. δυναμ. ad *miracula* relato, Paullus hic *ad religionis chr. veritatem firmandam miracula requirere* putatur, vix digna est, quae commemoretur, siquidem neque cum vsu loquendi, ex quo vox δυναμ. numero tantum plur. de miraculis vsurpatur, neque cum orationis contextu, et cum sententia Christi, qui, την βασιλ. του Θεου εντος ἡμων ειναι ratus, vituperabat eos, qui πολλας

δυνάμει. Τί θέλετε; ἐν ῥάβδῳ ἔλθω πρὸς 21
ὑμᾶς, ἢ ἐν ἀγάπῃ, πνεύματί τε πρᾳότητος;
Ὅλως ἀκούεται ἐν ὑμῖν πορνεία, καὶ τοιαύτη Cap. V,1

δυναμεις ostentabant, Matth. 7, 22. conciliari potest.

21. Τι (s. ποτερον) θελετε, *delectum vobis relinquo*, s. *optio vestra est, vtrum etc.* i. e. *a vobis, vestraque agendi ratione, prouti eam continuo correxeritis, necne, pendet, vtrum etc.* Εν ραβδῳ ex hebr. ב praef. *cum virga.* Ραβδος, hic valet *poena, obiurgatio, increpatio*, Ies. 10, 24. Iob. 21, 9. Ps. 88, 32. metaphora vel a virga, qua pueri, vel a baculo, quo serui castigantur, repetita. cf. Exod. 21, 20. vbi LXX. et *Aeschin. Socr.* dial. 3, 8. Bene igitur *Chrysost.* ad h. l. εν ραβδῳ· εν κολασει, εν τιμωριᾳ, *Theodoret.* εν παιδευτικῃ ενεργειᾳ; et *Alberti* gloss. N. T. ραβδῳ· επιτιμητικῳ λογῳ; *Grotius* vero, ραβδος, *vt μαστιξ Marc. 3, 10. pro πληγῃ sumens, per virgam metaph. potestatem immittendi aut mortem, vt Ananiae et Sapphirae, aut caecitatis, vt Elymae, Act. 5, 5. 10. et 13, 11. male intelligit, cum haec loca explicationem longe aliam et magis naturalem admittant, nec eiusmodi potestatem apostolis vnquam concessam fuisse, statui possit. cf. exc. II. Εν αγαπῃ ex dicendi genere hebr. pro αγαπητως. Πνευμα hic est *sensus animi. Gesinnung.* Rom. 8, 15. Εν πν. πραοτ. pro εν πν. πραῳ, vel ex periphrasi solenni, pro simpl. εν πραοτητι, i. e. πραως, *animo beneuolo atque mansueto.* Respexit Ap. sine dubio quae v. 15. de *paedagogis* atque *patribus* commemorauerat, ita vt ραβδος ad *paedagogi* sceptrum ferulae vibrantis s. βακτηριαν, η σκυτος εν τῃ δεξιᾳ προφεροντος, qualis Theoni Sophistae memoratur, *seueritatem*, αγ. vero et πν. πραοτ. ad *patris caritatem* et *animum mansuetum* spectent. Sensus igitur est: *per vos stat, vtrum, ad vos veniens, paedagogi instar vanam arrogantiam vestram castigem, an pro beneuolo patris affectu vos admoneam.* Ceterum *Pelagio* et *Beza* praeeuntibus, ab huiusce commatis sententia omnino quidem satis commode capitis quinti initium definiri potest; malim tamen hoc comma hic retineri, quia verbum ελθω cum ελευσομαι v. 19. arcte cohaerere videtur.

Cap. V, 1—13. Sequitur huius ep. Sect. II. qua Ap.

πορνεία, ἥτις οὐδὲ ἐν τοῖς ἔθνεσιν, ὥστε γυναῖκά

VARIAE LECTIONES.

1. ονομαζεται post εθνεσιν omitt. A B C D E F G. 6. 46. 67. ex emend. Copt. Aeth. Arm. Vulg. It. Manes ap. Epiph. Tert. Orig. int. Lucif. Ambrst. Aug. Hier. Ambr. Pel. Beda. (Supplementum quidem superfluum, sed satis scite ex Eph. 5, 3. petitum).

grauiter reprehendit Corr., quod hominem quendam libidini et scortationi inauditae palam adhuc deditum, e coetu suo nondum eiecerint v. 1-8., subiuncta seria admonitione, vt ab omni omnino cum hominibus flagitiosis familiaritate prorsus abstineant. v. 9-13. Nexus huius sectionis cum proxime praeced. ex voc. τεφυσιωμενοι c. 4, 19. et 5, 2. repetendus videtur hic: vos *arrogantia* et vana superbia inflati estis 4, 19., vos, quos potius pigeat *arrogantiae* vestrae, cum pessimae notae hominem in familiaritatem vestram receperitis. Quodsi vero caput hoc a v. 21. cap. praeced. inceperis, nexus sic constituendus est: num me, ad vos redeuntem, *seuerum* exoptatis paedagogum? 4, 21. nec sane deest *seueritati* ad vos iustus locus.

1. Praemittitur facinoris hominis eius, quem e coetu Corr. excludi vult, breuis descriptio. Ὅλως, Paullus alibi nusquam, in hac autem ep. praeter h. l. etiam 6, 7. et 15, 29. adhibet. Ex vulgari interpr. haec vox, vocab. πορνεια priori, ad nefandam illam voluptatem, verbis illis ὡστε — εχειν descriptam, relato, verbo ακουεται iuncta pro particula famae certitudinem declarante haberi solet sic: *inter vos omnes rumor est, adeoque non incertus, hominem quendam coetus vestri scortationi deditum esse, et quidem* (και) *eiusmodi scortationi* etc. Sed cum Paullus de hoc facinore, tanquam de re certissima, quam nemo in dubium vocet, in seqq. loquatur, vix erat, quod hanc sententiam praemitteret. Nec multum abest *Wetst.* reddens: *nil aliud auditur*, substrata, ni fallor, sententia hac: *multi stupent ad hoc flagitium, et in illud inuehunt; (die Sache erregt allgemeines Aufsehen und Mißvergnügen)*. At vero in tanta omnium contra hunc hominem indignatione, Corinthios consuetudinem cum eodem intermissuros fuisse, statuendum esset. Equidem voc. πορν. prius ad voluptatem omnino spectare ratus vel cum *Bengelio* ὁλως ora

τινα τοῦ πατρὸς ἔχειν. Καὶ ὑμεῖς πεφυσιωμένοι 2

tioni neganti implicite contradicere crediderim sensu hoc: *nulla omnino* (ὁλως) *debebat in vobis audiri scortatio; at auditur;* (sic et nos: *überhaupt hört man von Unzucht, die unter euch herrschen soll;* suppl. *was gar nicht seyn müſste*); vel ὁλως cogitando ad εν ὑμιν relato, vt positum sit pro εν ὑμιν πασι, reddiderim sic: *inter vos omnes scortationis pestis grassari fertur, inter alia* (και) *eiusmodi quoque scortationis genus, etc.* Similiter *Tertullianus* statuisse videtur, reddens sic: *auditur in vobis in totum fornicatio.* Ακουεται εν ὑμ. πορν. pro ακοη s. Φημη εστιν περι της πορνειας εν ὑμιν ουσης, nam saepius ακουεσθαι valet *rumore palam fieri*, s. *diuulgari.* Matth. 28, 14. Act. 11, 22. alibi. cf. praecipue *Krebsium* ad Matth. 4, 24. Πορνεια prius, ad *venerem quamuis illicitam* retulerim, quam Ap. Corinthiis omnino exprobrare videtur. Και, *inter alia.* Τοιαυτη πορνεια, i. e. *fornicatio adeo foeda et abominanda* (qualis nimirum verbis ὡστε — εχειν describitur,) ἡτις — εθνεσιν sc. εστι s. ακουεται, *vt vel inter ethnicos, licet puriori morum doctrina chr. carentes, inaudita sit, i. e. vix deprehendatur.* Lectio vulgaris, (vid. var. lect.) ex qua post εθνεσι additur ονομαζεται, (i. e. ἡς και το ονομα, s. ἡν και κατ' ονομα τα εθνη αγνοουσι), ab hyperbole ad populare dicendi genus reuocata, sensum fundit prorsus eundem. Ὡστε, *quae scortatio eo procedit insolentiae et foeditatis, vt* etc. Τινα ad singularem istum scortatorem spectat, quem *Theodoretus* et nonnulli alii ex ordine doctorum et ministrorum ecclesiasticorum fuisse putarunt; non prorsus repugnante contextu, quamquam huiusce rei aliud indicium hic non exstet. Γυνη του πατρ. ex hebr. אשת אב Gen. 37, 2. Lev. 18, 8. qui quidem loquendi vsus et apud Arabes obtinet, (vid. *Schulzium* in h. l.), est *nouerca*, quam et exteri scriptores (*Eurip.* Hippolyt. v. 36.) γυν πατρ. vocant, ad eam a matre germana distinguendam. Εχειν, (vt *habere* ap. *Suet.* August. c. 63.) omnino de *consuetudine matrimoniali*, eaque tum licita tum illicita adhibetur, Matth. 14, 4. 22, 28. Marc. 6, 18. Deuter. 28, 30. vbi LXX. *Hes.* εχετο· εγαμειτο. εχεν· εγεγαμηκει. cf. *Valckenar.* ad *Herodot.* 9, 76. p. 726. et *Fesselii* aduerss. sacr. l. 2. c. 20. Quare *Michaelis*

ἐστέ; καὶ οὐχὶ μᾶλλον ἐπενθήσατε; ἵνα ἀρθῇ

VARIAE LECTIONES.

2. ἀρθῇ pro vulg. ἐξαρθῇ tuentur ABCDEFG. 17. 31. 37. 39. 46. 71. 73. 74. 80. Manes ap. Epiph. Vulgare Basil. Chrys.

(Einl. p. 1220.) aliique hunc hominem nouercae *matrimonio* iunctum fuisse statuunt; sed vti voc. πορνεια eiusmodi matrimonio vix congruit, sic Paullum, vt hi homines diuortio seiungerentur, praecepturum fuisse crediderim. Iudaeos quidem (pro more Cynicorum et Stoicorum, qui talia censebant adiaphora), nuptias cum nouerca post transitum a gentilismo ad religionem iud., licitas habuisse, testis est *Maimonides* ex Iebamoth f. 982. *Ducere potest proselytus vxorem fratris sui paterni, vel vxorem patrui, quin et vxorem patris et vxorem filii, etiamsi ducta sit patri, patruo aut fratri, modo ad iudaicam religionem transierint.* At vero si legibus ciuilibus cuiusque populi tenentur Christiani, (Rom. 13.) multo magis iis, quae apud omnes moratos populos receptae sunt, et iis maxime quae cum lege Mosaica consentiunt. vid. Lev. 18, 8. Voc. εχειν igitur, sc. ὥσπερ γυναικα, hic sibi vult: *quasi coniuge vti, rem habere cum aliqua*, quo sensu εχειν ap. *Diog. Laërt.* Aristipp. l. 2. p. 75. ed. Steph. εχω Λαιδα, αλλ' ουκ εχομαι, coll. *Cic.* ad div. 9, 26. et *habere* ap. *Terent.* Andr. 1, 1. 58. vbi *Ruhnken.* Adelph. 3, 3. 35. *Plaut.* Bachid. 4, 10. 6. aliosque occurrit. Reprehenditur itaque h. l. homo, qui, licet Christo iam nomen dedisset, turpem tamen et nefandum cum nouerca concubitum exercebat; vtrum patre adhuc superstite, an iam defuncto, in medio relinquendum est. Tale iam probrum, Ap. dicit, etiam inter gentes vix reperiri. Et vere id quidem. *Cic.* p. Cluentio 5, 6. *Nubit genero socrus, nullis auctoribus, funestis ominibus omnium. O mulieris scelus incredibile, et praeter hanc vnam in omni vita inauditum.* Sic etiam *Plutarch.* narrat, Seleucum, cum vellet Stratonicen, vxorem suam, filio suo Antiocho concedere, veritum, ne ipsa offenderetur τῳ μη νενομισμενῳ, *vt re illicita.* Graecorum enim, annotante *Elsnero*, instituta edicebant το μητε μητρασι συγγενεσθαι, μητε θυγατρι, μητ' αδελφῃ ap. *Iamblich.* de vit.

ἐκ μέσου ὑμῶν ὁ τὸ ἔργον τοῦτο ποιήσας. Ἐγὼ 3

Pythag. c. 13. p. 172. vnde *Iulianus* ap. Cyrill. p. 138. τις γαρ ἑλληνων αδελφη, τις δε θυγατρι, τις δε μητρι φησι δειν μιγνυσθαι; *Lysis* Pythagoreus tale coniugium vocat αθεσμους γαμους et παρα φυσιν ἁδονας, ap. *Iamblich.* l. c. cap. 17. p. 65. et *Virg.* Aen. 10. v. 388. nefariae audaciae opus. (cf. in hanc rem *Cel. Meieri* histor. iuris Attici de bonis damnatorum. p. 63. sqq.). Satis frequentia vero tam scelerati coniugii in omni antiquitate profana extant exempla. Persarum erat solemnis consuetudo: μητρας γαμειν teste *Sexto Emp.* Pyrrhon. Hypolypos. l. 1. c. 14.; Varnis itidem nouercam vxorem ducere licebat, auctore *Procop.* bell. Goth. l. 4. c. 10.; Stratoniam nouercam in matrimonio habebat Antiochus patre permittente, *Plutarch.* Demetr. p. 907.; duos fratres ex nouerca susceperat Philippus Macedo, *Iustin.* l. 8. c. 3.; Caracallae Iulia mater et vxor erat, vid. *Spanh.* diss. 2. de vs. et praest. num. p. 294 et *Maii* obss. l. 1. p. 140. qui plura dabit exempla.

2. Miratur Ap., Corinthios, in summo licet opprobrio, ex familiaritate, cum eiusmodi homine, ad totam ecclesiam redundante, gloriari tamen et superbire. Και, (suppl. ὁμως) h. n. est mirantis et indignantis. vid. *Raphel.* annot. ex Herodot. ad h. l. Ὑμεις, ex nexu cum seqq. ad Corinthios omnino, praecipue vero ad indulgentes societatis Cor. statores spectat. Φυσιουσθαι *animo elato esse.* vid. ad 4, 6. Εστε, pro τολματε ειναι. cf. 6, 1. Πενθ. אבל, vi opp. Φυσ. *animo demisso esse.* Post επενθ. interrogandi signum posuerim. Sensus est: *et vos, licet nefandae huius consuetudinis veniam dederitis,* (fortassis, quo facilius augeretur societas, cf. v. 11. et 6, 9.) *non pudet superbiae vestrae, quos potius in luctu esse deceret?* Placet *Grotius*, verbum πενθειν, praecipue de *luctu funebri* vsurpari solitum, eo referens, quod prisci Christiani, si quos propter mores flagitiosos exterminarent a coetu, lugentium habitum sumentes istos peccatores, veluti sibi mortuos, funebri quoque luctu prosequuti fuerint, teste potissimum *Origene* c. Cels. 3. οὑτοι δε (*Christiani*) ὡς απολωλοτας και τεθνηκοτας τῳ Θεῳ τους ὑπ' ασελγειας ἡ τινος ατοπου γεννημενους ὡς νεκρους πενθουσιν. in qua quidem parte Christiani veteres Pythagoreorum morem imitati esse videntur, quippe qui

μὲν γὰρ ὡς ἀπὼν τῷ σώματι, παρὼν δὲ τῷ

VARIAE LECTIONES.

3. ὡς ante απων omitt. ABCD a pr. m. 17. 37. 39. 67. 80. Matth. f. (Syr. Arr.) Copt. Vulg. Manes ap. Epiph. Hilar. Ambrst. ap. Sabat. Aug. semel. Parcian. *quamquam*, Arm. (*Vaterus*: suo loco hic positum non esse videri poterat, ideoque deleri, sed et adiici ex seqq. ὡς παρων).

iis, qui propter animo nimis inusta vitia a ceterorum familiaritate segregarentur, vt mortuis sibi cenotaphium erigebant, μνημα αυτοις, ὡς νεκροις, εχωννυτο, vt scribit *Iamblichus* de vit. Pyth. c. 27. Plura ex antiquitate sacra atque profana huc facientia *Grotius* et *Valckenarius* collegerunt.

Iam inde ab ἱνα — v. 5. Ap., intimo animi affectu correptus, hunc hominem coetui Cor. remouendum iniungit, ne ipse eum publica infamia notare coactus sit. Ἱνα etc. (a quibus nouum comma incipere deberet), imperatiue sumendum pro: θελω ἱνα αρθῃ. Sic et nos: *daſs (mir) der Mensch weggeschafft wird*, pro: *iubeo eum remoueri.* Αρθῃ, i. q. εξαρθῃ. (vid. var. lect.) *Hes.* εξαρον· ἀρον, εξαλειψον. Lectu digna de hac voce habet *Bielius* in thes. phil. s. h. v. Εκ μεσου ὑμ. מתוככם, pro εξ. ὑμων, s. εκ της εκκλησιας ὑμ., vt *a coetu vestro chr. excludatur, proscribatur*; quod genus remedii antiquitus ad societatem qualemcunque conseruandam vsitatissimum, (vid. quae *Iustinianus* huius generis testimonia notauit), et ad nascentem Christianorum coetum stabiliendum, seruandum et regendum translatum est, ita vt haec proscriptionis et excommunicationis, quam vocant, origo non a noua Dei institutione, sed potius ex ipso societatis iure, quo et aliae societates vtebantur, et ex apostolorum auctoritate repetenda sit, quippe qui principes essent societatis statores. Εργον, h. n. est *scelus*, et speciatim *incestus*. Similiter εργον ap. *Anton. Liberal.* c. 34. *Eurip.* Phoen. v. 1081. *Xenoph.* Apol. 25. *opus* ap. *Ouid.* Amor. 2. El. 10, v. 35. et דבר Gen. 19, 8. Iudd. 19, 24. Cf. *Hemsterhus.* ad *Aristoph.* Plut. p. 217. et *Wolf.* Cur. T. II. p. 628. In tanta vero flagitii abominanda foeditate Ap. ab ipso *incestus* s. *fornicationis* voc. abstinet. Ποιειν, פעל, pro πραττειν, s. κατεργαζεσθαι v. 3. i. e. *committere, criminis reum se facere*, quo sensu saepius tam absolute, quam addito κακον, vel alio voc., in N. T. adhi-

πνεύματι, ἤδη κέκρικα ὡς παρὼν, τὸν οὕτω
τοῦτο κατεργασάμενον, ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυ- 4

betur. Verterim: *Vos ego! nisi confestim scortatorem illum e coetu vestro excluseritis.* cf. v. 7. Ex vulgari autem interpr. ουχι μαλλ. επενϑ. cum ἱνα αρϑῃ etc. iunguntur in sensum hunc: *cur non potius cum luctu id egistis, vt e coetu vestro excluderetur, qui facinus hoc perpetrauit.* Paulo aliter *Semlerus* sic: *et vos non potius ipsi iam in luctu magno eratis ob tale scandalum, exspectata a me tristi sententia: e medio et loco vestrùm tollendum esse istum hominem, qui hoc tale facinus patrare ausus fuit?* Sed in vtraque interpretatione constructio illa: επενϑ. ἱνα aliqua duritie, si quid sentio, laborare videtur.

3. Ordo verborum sic procedit: εγω γαρ ηδη κεκρικα, τον ουτω τουτο κατεργασ. παραδουναι τῳ Σατανᾳ; reliqua pro sententiis insertis habenda sunt. Γαρ, pro trans. part. haberi solet, mihi vero ad αρϑῃ spectare, et causam, cur homo ille excludi debeat, continere videtur, vt sit *alias*, si eum excludere recusaueritis, κεκρ. *mecum constitui* etc. Ὡς, si sana est lectio, (vid. var. lect.) vel, sensum si respicis, pro καιπερ sumendum, vel, siúc ὡς retinueris necne, post απων suppl. est μεν, vt δε, quod proxime sequitur, habeat, cui opponatur. Απων τῳ σωμ. pro κατα το σωμα, *licet corpore coram vobis in re praesenti non adsim, nihilque a me absente extimescendum esse arbitremini.* Παρων δε τῳ πν. *animo vero et affectu inter vos quasi verser.* Κεκρικα, *propositum mihi est*, continuo in reum animaduertere nolens, priusquam viderit, quid Corinthii, se monente, facturi sint. Ὡς παρων, iungi solet cum κεκρικα: *decreui ea certitudine, quasi praesens vobis omnia scortatoris facinora viderim ipse.* Equidem ὡς παρ. iunctim cum παραδ. sumserim pro: τῃ δυναμει του παροντος, vel τῃ αυτῃ δυναμει, ὡς παρημην ὑμιν, παραδ. *eadem vi, eodemque effectu et successu, absens eum Satanae tradere constitui, ac si praesens adessem.* Ουτω, *re sic se habente*, sc. vt, licet christianus sit, τουτο κατεργ. *tamen hoc peregerit.* Vid. ad εργ. τ. ποιησ. v. 2.

4. Εν — Χρ., fuerunt, teste *Chrysostomo*, qui satis inepte et frigide cum κατεργασ. iungerent sic: *qui tale admisit in nomen I. C.*, i. e. *qui eum tanta contumelia*

ρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, (συναχθέντων ὑμῶν καὶ τοῦ ἐμοῦ πνεύματος), σὺν τῇ δυνάμει τοῦ

affecit. Neque placent, qui ad συναχθ. referunt sic: *vbi ad cultum Christi congregati fueritis;* quo sensu haec verba, si quid sentio, post πνευματος legi deberent. Rectius haec verba, ad παραδ. relata, redduntur: *pro auctoritate et potestate a I. C. mihi concessa, tradam* etc. Sic εν ονοματι ex hebr. בשם saepissime in N. T. Συναχθ. ὑμ. *vbi,* (fortassis post Timothei aduentum), *congregata fuerit ecclesia vestra;* nam, vti in synagogis Iudaeorum, sic etiam in ecclesiis christianis eiusmodi sententias ac poenas promulgatas et inflictas esse, satis constat. Matth. 10, 17. Act. 22, 19 etc. Cf. *Seldenum* de synedrio I, 7. p. 105. et *Vitringam* de synag. vet. p. 774. et in Archi-Synagogo p. 351. Quare non est, quod in eiusmodi locis de conuentu iuridico et ciuili cogitemus. Opus vero erat, in conuentu societatis hoc fieri et prodi, quo magis omnibus innotesceret, quid Paullus statuisset, atque vt alii hoc exemplo facilius reuocarentur a simili vitae instituto. Και τ. εμου πνευμ. i. e. και εμου κατα το πνευμα, *vbi et ego animo vobis adero.* Sic *Liuius* 10, 397. *absentis collegae* consilia *omnibus gerendis intererant rebus.* Συν — Χρ. *Heumannus* haec verba ad συναχθεντων referri vult, prouocans, magis pie quam docte, ad quorumdam *Latinorum* explicationem, qui trium (sic et *Chrysostomus* a *Raphelio* allatus), Christi, Paulli et Corinthiorum congregationem hic viderint. *Rosenmullerus* vero sic iungendum esse statuit, ne, vbi haec verba ad παραδουναι referantur, huiusce commatis principium (εν — Χρ.) et clausula (συν — Χρ.) idem exprimant, sensumque hunc esse putat: *quum congregati fueritis, me ad animum praesente, iuuante Christi virtute;* nisi h. n. verba συν — Χρ. aliquantum languere videantur. Equidem haec verba rectius itidem cum παραδουναι iungi crediderim, ita vt Paullus, pro animi feruore, quo hic correptus cernitur, eandem sententiam, quam verbis εν ονομ. I. X. semel iam expresserat, post interiecta συναχθ. — πν. iterum repetierit; vel, quod praetulerim, pro more suo, formulis obscurioribus a se adhibitis, magis perspicuas subiungendi, (cuius in scriptis eius vbiuis exempla prostant), verba haec addiderit, ad verba illa εν ονομ. I. X., quae facile ad solam I. C.

Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ παραδοῦναι τὸν 5
τοιοῦτον τῷ σατανᾷ εἰς ὄλεθρον τῆς σαρκὸς, ἵνα
τὸ πνεῦμα σωθῇ ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ.
Οὐ καλὸν τὸ καύχημα ὑμῶν· οὐκ οἴδατε, ὅτι 6

VARIAE LECTIONES.

6. ου omitt. nonnulli et maxime latini codices ap. Aug. Codd. gr. ap. Attonem. Lucif. Ambrst. (Omissio fortassis inde oriunda, quod ου, ad nomen Ιησου, alias per literarum compendium scribi solitum, a latino quodam interprete referretur). — δολοι pro ζυμοι D a pr. m. Bas. ed. Hesych. vt videtur. δηλει. Codd. ap. Coteler. φθειρει Latini ap. Cerular. *corrumpit*, Vulg. clar. germ. Iren. Lucif. Aug. Ambrst. Pel. Hier. Gaudent. Sedul. Beda. *desipit*, Tert. sed: (*acore*) *decepit*, alibi. *fermentat*, boern. Hier. (qui se emendasse ipse fatetur). Pacian. Ex his lectionem δολοι probant *Mill. R. Sim. Seml. Valckenar.*, reprobb. longe plurimis. (Omnis haec lect. varietas fortassis inde oriunda, quod adagium illud varie enunciatum (vid. comment.), ac nonnulli voc. ζυμοι magis ad morum *corruptionis* notionem, quam P. in animo habebat, reuocare conarentur).

auctoritatem restringi poterant, etiam ad eiusdem *potestatem*, secum communicatam, extendenda, quo magis Corinthii poenam illam statim inflictum iri, hominemque istum dirae cerimoniae vim sensurum esse, intelligerent.

5. Παραδουναι τ. Σατ. i. e. *Satanae aliquem morbis vexandum permittere*, non vero Satanae *petenti concedere*, ad quas argutias *Hammondus*, a *Clerico* satis refutatus, descendit. Ολεθρος, איד, שׁד, *pernicies*, alias απωλεια, cui iungitur 1 Tim. 5, 9. h. l. *dolor, cruciatus.* Σαρξ, *Grotius*, aliique de *concupiscentia*, et *carnalibus hominis incestuosi affectibus* intelligunt, Rom. 7, 5. 8, 9. vt sensus sit: *quo magis irae diuinae sensu affectus carnales in illo exstinguantur.* Sed ex oppos. πνευμα, quod hic *animum humanum* absque dubio significat, σαρξ ad *corpus* referendum est, sensu hoc: *vt corpus ipsius a diabolo morbis excrucietur.* Ἱνα etc. *vt*, sc. his ipsis morbis ad se, melioremque mentem rediens, *quoad animum* (πνευμα) *seruetur* (σωθῃ), *seu olim salutem nanciscatur*, εν — Ιησου *vbi Christus ad iudicium extremum de hominibus habendum redierit.* vid. ad 1, 8. Plura dabit Exc. II.

7 μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ; Ἐκκαθάρατε

VARIAE LECTIONES.

7. ουν post εκκαθαρατε omitt. ADEFG. 48. ex emend. 62. 89. al. 14. et Barb. 1. Matth. a. (a pr. m.) l. n. Syr. Copt. Arm. Vulg. ed. It. Clem. Bas. Chrys. (etiam in Matth. 2. 7.) Oec. Tert. Cypr. Lucif. Ambrst. Alii. — υπερ ημων omitt. ACDEFG. 17. 46. Copt. Aeth. Arm. Vulg. It. Clem. Or. bis. (semel habet et tribus aliis locis codices ms. differunt). Ath. Cyr. Chrys. alicubi. Marcion ap. Epiph. Tert. Cypr. Ambrst. Hier. Gaudent. Alii. (Quam facile librarius ex ημων priori in ημων posterius aberrare potuit). — ετυθη pro εθυθη hab. ADEFI. 17. 46. 57. (c. al. 7.) 72. 80. Alii. Matth. a. al. 8. Ed. Syr. p. graece in marg. Hesych. Or. Chrys. etiam in Matth. 2. 7. Theodoret. Theoph.

6—8. Ap. tam prouerbio v. 6. quam metaphora a festo paschali, (quo hanc epistolam scribebat, vid. prolegg. p. 44. et quo et ipso Christiani ex Iudaeis azymis vescebantur), repetita, v. 7. 8., vsus, Corinthios cohortari pergit, vt non solum hominem istum incestuosum, sed quosuis alios sceleratos, et quamuis omnino vitiositatem, a societate sua arcere et depellere velint; ita vt haec commata, cum fin. v. 2., vnde, animi feruore correptus, paululum digressus erat, arcte cohaereant. Καυχημα, ex nexu est *gloriatio*, primorum potissimum Corinthiorum, *de eximio*, quem in epistola, cui Paullus hic respondet, iactasse videntur, *rerum suarum prae aliis ecclesiis statu et conditione*. cf. v. 2. Ου καλον, sc. εστι, *non honesta est haec gloriatio*, s. *gloriandi materia*, in tanta nimirum licentia, quam publice locum habere patiebantur. Repudiata vero vocula ου, (vid. var. lect.) verba καλ. τ. καυχ., praeeunte *Augustino*, ac probante *Millio*, pro mordaci atque ironica exprobratione habenda sunt, (*haec est gloriandi honestas, scilicet!*) quam tamen addita negatione in frigidam sententiam transmutari perhibent, siquidem eiusmodi gloria non solum *non bona*, sed etiam *pessima* haberi debeat. Sed ου καλον per μειωσιν, quam vocant, et *pessimum* significare posse, quis nescit? Ουκ οιδατε; transeundi formula, h. n. *latere vos non potest, quod vel in prouerbium abiit.* Ζυμη, חמץ, a verbo deperdito ζυω, *ferueo*, vnde et latine dicitur *fermentum*, contractum ex *feruimentum*, proprie est *massa illa acida, quae farinam, aqua subactam, feruere fa-*

τὴν παλαιὰν ζύμην, ἵνα ἦτε νέον φύραμα, κα-

cit (male *Hes.* per φυραμα reddidit), metaph. autem omne id *quo aliquid corrumpitur*, e. g. doctrina erroribus, boni mores perniciosis exemplis etc., nam fermentatio, praecipue panis paschalis infermentati, de quo paulo post sermo est, ratione habita, tanquam massae subactae *corruptio* spectabatur. Cf. *Plut.* Quaest. Rom. p. 289. E. διατι τῳ ἱερει του Διος ουκ εξην θιγειν ζυμης; ἡ δε ζυμη και γεγονεν εκ φθορας αυτη, και φθειρει το φυραμα μιγνυμενη, και φθειρει το αλευρον. *Neue Schalom.* f. 191. 2. *Rabbini nostri vocant concupiscentiam malam fermentum in massa; quod sicuti paululum fermenti fermentat totam massam magnam et corrumpit; sic corrumpit totum hominem.* Cf. etiam *Phil.* de offerent. T. II. p. 255, 43. ad Lev. 2, 11. Neque tamen cum *Valckenario* inde, quod fermentum farinae massam et *turgidam reddit*, allusionem ad πεφυσιωμενοι εστε v. 2. elicere ausim, quippe quae anquisita iustoque subtilior videri possit. Quod vero additum legitur μικρα ζ. h. n. *vnicum* istum scortatorem respicit, qui facile totum coetum corrumpere potuisset. Φυραμα (a φυραν, *miscere* et *miscendo subigere*), generatim *massa*, cuiuscunque generis sit, Rom. 4, 9. speciatim *farina, aqua subacta ad panificium*, et quidem h. n. tam ex prouerbii natura, quam ex metaphora proxime seq. a pane paschali desumta, *fermento adhuc carens*, spectatque ad *coetum Corinthiorum, hucusque*, vbi ab huius scortatoris exemplo recesseris, *a foedae voluptatis labe immunem.* Cf. de h. v. interpp. ad *Thom. M.* p. 903. et *Casaubonum* ad *Athenaeum* l. 3. c. 29. Ζυμοι, sensu i. q. δολοι *corrumpit* 2 Cor. 4, 2. (vid. var. lect.) Μικρα — ζυμοι vero est loquutio prouerbialis, sensum generalem fundens hunc: *a paruis initiis res magnae crescunt*, i. e. hoc nexu: *vel vnius incestuosi hominis exemplo vniuersa societas, hucusque scortationis labe carens, corrumpi potest.* cf. Gal. 5, 9. vbi senarius hic iambicus redit.

7. Prouerbium illud v. 6. cohortationi metaphoricae a pane paschali, et ipso haud fermentato, petitae ansam praebet. Εκκαθαιρειν est, *purgare aliquid, ita, vt nihil impuri amplius relinquatur*, spectatque ad legem Exod. 12, 19. qua Iudaei per dies paschales omnem panem fermentatum, e domibus suis re-

ϑώς ἐστε ἄζυμοι· καὶ γὰρ τὸ πάσχα ἡμῶν ὑπὲρ

mouere, et tanquam impuri seu profani quid, *expurgare* tenebantur. Hinc metaph. h. n. *remouere omne vitiosum*, q. v. 2. per αιρειν exprimebatur. Post εκκαϑ. supplendum est ουν, cum e textu eliminandum sit. (vid. var. lect.) Παλαια ζυμη, proprie significat *panem istum fermentatum*, quo παλαιως, i. e. *per totum annum vsque ad festum pasch.* vesci soliti erant Iudaei, (nisi παλ., vi oppos. νεον Φυρ., ad augendam της ζυμης, facta cum νεω Φυρ. comparatione, *ignobilitatem et vilitatem* referri malueris); a metaphora autem vbi recesseris, non solum ad *scortatorem* istum, sed propter v. 8. et 10. 11. ad quosuis *homines vitiosos*, et quamuis *vitiositatem*, quam *diu* (παλ.) impune tulerant Corinthii, referendum esse videtur, ita vt Ap. ab arcendi scortatoris, iam nunc ad remouendae cuiusuis vitiositatis cohortationem transire putandus sit. Νεον Φυραμα, *massa farinacea recens*, nullo fermento corrupta, qua, ad recolendam exitus ex Aegypto memoriam, ad panificium durante festo pasch. Iudaei vtebantur; hinc *coetus purus*, in quo scelestus non reperitur. Αζυμος, proprie est *expers fermenti*, (*Hes.* αζυμα· τα ανευ παλαιας ζυμης, ὁ καλειται προζυμη). Hinc οἱ αζυμοι sc. αρτοι, (quod et hic supplendum est, vt respondeat τῳ νεῳ Φυραματι); et τα αζυμα sc. λαγανα, hebr. מַצָּה, κατ' εξοχ. placentas *paschales*, easque haud fermentatas significat, (vnde etiam ἑορτη, et αἱ ἡμεραι των αζυμων, חג המצות, pro *festo paschali*). Metaph. autem est *purus a vitiositate, ab erroribus, ac vitae morumque prauitate immunis.* Similiter *Phauorin.* αζυμοι· καϑαροι, ατυφοι η επαρσιν μη εχοντες. Cf. *Alberti* gloss. N. T. p. 124. et *Suic.* thes. eccl. T. I. p. 106. Iam Ap. verbis καϑως εστε αζυμοι, (quae resoluerim per και γαρ ου μονον τους Ιουδαιους, αλλα και ὑμας παντας δει ειναι αζυμους, vel, cum *Chrysost.* homil. 15., καϑως πρεπει ειναι ὑμας), rationem reddit, cur metaphora a diebus potissimum *paschalibus* desumta, eos alloquutus sit: *nam vobis non minus, ac Iudaeis dies azymorum celebrandi sunt, sensu tamen nobiliore, quo* τα αζ. *ad morum puritatem et integritatem spectant.* Hinc *Iust. Mart.* dial. c. Tryph. p. 231. e. m. Διο και μετα τας ἑπτα ἡμερας των αζυμοφαγιων, νεαν ζυμην Φυρασαι ἑαυτοις ὁ Θεος παρηγγειλε·

ἡμῶν ἐτύθη, Χριστός. Ὥστε ἑορτάζωμεν, μὴ 8

τουτεστιν αλλων εργων πραξιν, και μη των παλαιων και φαυλων την μιμησιν. Metaphorae semel inchoatae minus conuenienter, si quid sentimus, *Rosenmullerus* verba nostra reddit sic: *sicut nunc viuitis festos dies azymorum, huius caerimoniae adhuc tenaces*, ita vt eo spectent, quod etiam Christiani ex Iudaeis azymis vescerentur. Verba και — Χρ. iam arcte cohaerent cum proxime praecedd. καθ. — αζ., siquidem causam continent, cur τα αζυμα etiam ad *Christianos* pertinere modo professus sit, nimirum quia nobilior agnus paschalis pro Christianis, quam pro Iudaeis mactatus sit. Πασχα, non, tanquam vox graeca, cum *Iustino*, *Tertulliano* et *Ambrosio* a voc. πασχειν deriuanda, quatenus Christus tunc temporis, quo celebratum fuit, acerbissima quaeuis passus sit; sed est vox origine hebraica, a פָּסַח, *transiit*, vnde פֶּסַח *transitus*, sc. angeli mortis, Exod. 12, 13. Hinc, vt et h. l., etiam *agnum paschalem* ipsum significat, qui quotannis a Iudaeis in memoriam huiusce transitus angeli mactabatur. Matth. 26, 17. Marc. 14, 12. alibi. Ετυθη ad sensum i. q. εθυθη vid. var. lect. Ὑπερ ἡμων, quam formulam Ap. in commemoranda morte Christi salutari haud facile omittit, vbi hic ambiguae auctoritatis visa fuerit, (vid. var. lect.) vel in ipsis verbis τ. πασχα ἡμων haud obscure latet. Sensus in vniuersum huc redit: *vti agnus olim in salutem Israëlitarum, sic et Christus in salutem nostram immolatus est.*

8. Ὥστε, pro δια τουτο, sc. ὁτι και ἡμων το πασχα ετυθη. Ἑορταζειν, חָגַג, proprie *dies festos agere* (*Phauor.* ἑορταζω· το ἁπλως ἑορτην αγω), spectatque hic ex nexu cum v. 7. ad dies *paschales*, post agnum mactatum celebrari solitos. Hinc *Deum colere*, non ritibus solum, sed etiam mente ac animo. Quem *Grotius* ad h. l. illustrandum attulit locus *Thucyd.* I. c. 70. μητε ἑορτην αλλο τι ἡγεισθαι η το τα δεοντα πραττειν, obseruante S. V. *Schleusnero*, a loci nostri contextu prorsus alienus est, id quod etiam, non solum *Wassius* ad *Thucyd.* l. c. et *Abresch.* diluc. Thucyd. l. 1. c. 70. p. 66. sed etiam *Bauerus* ad orat. Thucyd. p. 25. satis docuerunt. De vsu verbi ἑορταζειν apud ext. scriptores lectu digna habet

ἐν ζύμῃ παλαιᾷ, μηδὲ ἐν ζύμῃ κακίας καὶ πο-

Irmisch excurs. ad *Herodian.* I, 7. 3. p. 885. seq. Ὥστε ἑορτ. iam cum emphasi acceperim pro: δια τουτο ὁλην την ζωην ἡμων ὁμοιαν δει ειναι ἑορτην. Μη — παλ. i. e. μη κατεχοντες ζυμην παλ. vid. ad v. 7. Μηδε, non tam est phrasin sequentem a praeced. seiungentis, quam distinctius illustrantis, quid sit ἡ ζυμη παλ. de qua vid. ad v. 7. Κακια και πονηρια, quae hic ad voc. ζυμ. explicandam addita leguntur, mere synn. sunt, ad *summae vitiositatis* notionem eo penitius exhauriendam, accumulata, nisi, abstractis positis pro concretis, pro *hominibus malitiosis et improbis*, quos e coetu suo nondum eiecerant Corinthii, haberi malueris. Αζυμ. vid. ad v. 7. Ειλικρ. vero et αληθ. iterum ad voc. αζυμ. a figurato dicendi genere reuocandum, apposita, et pro synn. *integerrimam probitatem* exprimentibus habenda sunt. Ειλικρινεια nimirum proprie est *puritas et candor rei, quae, ad solis splendorem spectata, examen fert;* hinc, vbi ad animum transfertur, *sinceritas*, et *vitae integritas*, et bene h. l. opponitur τῃ ζυμῃ, seu massae fermento *corruptae*. Cf. *Alberti* gloss. N. T. p. 124. ειλικρινειας· ανεπιτηδευτου φανερωσεως της αληθειας. *Theophyl.* ad 2 Cor. 1, 12. ειλικρινεια καθαροτης διανοιας, και αδολοτης ουδεν εχουσαι συνεσκιασμενον και ὑπουλον. *Hesych.* ειλικρινες· καθαρον, αδολον, αληθες, φανερον. Αληθεια vero ex hebr. אמת, est *vera pietas*, vnde τῃ αδικιᾳ Rom. 1, 18. 2, 8. et πραγμασι φαυλοις Ioh. 3, 21. opponitur. Iam verba μηδε — αληθ. expediuerim sic: δηλονοτι, μη κατεχοντες ζυμην, τουτεστι την κακιαν κ. πον., αλλα τα αζυμα, τουτεστι την ειλικρ. κ. αληθ. Iam figura dicendi, et sententia Ap. v. 7. 8. inter se commixtae et perplexae, sic soluendae videntur: *vti Iudaei, post agnum paschalem mactatum, omni pane, fermento corrupto, abstinentes, nonnisi pane haud fermentato vescebantur; sic et vos, relicta veteri peccandi consuetudine, et vitiorum corruptione, purae virtuti studere debetis. Iure vtor metaphora ab azymis Iudaeorum desumta, siquidem et ipsa non solum ad Iudaeos, sed nobiliori sensu, quo ad animum integrum scelerisque purum transferuntur, etiam ad vos pertinent, praecipue cum similitudo illa agni paschalis cum Christo, hanc, qua vsus sum, metaphoram iuuare videatur. Nam sicuti*

νηρίας, ἀλλ' ἐν ἀζύμοις εἰλικρινείας καὶ ἀληθείας.
Ἔγραψα ὑμῖν ἐν τῇ ἐπιστολῇ, μὴ συνανα- 9

olim Israëlitae sanguine huiusce agni postibus allito ab excidio, ita iam nunc Christiani sanguine Christi in cruce profuso a peccatorum suppliciis liberati sunt. v. 7. Quare, vti Israelitae, agno paschali mactato per plures dies festos, ad pie recolendam liberationis a seruitute Aegyptiaca memoriam, ab omni pane fermentato comedendo sibi temperantes, nonnisi infermentato vescebantur; sic et nos, beneficiorum, quae per mortem Christi nobis summa collata sunt, bene memores, per totam vitam nostram, ab omni peccandi libidine immunes, in vero Dei cultu, et virtutis studio obeundis non minus libenter, quam in diebus festis agendis, versari debemus v. 8.

9—13. Corinthii Paullo, in epistola ante hanc, quam nunc habemus, primam, hortanti, vt non solum hominem istum incestuosum, sed etiam quosuis sceleratos, in societatem suam admittere nolint, rescripsisse videntur, hoc in tanta eiusmodi hominum multitudine vix fieri posse, quare et incestuosum istum hucusque tolerauerint. Huius dubii remouendi causa Paullus nunc declarat, Corinthios hoc non ita intelligere debere, ac si, e mente sua, ab omni omnino consuetudine ac vitae communis, commercii et negotiorum ciuilium societate cum hominibus libidinosis etc. *extra societatem christianam viuentibus*, abstinere deberent, siquidem hoc prorsus fieri non possit v. 9. 10., sed praeceptum a se datum eo restringendum esse, vt nullam cum iis familiaritatem habeant, qui, *licet religioni chr. nomen dederint*, nihilosecius eiusmodi vitiis indulgere pergant v. 11., nam homines non Christianos prorsus ad forum suum non pertinere, v. 12. 13. Εγραψα — επιστ. alii, tam veteres, quam recentiores, et inter hos praecipue *Stoschius*, (de epp. apostolorum non deperditis p. 75. seqq.), referunt ad v. 2. et 6. adeoque ipsam hanc epistolam innui arbitrantur, ac si scripsisset Paullus εν ταυτῃ τῃ επιστολῃ. Prouocant praecipue ad similem phrasin Rom. 16, 22. 1 Thess. 5, 27. et Col. 4, 16. obuiam. At vero vti v. 2. et 6. non περι του αναμιγνυσθαι πορνοις, sed vnice de incestuoso isto

10 μίγνυσθαι πόρνοις. Καὶ οὐ πάντως τοῖς πόρνοις

homine remouendo sermo est, sic etiam illa locorum trias ex genere longe alio est. Vt taceam, verba illa εν τῃ επιστ. nimis otiosa videri, si nihil aliud sibi voluerit Ap., quam se *modo* scripsisse, in quam sententiam simpliciter εγραψα (9, 15.) seu γραφω (4, 14.) scripturus fuisset. Vicissim aliis Paullus idem velle existimatur, ac si scripsisset sic: γραφω υμιν εν ταυτῃ τῃ επιστ. nimirum v. 11. (cui etiam sunt qui addant 6, 13. 18. et 7, 2.) id quod tam ex *enallage*, quam vocant, temporis, (qua omnino vix quicquam vllibi expeditur), quam ex forma aoristi, qui et praesens tempus admittat, per εγραψα exprimere potuisset. Sed et sic verba εν τῃ επιστ. prorsus languescunt, et νυνι δε v. 11. quod manifeste hic *temporis*, minime vero, vt lat. *iam*, vberioris *explicationis* est, plane non habet, cui opponatur. Vtraque interpretatio excogitata videtur, ne epistola quaedam Paullina intercidisse putetur, vnde, nescio quam, dignitatis apostolicae, quinimo ipsius prouidentiae div. imminutionem extimuisse videntur. Alia potius cum *Ambrosiast.*, *Attone*, *Lyra*, *Grotio*, *Bengelio*, *Wetstenio*, *Moshemio*, *Michaele*, *Semlero*, multisque aliis, intelligenda est epistola, iam ante hanc nostram Corinthiis, fortasse per domesticos Chloes, tradita, temporum iniuria vero deperdita, qua Ap. iis illud ipsum, το μη συναναμιγν. πορν. praecepisse putandus est. Quod cum minus recte intellexissent, ipsis, fortasse per eosdem Chloes domesticos, petentibus, iam nunc mentem suam vberius explicat. vid. supra. Sic ex totius loci συναφειᾳ, et ex 2 Cor. 10, 9. 10. 11. statuendum est, vbi *in plurali* ter dicitur de *epistolis* Paulli ad Corr. Praecipue vero attendendum esse videtur ad locum 2 ep. 7, 8. vbi leguntur haec: ει και ελυπησα υμας εν τῃ επιστολῃ, i. e. *etiamsi vos dolore affecerim per epistolam illam superiorem*, quasi scriptum esset: ει κ. ελυπ. υμ. εν τῃ εκεινῃ (ῃ προτερᾳ) επιστ. aptissime ad proxime sequentia: βλεπω γαρ, ότι ἡ επιστολη εκεινη ελυπησεν υμας. Iam vti Paullus ibi, phrasin loci nostri εγρ. υμ. εν τῃ επιστολῃ, repetens, de *alia*, quam in qua conscribenda occupatus erat, nimirum de *priore nostra epistola*, cogitauit, sic etiam l. n. sub iisdem verbis epistolam *aliam*, *eamque ante priorem nostram exaratam*, sine dubio intellexit, nisi

τοῦ κόσμου τούτου, ἢ τοῖς πλεονέκταις, ἢ ἅρ-

forte Ap., ex emphasi quadam, interdum in articulo latente, per verba εν τῃ s. εκεινῃ επ., praeter epistolam *superiorem*, simul et *seueram illam indignationisque notis insignem*, *quae Corinthiorum animo nondum exciderit*, significare voluisse putandus est. Plura dabunt prolegg. nostra p. 9. sqq. Συναναμιγν. quo LXX. hebr. התבולל Hos. 7, 8. alibi, reddiderunt, est *familiariter vti aliquo*, *rem et commercium cum aliquo habere*, 2 Thess. 3, 14. pro quo Graeci dicunt συζῃν, συμπολεισθαι. Eodem sensu hoc voc. et cognata apud exteros scriptt. obtinent. cf. *Wesseling*. diss. Herod. p. 170. *Ernesti* ad *Callim*. in Iov. 13. p. 8. et *Loesnerum* in h. l. Male *Dresigius* aliique hic de *consuetudine venerea* intellexerunt. Πορνος, licet alibi Graecis significet *catamitum*, cuius pudicitia venalis est, hic tamen, latius patens, ex orationis serie *vtriusque sexus homines lasciuos et impudicos* denotat. vid. ad 6, 9.

10. Sequitur commentatio de illis superioris epistolae verbis: μη συναναμ. πορν. et quomodo ea intelligi nolit, vberius Ap. declarat. Και — πορνοις, soluenda sunt per: αλλ' ου παντως (i. e. μηδαμως) sc. εγραψα μη συναναμιγν. τ. πορν. vel per: αλλ' ουκ sc. εγραψα μη συναναμ. παντως τ. πορν. i. e. πορνοις πασι. Sensus vtrinque idem. Posterior vero iungendi ratio arctius cohaeret cum verbis του κοσμου τουτου, i. e. εν τῳ κοσμῳ τ. quae tum ad formulam παντως οἱ πορνοι s. πορνοι παντες amplificandam addita videntur, vt *omnes omnino* homines libidinosi intelligantur, *quotquot versentur in toto terrarum orbe*. (vid. infra εκ του κοσμου εξελϑ.) Ex vulgari autem interpret. κοσμος pro *ethnicis* sumitur, qui deinceps οἱ εξω vocantur; sed de eo ipso, praeceptum illud Paullinum ad *ethnicos* non extendendum esse, v. 12. demum sermo esse videtur. Η τοις πλ. etc. est ratio, si quid iudico, paulo concisior, pro ὡς και ου πασι τοις πλεον. *nicht gerade alle Wollüstlinge ohne Ausnahme sollt ihr fliehen*, so wenig als *alle Habsüchtige etc.*, vt sensus redeat huc: *si omnem omnino cum* πορνοις *consuetudinem vobis interdicere voluissem, et illa cum* πλεον. αρπ. *et* ειδωλ. *familiaritas, quippe quae non minus periculosa putanda est, vobis interdicenda fuisset. Quodtamen cum non fecerim, iam inde apparet, cohortationem illam limitandam esse.* Πλεονεκτ. proprie *qui plus aliis possidet*,

παξιν, ἢ εἰδωλολάτραις· ἐπεὶ ὀφείλετε ἄρα

in N. T. vero est ὁ πλεον εχειν βουλομενος, (*der Gewinnsüchtige*), *qui perpetua plura acquirendi et possidendi cupiditate flagrat, ideoque quamuis alios defraudandi occasionem cupide arripit.* Sic et h. l. praecipue propter voc. affine ἁρπαξ. Quodsi vero πλεον. praeced. πορν. iungi malueris, de *prostibulis* etiam, quae *lucri causa* corpore vulgato sunt, in h. v. cogitari possit. vid. *Koppe* ad Eph. 4, 3. Praefero h. n. prius. Ἁρπαξ, plus est, quam πλεον., nam illud *vim illatam* habet adiunctam, vt *raptus* et *rapina* ap. Latinos. Ειδωλ. multi hic et v. 11. *idolorum cultores* esse negant, quia tales Christiani vix in coetu suo tolerauerint, adeoque eos, *qui epulis sacris in templis deorum inuitati intererant* (cap. 10.) intelligi malunt. Sed cum hic non de religionis societate sed de consuetudine vitae communis sermo sit, equidem non video, cur, repugnante loci contextu, illi huc trahi, nec potius *idololatrae* intelligi debeant, praecipue cum Iudaeorum doctores quaelibet vitia, quo maiorem iis infamiam inurant, ad idololatriae similitudinem reuocare, seu cum eadem vna serie componere soliti fuerint. cf. *Wetst.* et *Koppe* ad Eph. 5, 5. Sequitur ratio, cur exhortationem superioris ep. sic intelligi nolit. Επει, h. n. *alioquin, si secus esset.* Cf. *Er. Schmidii* comment. ad *Pind.* olymp. p. 246. *Zeunium* ad *Viger.* de id. gr. l. pag. 391. et *Hogeveen* doctr. part. 14, 2. 8. Αρα, nisi redundat, (vid. *Zeunium* l. c. p. 474.) vel per *scilicet* (vt infra 15, 15. Gal. 5, 11. *Aelian.* v. h. 2, 13. et 1, 15. vbi *Periz.*) vel, quod praetulerim, vt hebr. אך Ps. 58, 12., per *profecto*, (vt infra 7, 14. 15, 14. 18. Hebr. 12, 8. *Aelian.* v. h. 14, 31.) reddendum est. Επει — εξελθ. *alioqui*, (si hoc vellem), *ex hac terra vobis recedendum aliudque domicilium quaerendum esset*, (sc. quia vbiuis sunt, atque erunt eiusmodi homines vitiosi), in quo *summae difficultatis*, apte ad loci contextum expressae, et *eius quod prorsus fieri nequit*, vnice notio tenenda est. Bene in hunc sensum *Chrisost.* ἑτεραν οικουμενην εδει ζητησαι. Vulgo autem: *exeundum vobis esset ex caeterorum hominum societate, id quod, vti fieri non posset, nisi neglectis aliis officiis, societati hominum debitis, sic absonum et absurdum foret.* Hyperbole illa quidem ad popularem hunc sensum reuocari potest, non obtrusa tamen

ἐκ τοῦ κόσμου ἐξελθεῖν. Νυνὶ δὲ ἔγραψα 11
ὑμῖν, μὴ συναναμίγνυσθαι, ἐάν τις, ἀδελφὸς

voci κοσμος ipsius societatis hum. notione, ab vsu loquendi aliena.

11. Iam addit, quomodo cohortationem illam intelligi velit. Νυνι δε, *iam nunc vero*, ita vt τῳ· εγραφ. εν τ. επιστ. sc. προτερᾳ v. 9. opponatur. Εγραψα, (quod Ap. de industria ex v. 9. retinuisse videtur), non est quod pro praesenti sumatur, cum et Latini, quam *scribunt* epistolam et ad aliquem *mittunt*, se *scripsisse* et *misisse* profiteri solent, siquidem, legentis ratione habita, iam *scripta* et *missa est*. Nos; *jetzt aber will ich euch hiermit geschrieben haben*. Alii εγραψα ad v. 1-8. huius cap. referunt, ita vt Paullus isto flagitiosi hominis exemplo, quem a societate remoueri iusserat, mentem suam declarasse putetur; sed ea, quae sequuntur vix periochae isti inferri possunt. Totam comma vel, ex solenni interpunctione, resoluerim sic: εγρ. ὑμ., μη συναναμ. εαν τις, καιπερ θελει ονομαζεσθαι αδελφος, ὁμως εστι πορνος — ἁρπαξ. (και) τῳ τοιουτῳ μηδ. συνεσθ. ita vt posteriora haec verba ad voc. συναναμ. adcuratius explicandum adspersa et repetita sint; vel, punctis minoribus post ὑμιν et συναναμ. positis, sic: νυνι δε παλιν εγραψα ὑμ. το της προτερας επιστολης· "μη συναναμ." τουτ' εστι· τοιουτῳ μη συνεσθιειν, εαν τις, καιπερ αδελφ. ονομαζ., ὁμως εστι πορνος, κ. τ. λ. Consulto nunc Paullus verbis illis, μη συναναμ. non, vt in priori epistola addit πορνοις (cf. v. 9.), quia, ex ipsa, quam statim subiungit, explicatione, sensum huius cohortationis latius patere contendit. Praefero posterius, quia nunc verba τῳ τοιουτ. μη συνεσθ. arctius cohaerent cum praecedd., quibus et ipsis, ex priori iungendi ratione, Ap. voculam και praemissurum fuisse arbitrer, nisi hanc particulam, ad maiorem orationi vim conciliandam, omissam esse dixeris. Ονομαζ. hic non ex hebr. נִקְרָא pro εστι, sed ad verbum intelligendum est. vid. infra sensum. ἦ πορνος (sic enim legendum est, vid. var. lect.) pertinet ad εαν τις, *vbi quis fuerit, se gesserit*, etc. non vero, vti nonnulli statuunt, ad ονομαζ., quo loci contextus prorsus confunditur. Qui ἦ probant, ii ἦ omissum intelligere debent. Λοιδορος, אִישׁ מְדוָנִים, Prov. 26. 21. *conuiciator*, *qui maledictis et conuiciis aliquem proscindit*. Sic et *Hesych.*

ὀνομαζόμενος, ᾖ πόρνος, ᾖ πλεονέκτης, ᾖ εἰδωλολάτρης, ᾖ λοίδορος, ᾖ μέθυσος, ᾖ ἅρ-

VARIAE LECTIONES.

11. ᾖ πορνος pro ᾖ πορν. 10. 11. 19. 55. 91. pluresue. Matth. a. i. k. n. Ed. Syr. vtr. Erp. Copt. Vulg. Chrys. Theodoret. Photius. Nicephorus. Theophyl. (vtrumque interpretatur). Oec. Ambrst. Pel. εἰ 71. ex emend. εὑρισκοιτο. Clem. ονομαζομενος ᾖ, *nominetur*, s. *nominatur* (*inter vos*), clar. germ. Vulg. ed. sixtin. Iren. Tert. Lucif. Ambr. Praeterea ordo sequentium vocc. varie mutatur in Codd. Ed. et Patr. (Vti codd. antiqq. in accentuum dilectu omnino non adeo sunt diligentes, sic h. l. ᾖ ex eodem voc. deinceps saepius repetito facile oriri potuit).

λοιδορος· κακολογος, ὑβριστης. *Pollux* 5, 118. hoc adiect. vt Atticis euitatum notat. Μεθυσος, quod praeter h. l. etiam exstat 6, 6. coll. 11, 21., vt סֹבֵא Prov. 23, 21. שִׁכֹּר ibid. 26, 9. alibi, est *vinolentus*, hinc *intemperantiae omnino deditus*. Ab Atticis non de *viro* sed de *muliere* ponebatur *vinosa*, teste *Thom. M.* De *viro* tamen vocem adhibuisse *Menandrum* auctor est *Pollux* 6, 25. Cf. *Graev.* ad Lucian. Soloecist. p. 65. Συνεσθιειν, sunt, qui ad *agapas* referant, quam tamen notionem cum contextus ratio parum inferat, ac Paullus in superioribus scortatorem istum non solum ab agapis, sed etiam a societate chr. omnino excludi velit; hebraismus hic latere videtur, ex quo mensae consortium *intimam consuetudinem et familiaritatem* exprimit, (Ps. 101, 5. Luc. 15, 2. Gal. 2, 12. et ibi *Koppe*), vt συνεσθ. nisi plus, saltem i. sit q. supra συναναμ. Alii, μηδε per *nequidem* reddentes, in *epulis communibus cum aliquo habendis*, vicissim *quotidianae* et *mediocris amicitiae* notionem teneri volunt. Sed neque haec significatio vsu loquendi firmatur, neque etiam μηδε hic valet *nequidem*, sed respicit superius μη συναν. quasi scripsisset Ap. τοιουτῳ μη συναναμ. μηδε συνεσθιειν, quo nexu simpliciter per *non* reddi potest. Sensus est: *Repeto iam, quam literis nouissime scriptis vobiscum communicaueram, exhortationem: ne* πορν. συναναμ. *velitis; addita tamen nunc vberiori explanatione hac: me, sic vos exhortatum, non ab omni vos vitae communis societate cum quibusuis hominibus flagitiosis, sed a familiaritate tantum, cum iis habenda, reuocare voluisse, qui, etsi nomen chr.*

παξ· τῷ τοιούτῳ μηδὲ συνεσθίειν. Τί γάρ 12

vsurpare ausi sint, *tamen scortatores etc. se gerere haud erubescant.*

12. Subiungitur ratio cohortationis suae sic explicatae. Τι γαρ μοι (מה־לי) sc. μελει, προσηκει, διαφερει. Lat. similiter: *quid ad me?* sc. *pertinet*, i. e. *mea non refert*, s. *meum non est.* Matth. 8, 29. Cf. *Bos* ell. gr. s. v. διαφερει, nec non *Alberti*, *Kypkius* et *Elsnerus* ad h. l. Και, nisi ex linguae graecae idiomate adspersum fuerit, vt in illo *Arriani* (dissert. Epict. l. 4. c. 6.) τι γαρ σοι και τουτο ειπειν, et in aliis locis a *Kypkio* collectis, commode quoque per *insuper*, s. *etiam*, reddi potest sensu hoc: *meum prorsus non est*, *praeter* τους εσω, *qui iam satis molestiae mihi creant*, etiam τους εξω *iudicare.* Quare non video, cur *Clericus* interiecta hac voce και, orationem durissimam reddi, existimauerit. vid. infra. Οἱ εξω s. οἱ εξωθεν, sc. της πατριδος, s. ἑταιριας etc. in genere sunt *exteri*, i. e. *qui extra patriam*, *seu prouinciam quandam degunt*, *et omnino ad coetum quendam non pertinent.* Sic e. g. *Aeschini* c. Ctesiph. p. 279. οἱ εξωθεν sunt *Graeci*, *qui non pertinebant ad rempubl. Atheniensium*, et *Iosepho* ant. 15, 12. et de b. i. 4, 13. omnes *non Judaei*, oppositi τοις οικειοις, s. *Judaeis Palaestinensibus.* Cf. *Kypke* in h. l. Vicissim οἱ εσω in proxime seqq. sunt, *qui ad ciuitatem*, *seu forum quoddam pertinent.* Hoc nexu vero sensu religioso οἱ εξω της εκκλησιας οντες, s. ουκ οικειοι της πιστεως Gal. 6, 10. i. e. omnes *non Christiani* s. *ethnici*, intelligendi sunt, Col. 4, 5. 1 Thess. 4, 12., pro vsu loquendi Hebraeorum, qui et ipsi gentiles κατ' εξοχ. החיצונים vocarunt. vid. *Schoettg.* hor. hebr. in h. l. Phrasis, quatenus iudaica est, et h. n. occurrit, mihi non tam ex dicendi genere philosophorum graec., ex quo v. c. Pythagorae sodales, dum florebat in Italia inferiori hoc sodalitium, non initiatos praeceptoris sui mysteriis τους εξω appellabant, quam potius, si quid video, inde petita est, quod *religio iud.* antiquitus et intra *terrae iud.* limites continebatur, non transmissis hinc Iudaeis ad alias gentes, nec admissis huc alienae rel. cultoribus; ita vt οἱ εξω sc. της Ιυδαιας simul et εξω της εκκλησιας deprehenderentur. Sensus igitur est: *quo enim iure id mihi sumserim*, *vt de iis*, *qui non pertinent ad*

μοι καὶ τοὺς ἔξω κρίνειν; οὐχὶ τοὺς ἔσω ὑμεῖς

VARIAE LECTIONES.

12. και omitt. A B C F G. 17. 31. 39. 46. 67. 78. Ed. Syr. Erp. Copt. Slav. 5. Vulg. It. Tert. Ambr. Pel. Aug. Ambrst. Alii.

societatem nostram, iudicem, vtrum familiaritate vestra digni sint, necne, quo simul iudicium quoddam, mihi non competens, in illos exercerem? Quae sententia nunc addito exemplo illustratur: ουχι—κρινετε; *nonne vos etiam in vita communi sic agitis, vt de iis tantum iudicetis, qui ad forum vestrum pertinent? cur igitur nec mihi, ad eandem me normam conformare, liceat?* *Theophylactus* vero, quem ex recentioribus sequuntur *Michaelis*, *Semlerus*, *Rosenmullerus*, alii, ουχι pro μηδαμως sumentes, verbis nostris ita distinctis: ουχι· τους εσω ὑμ. κρινετε· reddunt sic: *minime! illos igitur, qui sunt de nostra societate, vos diiudicare et reiicere oportet.* Sed neque orationis contextus, neque vsus partic. ουχι hanc interpunctionem patitur. Vti enim per totum caput magis de eo sermo erat, quid Paullus iudicet *ipse*, quam quid iudicare debeant *Corr.*; sic etiam ουχι, vbi non interrogatiue nouam sententiam inchoat, sed directe ad praecedd. respicit, subiunctam sibi habere solet partic. αλλα, quae hic frustra quaeritur; quo accedit, quod loco ουχι hic scribendum fuisset ουδεν, quo magis quaestioni per τι expressae responderet. Praeterea commemorandae supersunt *Clerici* et *Lightfooti* de hoc loco interpretando sententiae, quorum *ille* versionem vulgarem: *quid ad me attinet exteros iudicare?* similis locutionis exemplo destitui, et insertum illud και magnam duritiem creare ratus, hunc locum corruptum putat, ita refingendum: τι γαρ μοι και τοις εξω; και μενουνγε τους εσω ὑμεις κρινετε, τους δε εξω Θεος κρινει; quam quidem licet ingeniosam emendandi libidinem, qua iusto audaciores manus textui inferuntur, quis quaeso probet, cum in tam vnanimi codicum, qui receptam lectionem tuentur, consensu, et in tanta locorum, similem dictionem exhibentium, copia, neque de lectionis integritate, neque de vsu loquendi vllum dubium oriri possit. *Hic* vero dirimendae eius difficultatis causa, quod Paullus, qui ex vulgari interpretatione exteros ad forum suum pertinere

κρίνετε; τοὺς δὲ ἔξω ὁ Θεὸς ˜ κρινεῖ· ἐξαρεῖτε 13
˜ κρίνει

VARIAE LECTIONES.

13. κρινεῖ pro vulg. κρίνει 23. 31. 39. 46. 67. 71. 73. 80. al. 16. et Barb. 7. Matth. a. al. 7. Ed. Arm. Vulg. boern. Chrys. (etiam in Matth. 7.) Theodoret. Ambrst. Pel. Aug. Alii. (vid. comment.) — και ante εξαρ. omitt. A B C D E F G. 23. 31. 37. 46. 73. 80. Matth. d. f. 7. Ed. Ar. pol. Arm. Vulg. It. Ambrst. Pel. Alii lat. Iidem fere codd. etiam hab. εξαρειτε, quod vulgari εξαρατε aequiparandum est.

neget, Elymam tamen, Hymenaeum et Alexandrum tam atrociter iudicauerit, l. n. sic explicari vult: *quare enim mihi conceditur iudicare, i. e. diuina aliqua plaga percutere, qui foris sunt, s. ethnicos, nimirum si hostes euangelii sese exhibent?* (suppl. *nisi vt immedicabilia talia vulnera ense recidam*); *et nonne vos quoque istiusmodi nefarios, qui intus sunt, iudicare, i. e. Deo iuuante tollere potestis?* Sed voc. κρινειν recte explicato, difficultas illa per se euanescit, nec omnino opus est explicatione tam misere anquisita.

13. Τους — κρινει. Verba haec, ad v. 12. reiicienda, prouti vel κρινεῖ vel κρίνει pronuntiaueris, cognitionem de gentium indole Deo vel *olim* (εν εσχ. ημ.) iudicaturo, vel *iam nunc* iudicanti permitti volunt. Praetulerimus vulg. lectionem, vtpote per codd. firmiorem et cum v. 12., si quid sentimus, magis consentaneam, quippe quo et ipso de eo sermo sit, quod *iam nunc* fiat, s. fieri debeat. Spectant quidem vocc. κρινειν et κρισις, quoties Deo tribuuntur, saepissime ad κρισιν olim futuram, indeque fortassis et hic lectio κρινεῖ orta est, neque tamen est quod semper huc referantur. Reliquis huius comm. verbis Ap. redit ad praeceptum illud de scortatore excommunicando, iterum inculcandum, vnde v. 2. egressus erat. Και, ante εξαρ., si sana est lectio, vel per δια τουτο, vel, apposito puncto min., *per *ne multa* reddendum est. (vid. infra vers.) Probabilis vero est huius voculae omissio (vid. var. lect.), qua reliqua huius comm. verba propius ad eandem adstrictioris dictionis seueritatem et grauitatem accedunt, qua idem praeceptum v. 2. enunciatum prostat. Εξαρειτε, fut.

τὸν πονηρὸν ἐξ ὑμῶν αὐτῶν.

ex hebr. pro imperat. vt Deuter. 24, 7. και εξαρεις τον πονηρον εξ ὑμων αυτων, ad quem locum Ap. hic respexisse videtur. Sensus est: (*Quare* και, sc. *cum iam nunc mentem meam recto perceperitis, et ius illud, remouendi istius scortatoris, penes vos esse intellexeritis*, v. 12.) *sine mora hominem flagitiosum e societate vestra remouete!* (Vel: *Es bleibt also dabey:* και) *der Bösewicht wird ausgeschlossen!* Ceterum quod hic incestuoso fieri vult Paullus, id in homicidas a gentilibus statui solebat. Sic *Xenoph.* in Hieron. p. 718. πεποιηνται πολλοι νομοι τῳ μιαιφονῳ μηδε τον συνοντα καθαρευειν. Ibid. ειργειν εκ των ἱερων τους φονεας.

Cap. VI. Iam illud iurisdictionis, strenue tuendae ac seruandae exemplum c. 5, 12. (ουχι — κρινετε,) Apostolo, sentienti, quam parum id ad Corinthiorum apud profanos iudices litigandi libidinem quadret, ansam praebuisse videtur III., ad reprehendendum abusum hunc: *quod* nempe *Corinthiorum nonnulli litibus*, quae facile, et non sine magno rei chr. opprobrio, inter ipsos mouebantur, 6, 7. coll. 3, 3. 2 ep. 12, 20. *coram iudicibus ethnicis, nec potius christianis contenderent.* Res, de qua hic agitur, sic se habet. Iudaeis, theocratia quam vocabant, ac putabant, olim vsis, nefas videbatur litigare coram gentilibus. *Tanchuma* f. 92, 2. *Statutum est, ad quod omnes Israelitae obligantur, eum, qui litem cum alio habet, non debere eam tractare coram gentilibus S. D.* Exod. 21, 1. Hinc, quod pacti sibi esse videntur, litium suarum arbitros ex suis coetibus eligendi ius, nacti sunt; in quam rem *Vitringa* de synag. vet. l. 3. P. 1. c. 13. affert *Arcadii* et *Honorii* legem (lib. 1. Cod. tit. 9. leg. 8. *de Iudaeis et Caelicolis,*) ita expressam: *si quis vero ex his communi pactione ad similitudinem arbitrorum apud Iudaeos, in ciuili duntaxat negotio putauerint litigandum, sortiri eorum iudicium iure publico non vetentur. Eorum etiam sententias iudices exsequantur, tanquam ex sententia cognitoris arbitri dati fuerint.* Quo quidem iure, cum Iudaei diu post Hierosol. euersa vterentur, eos eodem pleniori antehac vsos fuisse, suspicari licet. Quid? quod iam olim *Lucius Antonius* iis, quae Sardiano-

Τολμᾷ τις ὑμῶν, πρᾶγμα ἔχων πρὸς τὸν Cap. VI,1

rum magistratibus rescripsit, hocce ius, tanquam iam diu in more positum, Iudaeis vindicauit, vindicatumque confirmauit. Cf. *Ios.* ant. XIV, 10. 7. vbi haec epistola sic memoriae prodita legitur: Ιουδαιοι πολιται ἡμετεροι προσελθοντες μοι επεδειξαν ἑαυτους συνοδον εχειν ιδιαν κατα τους πατριους νομους απ' αρχης, και τοπον ιδιον, εν ᾡ τα τε πραγματα και τας προς αλληλους αντιλογιας κρινουσι· τουτο δε αιτησαμενοις, ἱν' εξη αυτοις ποιειν, τηρησαι και επιτρεψαι εκρινα. Eodem vero priuilegio et Christiani gauisi sunt, quippe qui, praecipue vbi e Iudaeis collecti erant, his ipsis annumerari soliti sint. Nihilosecius tamen nonnulli in ecclesia Corinth., spretis arbitris chr., iudices ethnicos adierunt. Qui quidem abusus, non tam ex male intellecta libertate chr., ne Iudaeis, qui iudices ethnicos recusabant, se conformarent, quam potius ex communi isto, qui in sectarum studio latebat, vitiorum et dissidiorum fonte, promanasse videtur; quippe quo ecclesia adeo quasi in partes dissecaretur, vt vix essent, quibus neutra pars litigans diffideret, eosque potius, quos forte arbitros dari altera pars vellet, altera continuo, tanquam aduersariae factioni addictos, et in alienae sectae hominem iniquiores futuros, perhorresceret; maxime vbi accusator id agebat, vt non tam lis ex fraterni amoris summa, quae inter Christianos obtinebat, lege componeretur, quam potius caussidicorum mercenariorum subtilitatibus ius in iniuriam transmutaretur. cf. v. 8. (vid. *Storrii* notit. hist. §. 2. p. 6. seq.) Iure igitur Paullus hunc abusum, Christianis prorsus indignum, reprehendit.

1. Comma hoc iam ipsam reprehensionem continet, quam statim inchoat a verbo τολμαν, quo rei *grauis* et *insolitae*, quam in animum inducimus, et h. n. rei simul *illicitae*, et *verecundiae repugnantis*, quam perpetrare sustinemus, nimirum *laesae maiestatis Christianorum*, quibus spretis Corinthii iudices ethnicos adierunt, notio exprimitur. *Et vos quidem a vobis impetrare potestis, vt* etc. Nos: *könnet ihr es über euch erhalten*, vel *könnt ihr euch so weit vergessen, daſs ihr* etc. cf. 2 Cor. 10, 12. Rom. 5, 7. 15, 18. Ioh. 11, 50. Quam verbi τολμαν, pro quo Latini *sustinere* h. n. dicere solent, significationem, *Wetst.* ad Rom. 5, 7. et *Suic.* s. h. v.

ἕτερον, κρίνεσθαι ἐπὶ τῶν ἀδίκων, καὶ οὐχὶ ἐπὶ

magna locorum abundantia confirmauerunt, quibus adde: *Aelian.* V. H. l. 1. c. 34. et *Demosth.* p. 1377. 12. ed. *Reiske.* Cf. praeterea, quae *Valcken.* super originatione et vsu huius vocis ad h. l. obseruauit. Τις, pro τινες, nam, quo minus hoc voc. ad certum quendam Christianum, cum *Semlero* aliisque restringamus, vv. 6—8. obstant, vbi de pluribus litigantibus sermo est. Πραγμα, lat. *causa*, hoc nexu i. q. alias dicitur λογος, εγκλημα, i. e. πραγμα δικανικον, *negotium forense*, *causa coram iudice agenda.* Ita vsurpatur ap. *Xenoph.* in mem. II. 9. 1. et Lysiam p. 109. Πρ. εχων προς τ. ἑτ. i. e. κατα του ἑτερου, s. τινος, (Matth. 5, 23.) plane respondet hebr. אשר יהיה לו ריב, 2 Sam. 15, 2. 4. (qualis Hebraeis dicitur בעל משפט) et lat. *litem habere aduersus aliquem*, s. *cum aliquo*, quanquam et Graecis vsitatum est, vid. *Lysiam* l. c. Nos eodem sensu: *etwas auf* s. *gegen jemanden haben.* Κρινεσθαι, vt hebr. נשפט et הריב Gen. 26, 21. Hos. 2, 2. alibi, est *litem mouere.* Matth. 5, 39. Cf. *Aristoph.* nub. v. 66. *Hes.* κρινωμεθα· αντι του μαχωμεθα, η διαλεγωμεθα. vid. *Dresig.* de verb. med. N. T. II, 11. p. 518. Επι, coram, Marc. 13, 9. Act. 23, 30. 24, 19. 25, 10. *Aelian* V. H. l. 8. c. 2. επι αρειου βουλης λεγων. *Xenoph.* hist. gr. VI, c. 8. p. 642. ed. Lips. Επι των αδικ. sc. δικαστων, (quod et in voc. ἁγ. supplendum est,) coram iudicibus *paganis.* Sic reddendum, cum ex oppos. ἁγιοι, i. e. *Christiani* (vid. ad 1 Petr. 1, 2. et ad 1 Cor. 1, 2.) et ex syn. απιστοι v. 6., tum ex vsu loquendi Hebraeorum, qui nomen illud honorificum צדיקים sibi vindicare solebant, cum *tales*, (i. e. *adeo pios Deoque caros*,) *se esse arbitrarentur*, *quales esse deberent*, (quae propria est vocc. צדיק et δικαιος significatio); quibus oppositi *ethnici* κατ' εξοχ., vti חטאים, ἁμαρτωλοι, sic etiam רשעים, αδικοι (quasi לא צדיקים) vocabantur, *impietatis* et *iniustitiae* tamen etymo sensim pereunte. Quare non est, quod, cum interpp., profanos iudices propter hanc ipsam *iniustitiam* sic appellatos esse statuamus, cuius causa a Christianis inter se litigantibus non adhibendi sint, ita vt Paullus eam dicendi rationem hic sequi videatur, ex qua vno verbo tam res quam rei causa exprimitur; id quod partium studium proderet, a Paullo, qui alias Christianos ad mo-

τῶν ἁγίων; ἢ οὐκ οἴδατε, ὅτι οἱ ἅγιοι τὸν 2

VARIAE LECTIONES.

2. ἢ ante ουκ οιδατε add. A C D a pr. m. F G. 5. 10. 17. 39. 73. 74. 80. Barb. 1. Matth. k. Syr. Arr. Syr. p. c. ast. Arm. It. Clem. Chrys. (etiam in Matth. 2. 7.) Damasc. Theoph. Ambrst. Ambr. Ambiguae auctoritatis partic., siue testes crit., siue contextus rationem respexeris. Fieri potuit, tum vt ex v. 9. 16. 19. adderetur, quo minus ουκ, οιδ negandi sensu acciperetur, tum vt omitteretur, cum eadem formula statim v. 3. (vt v. 15.) sine interr. part. legatur. *Griesb.* eam probabiliter textui adiiciendam iudicauit.

rem magistratibus Rom. gerendum exhortatur, prorsus alienum. Neque porro, cum aliis interpp., Paullum voc. αδικ. anquirendae paronomasiae causa, δικασται inter, quales esse *debebant*, et αδικοι, quales *erant*, adhibuisse crediderim, quae omnino locum habere possit, si οἱ δικασται diserte τοις αδικοις opponerentur, vt in illo *Max. Tyr.* IX, 4. ὡς επι δικαστων; αλλ' αδικοι. ὡς επι φρονιμων; αλλ' ανοητοι etc. *Semlerus* vero, (ad voc. εξουθεν. v. 4. fortasse respiciens, de quo vid. ad comma illud), αδικ. pro arbitris *christianis*, iisdem vero *improbis* et vel *anathemate eiiciendis*, et αγ. pro Christ. *pietate conspicuis*, accipi mauult; sed vti hac interpretatione voci αγ. emphasis, ab huiusce vocabuli, quoties h. n. ad *Christianos omnino* refertur, vsu loquendi aliena obtruditur, quam Paullum paronomasiis adeo inhiantem, potius per δικαιοι, vi oppos. αδικ. expressurum fuisse arbitrer: sic etiam voc. απιστοι, quod v. 6. pro αδικ. manifesto surrogatur, hanc interpretationem vix admittit. Alia est S. V. *Pauli* sententia (Bibl. v. Anz. acad. Schrift. T. I. Fasc. 3. p. 280.) quippe qui, Ap. magistratus paganos *omnes*, inprimis Romanos, quorum iustitia alias adeo praedicetur, αδικους vocaturum esse, dubitans, (quam tamen difficultatem supra iam dirimere conati sumus), επι των αδικων, cum αδικοι v. 9. coll. 8. aperte sint αδικουντες Χριστιανοι, de *iniuriis* intelligi, locumque nostrum sic reddi velit: *Kann sich jemand unter euch so weit vergessen, daſs er im Streite mit einem andern über Vergewaltigungen Gericht fordert*, (quod inter Christianos ne audiri quidem debe ret v. 7.) *und dies nicht ein mal vor Mitchristen?* Sed praeterea quod, ad-

κόσμον κρινοῦσι; καὶ εἰ ἐν ὑμῖν κρίνεται ὁ κόσμος,

missa hac, licet ingeniosa, interpretatione, Ap. loco και ουχι, ex v. 6. και τουτο ουχι, s. ουδε, scripturum fuisse putauerim, tum opposita illa αδικ. et αγ. aliquo modo euanescerent, tum part. επι, paucis tantum verbis interiectis, et verborum consequutione ne minimum quidem mutata, sese excipiens, sensu tamen diuerso adhibita esset. Nexum denique vbi consulueris, Paullum v. 1–6. in sola *coram iudicibus profanis* litigandi libidine reprehendenda versari, et inde demum a v. 7. in eo esse videbis, vt *iniurias* ipsas, litibus ansam praebentes, dedignetur; quare interpretatio illa, qua iam v. 1. de hisce iniuriis agi statuitur, hunc sententiarum nexum aliquantum turbare, nec ex voc. αδικ. v. 9. ad explicandam vocem αδικ. v. 1. vllum praesidium repeti posse videtur. Sensum igitur ex vulgari interpretatione constituimus sic: *nonne vos pudet litigare coram iudicibus profanis, nec potius* (και ουχι sc. μαλλον cf. v. 7.) *coram arbitris e Christianorum coetu electis?*

2–5. Sequuntur rationes, cur Christianis, quos αυτοδικειν maluit Ap., ethnicos iudices adire non liceat, nimirum tum, quia cum dignitate ipsorum pugnet, litigare coram iis, quorum olim in regno Messiano iudices futuri sint v. 2–4., tum quia opprobrium inde oriatur hoc: quasi non sint viri satis intelligentes in Christianorum coetu, qui eiusmodi lites dirimere sustineant. v. 5. Ουκ οιδατε, quod quinquies hoc cap. occurrit, explicatum vide ad 5, 6. Ἁγιοι, vt v. 1. pro *Christianis* positum est, quibus opponitur ὁ κοσμος, i. e. *profani, pagani* potissimum, sed *Iudaei quoque ad rel. chr. nondum adducti.* Tota autem formula οἱ αγ. τ. κοσμ. κριν. petita est a *regno Messiae*, quale Iudaeorum, praecipue post Dauidis tempora, efformauerat credulitas atque arrogantia, nempe futurum esse regem Iudaeorum, tum virtute et maiestate, tum in rebus gerendis fortuna, Dauidi, summo illi et inuicto regi longe antecellentem, qui, gentis Israeliticae hostibus ac tyrannis subactis, regnum suum per totum terrarum orbem dilataturus, et Iudaeorum proceres sibi tum iudicii, ante regnum inaugurandum, de hominibus habendi (quo exploretur quinam digni sint, qui in huius regni societatem recipiantur, necne) tum im-

ἀνάξιοί ἐστε κριτηρίων ἐλαχίστων; οὐκ οἴδατε, 3

VARIAE LECTIONES.

3. 4. 5. 6. Versus hos omittit A. Expendant hoc, qui in praedicando hoc cod. eo aestu exardescunt, vt ad normam eius, quem tantum non ad apostolorum amussim compositum esse perhibent, omnes aliorum lectiones exigi et emendari debere contendant. Sed expendant etiam iniusti eius detrectatores, "iam (recte monente Woidio, praef. in h. cod. edit. p. 20.) eum codicem praestantem esse, cuius plurimae lectiones cum aliis adcuratis codd. et artis crit. regulis consentiunt, nec exigi et sperari posse cod. summe perfectum," in quo conficiendo ne vlla quidem incuria locum habeat, qualis hic cernitur, vbi oculi librarii, maxime vbi, post transscriptum comma 2, scribendi operam interrupit, ex v. 2. in v. 7. aberrauerunt, quia v. 2. et 6. in easdem syllabas ιστων abeunt. Quo facillime fieri potuit, vt operam deinceps continuaturus, ac syllabas istas, quas extremas descripserat, in exemplari transscribendo explorans, exploratasque in fin. v. 6. deprehendens, iam se vsque ad v. 7. scribendo peruenisse crederet. — Vers. 3. pro μητι γε hab. ποσω μαλλον F G. Vulg. boern. Pel. Beda. *nedum*, Aug.

mensae huius Messianae ditionis gubernandae socios, asciturus sit. Cuius regni ratione ad Iesum, ex quo eum pro Messia habere coeperunt, relata, et ipsum, licet Messiae tantum symbolum in se transtulerit, eiusmodi regnum instauraturum, ac, praeter apostolos, optimos quosque Christianos iuris dicundi assessores electurum esse, persuasum habebant. cf. Matth. 17, 1. seqq. 18, 1 seqq. 20, 21. Marc. 15, 43. Luc. 17, 20. 19, 11. 23, 51. *Ios.* b. j. 4, 5. 4. *Suet.* Vesp. c. 4. *Tac.* hist. c. 13. Quid? quod Christus ipse, cum libris sacris ac sermone familiari Iudaeorum peruulgatas videret formulas de regno et beneficiis Messiae, has, vt partim se ad ingenium Iudaeorum accommodaret, partim autem id, quod veri, recti, bonique doctrinae de Messia rite ad se translatae inerat, a popularibus praeiudiciis eo facilius purgaret, pro sapientia sua retinere haud dubitauit. Matth. 19, 28. Luc. 22, 30. Quae quidem opiniones et apostolorum, vt qui essent rerum iudaicarum tenacissimi, mentibus diu infixae haeserunt, vsque dum regnum Christi ουκ εκ του κοσμου τουτου αλλ' εκ της αληθειας ειναι intelligerent. vid. ad 1, 8. et 4, 20. Iam vtrum Paullus in l. n. enunciando, huic praeiudicio, de Chri-

ὅτι ἀγγέλους κρινοῦμεν; μήτιγε βιωτικά;

stianis in regno Messiano iudicum vicibus functuris adhuc inhaeserit, an, dicendi tantum formula, ad argumenti sui vim adaugendam et exornandam, inde desumpta, de *dignitate et intelligentia Christianorum, olim, in vita, post mortem futura, mirifice amplificanda*, (quae *nobis* saltem *hodie* in h. l. vnice notio tenenda est), cogitauerit, in medio relinquendum videtur. Reliquas reliquorum interpretum huiusce l. explicationes vid. Exc. III. Και, vel commate adiecto, cum αναξ., vel, sine commate cum proxime seq. ει iungendum est, vt και ει positum sit pro ει δε. Εν υμιν, pro δι', υφ' υμων, quo sensu et ap. scriptt. ext. h. n. occurrit, e. g. ap. *Demosth.* adv. Boeot. p. 637. ει μη τουτο διορθωσομαι εν υμιν κριθηναι. Plura habent *Kypkius* et *Raphel.* ad h. l. Formula inde petita, quod *in consessu* et coetu plurium iudicum, in quorum medio stabant partes litigantes, iudicia fieri solebant; adeoque quidquid *in his consessibus*, aut *a iudicibus* agebatur, id fieri dicebatur εν αυτοις. Phrasis igitur per se bene graeca; apud *Paullum* vero, qui saepius εν ex hebr. ב pro *per* adhibet, fortasse hebraica. Κρινεται, pro κριθησεται ποτε. Αναξιοι h. n. *minus idonei.* Κριτηριον, sensu forensi proprie i. q. δικαστηριον, *locus, vbi iudicium exercetur*, (nam vocabula in ηριον desinentia, plerumque *locum* notant, v. c. ακροατηριον, δεσμωτηριον etc.) Iac. 2, 6.; h. n. vero, vt מדין Iud. 5, 9., *lis*, seu *controuersia in iudicio disceptanda*, alias κρισις, δικη, et v. 1. πραγμα. Κριτ. ελαχ. sunt κριτ. περι πραγματων ελαχ. s. βιωτικων. v. 3. *num indigni* (i. e. haud idonei) *estis, qui dirimatis lites, de rebus minutissimis exortas?* Alii κριτηριον pro ipsis *iudicibus*, et κριτ. ελαχ. pro *minimis*, nempe paganorum, *tribunalibus* s. *subselliis*, αναξιους τινος vero pro *iis sumentes, quibus aliquid indignum sit s. eueniat*, locum sublata interrogandi nota sic intelligi volunt: *indigni estis*, vel *indignum est, vos iudicari in tribunalibus gentilium.* Sic omnino quidem in foro Attico ipsi indices κριτηριον vocabantur, Graecique vocem αναξιος significatione modo prolata adhibent, (v. c. αναξιος ει υβρεως, i. e. *nimis dignus es, quam vt,* vel *qui iniuria afficiaris;* neque aliter sumendae videntur αναξιαι δυστυχειν ap. *Sophocl.* Oed. Col. 1442. in quem sensum et *Cic.*

βιωτικὰ μὲν οὖν κριτήρια ἐὰν ἔχητε, τοὺς ἐξου- 4

Tusc. 4. 20. *calamitates* memorat *hominum indignorum subleuandas*, i. e. *minime meritorum*, *vt talia patiantur*, vt explicat *Davis.*); at vero cum tam proxime superiora, quam sequentia interrogando enunciata sint, et, quae κριτ. ἐλαχιστα hic dicuntur, statim βιωτικα audiant, Paullusque sibi forsitan temperauerit, quin paganorum tribunalia ἐλαχ. vocet; nobis quidem vulgaris interpretatio praeferenda videtur.

3. Augetur vis argumenti v. 2. prolati: Non solum *hominum* vniuersitatem, sed ἀγγέλους (suppl. και ἀγγ.) *et angelos* olim iudicaturi sumus. Spectant haec ad daemonologiam, quam dicunt, Iudaeorum, tot subtilitatibus, nugis atque ineptiis, et ipsis haud raro inuicem pugnantibus, praecipue post exsilii Babyl. tempora, exornatam, seu potius deformatam, vt omne interpretationis subsidium, inde petendum, dubium semper maneat, atque ambiguum, et vix certi quid, de locis, huius doctrinae ratione habita, enunciatis, constitui, ac definiri possit. Quae ad hunc potissimum locum explicandum pertinent, huc redire videntur: Daemones, ex Chald. et Iud. sententia, quamuis boni a Deo creati essent, et in summo coelo, tanquam purissimae lucis domicilio, coram Deo versarentur, ex parte tamen, obsequium Deo denegantes, mali et impii euaserunt. Quare Deus eos praeuiis suppliciis adflixisse putabatur, quibus olim complementum accessurum sit. cf. Iud. v. 6. et 1 Petr. 2, 4. vbi plura ex Rabbinorum scriptis. (Haec omnia vnice ex mytho Gen. II et III. de *hominibus* primaeuis, ad daemonum conditionem ac sortem perperam translato, originem duxisse videntur). Tantum vero abesse arbitrabantur, vt angeli isti defectores, licet ad infimam miseriam detrusi, omni vi atque potentia careant, vt eadem potius, quae larga ipsis adhuc remanserit, pro malignitate sua, ad homines misere excruciandos, et ad peccata seducendos, abutantur. (1 Petr. 5, 8. coll. Euangelistarum, de hominibus, a daemonibus obsessis, narrationibus). Iam vero, cum Iudaei adueniente Messia, se ab omnibus malis liberatum iri, ac quibusuis bonis abundaturos esse, persuasum haberent; sperabant etiam fore, vt inuictus ille Messias ante omnia Satanae, reliquorumque daemonum quasi imperium,

θενημένους ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, τούτους καθίζετε;

(Eph. 2, 2. 6, 12.) sub quo nulla felicitas efflorescere posset, prorsus destrueret, 1 Ioh. 3, 8. Col. 2, 15. ac praeuiis suppliciis, ipsis olim inflictis, habito de iis non minus ac de hominibus, ante regnum suum inauguranndum, iudicio, complementum adderet minatum. Iud. v. 6. 1 Petr. 2, 4. Cui tamen iudicio cum gentis Iud. proceres, tanquam iuris dicundi assessores, interfuturos esse, arbitrarentur, vt eosdem etiam angelorum, in hoc ipsum iudicium vocandorum, iudices sessuros esse statuerent, necesse erat. Quaequidem omnia, vt v. 2., a Messia *Iudaeorum*, ad *Iesum* Messiam, a *Iudaeis* ad *Christianos*, a iudicio *terrestri* iam *imminente*, (nisi forte de hoc ipso Ap. cogitaret), ad *coeleste*, idque olim *futurum*, transferuntur. Aliorum interpretum sententias exhibet Exc. III. Μητι γε, vt μητιγουν, (hebr. אף כי), notat *multo minus*, s. vt h. l. *multo magis*, ποσω μαλλον, (vid. var. lect.) pro- vti nexus orationis requirit. Loca *Kypkius* ad h. l. collegit. Cf. etiam *Vigerum* de id. ling. gr. p. 457. ed *Zeune*. *Herrmann* ad Viger. p. 803. Βιωτικα, sunt *res ad huiusce vitae vsum pertinentes*. Ergo βιωτ. πραγματα s. κριτηρια, sic enim ex v. 1. vel 2. et 4. suppleri debet, sunt *lites de rebus huius vitae*, e. g. de pecuniis, bonis, haereditate, et i. g. a. quae Latinis *controuersiae priuatae*, Hebraeis דיני ממונות, *iudicia pecuniaria*, opposita לדיני נפשות, s. *iudiciis capitalibus*, vocantur. Luc. 21, 34. Cf. de hac voce *Valesium* ad *Euseb*. h. e. VI, 3. p. 100. *Wesseling*. ad. *Diod. Sic*. Tom. II. p. 611. *Lightfoot* hor. hebr. et talm. et *Valckenar*. ad h. l. Ceterum v. 2 et 3. inest conclusio, quam vocant, a maiori ad minus: *vos, qui olim iudicii a Christo de hominibus omnibus, immo de angelis habendi, socii eritis, multo minus indigni, estis qui causarum tam exiguarum, vt inter vos forte locum habent, iudices sitis et arbitri*.

4. Μεν ουν, *atqui vero*, cf. Viger. p. 540. *Herm*. ad Vig. p. 845. *Stallbaum* ad Plat. Eutyphr. p. 54. Κριτηρια εχειν ex v. 1. i. q. πραγμα εχειν, *quodsi igitur lites de rebus huius vitae inter vos exortae fuerint;* alias voc. κριτηρ. pro *iudiciis* sumto, ex nexu commode et sic reddi posse crediderim: *cum iudicia de rebus ad hanc vitam pertinentibus vobis omnino competere, modo* (v. 3.) *demonstrauerim*, (s. *cum a Romanis vobis concessa habeatis*, vid. supra),

Πρὸς ἐντροπὴν ὑμῖν λέγω· οὕτως οὐκ ἔνι ἐν ὑμῖν 5

VARIAE LECTIONES.

5. ἐστιν pro ἔνι B I. 17. 23. 39. 46. 47. 57. (c. al. 4.) 67. a pr. m. 72. 74. al. 35. Matth. a. al. 8. Ed. Chrys. (etiam in Matth. 2, 7.) Theodoret. Damasc. Theodor. studit. Theoph. Oec.

ὅμως (sic iam suppleuerim) τοὺς ἐξουθ. καθιζ., *nihilosecius ethnicos iudices constituere sustinetis.* Ἐξουθενημένοι, נבזים, במאסים, *infimae sortis homines.* vid. ad 1, 28. h. n. *ethnici*, qui v. 1. ἄδικοι dicebantur. Ἐν τῇ ἐκκλ. ex hebr. ב pro datiuo τῇ ἐκκλ., *ethnici, qui* ex *ecclesiae chr.* iudicio *contemnendi, seu saltem infra Christianos habendi sunt,* quod alias ex hebr. (לפני) per παρὰ s. ἐνώπιον exprimi solet; nisi forte Ap. phrasin inde desumsit, quod gentiles (הגוים) *in* terra et societate s. ecclesia gentis Iud. (בקהל עם יהוה) tanquam profani, contemtui esse, imo antiquitus ne tolerari quidem solebant. Τούτους, emphatice Act. 1, 22. 10, 38. 15, 38. Gen. 3, 12. et contemtim Matth. 13, 55. Ioh. 11, 37., alibi, hic vsurpatur: *istos ipsos.* Καθίζειν. Cum *sedere* (ישב) apud veteres solerent, qui causas forenses diiudicabant, (Ioh. 19, 13. Act. 25, 6. 17. 23, 3. Ps. 9, 4. 121, 5. vbi LXX. *Dionys. Hal.* l. 4. p. 229. δικασταὶ καθεζόμενοι. *Cic.* p. Roscio Amer. cap. extr.; vbi *iudices* alloquitur *si idcirco sedetis.* coll. *Phaedr.* l. 1. fab. 10. v. 6.) καθίζειν, הושיב 1 Sam. 2, 8. *sedere facere, collocare* sensu forensi notat: *iudices, s. arbitros constituere, eligere.* (*Dion. Hal.* ant. l. 3. p. 172. δικαστήρια ὁ βασιλεὺς καθίσας.) In voce καθίζετε igitur suppl. δικαστάς. Ita plene *Lucian.* in Toxari p. 108. Οὐ γὰρ ἐκαθίσαμεν τινὰ δικαστὴν τοῦ λόγου. Iam, interrogandi signo in fin. comm. posito, sensus prodit hic: *Atqui vero* (quamquam Christus vos dignos existimat, qui de rebus longe grauioribus olim sententiam feratis, v. 3.) *lites de rebus quotidianis habentes, paganos, qui alias in ecclesia contemtui haberi solent, istos ipsos, inquam, iudices constituere sustinetis?* Vberiorem loci explicationem, et aliarum interpretationum recensum vid. Exc. III.

5. Ad alteram rationem, cur iudices ethnicos adire nefas sit, (vid. ad v. 2. init.) iam pergit nexu hoc: *paganos controuersiarum vestrarum arbitros constituere non erubescitis* v. 4.; vnde suspicio oriatur necesse est;

σοφὸς οὐδὲ εἷς, ὃς δυνήσεται διακρῖναι ἀνὰ μέσον

quasi inter vos ipsos non deprehendantur huic negotio pares. v. 5. Εντροπη, כלמה, *pudoris iniectio. Phavorin.*: εντροπη εστι, λυπη κατα νουν εξ αποτυχιας τινος καταθυμιου συνισταμενη, η ἡ εξ ελεγχου και επι τιμησεως γενομενη αιδως. vid. infra 15, 34. Ps. 34, 26. 68, 7. 19. Προς-λεγω, simpliciter reddi solent: *ad pudorem vobis incutiendum haec dico*, (nos: *zu eurer Beschämung sey es gesagt*,) quasi opprobrii augendi causa addita sint; nisi forte, habita loci 1 Cor. 4, 14. (ουκ εντρεπων ὑμας ταυτα γραφω,) ratione, ad leniendam exprobrationem, quae sequitur, praemissa, et sic potius expedienda videntur: καιπερ προς εντροπην, (s. καιπερ ακουσιως εντρεπων ὑμας), ὁμως με δει λεγειν, *licet nonnisi inuitus pudore vos suffundam; non possum tamen, quin dicam* etc. (*So gern ich euch Beschämung erspare, so muſs ichs doch sagen*). Sed vix esse sentio ipse, quod vtrique loco inuicem conciliando anxie prospiciamus, cum alius error aliud reprehensionis genus requirat. Ὀυτως, h. n. exprimit admirationem cum exprobratione, (cf. Matth. 26, 40. Marc. 7, 18. Ioh. 18, 32. Gal. 3, 3. *Hom.* Od. ε. v. 204. vbi *Clarckius*, et *Callim.* hymn. in Del. v. 239. seq) et i. e. q. ει οὑτω, s. ει οὑτως ap. Alex. Exod. 2, 14. 1 Sam. 15, 32. Lat. *itane? ergone? siccine?* Nos: *auf die Art alſo*, in quo h. l. suppl. est: *cum sic ad ethnicorum subsellia confugere soleatis.* Ουκ ενι εν ὑμ. q. ουκ εστιν εν τῃ εκκλησιᾳ ὑμων. Sic ενι pro simpl. εστι adhibetur Gal. 3. 28. Col. 3, 11. Iac. 1, 17. praecipue h. l., vbi τῳ· ενι etiam particula εν adiecta legitur. Dubitarunt, obseruante *Schleusnero*, de hac significatione *Bosius* et *Beza*, (qui adeo Gal. 3, 20. εστι pro ενι reponere haud dubitauit), quos et sequutus est *Koppius* ad Gal. l. c., sed eam Atticis longe vsitatissimam esse, multis locis e *Platone* docuit *Schwarzius* in comment. ling. gr. pag. 486. quibus plura addiderunt *Schleusnerus* et *Valckenarius*. Σοφος. Iudaei doctores suos חכמים, i. e. σοφους appellare solebant, siue facultatem docendi tantum consecuti essent, siue etiam facultatem illam actu exercerent. (vid. *Maimonid.* in tractat. *Talmud Tora* c. 1. §. 1. et c. 5. §. 3.) Hinc *Vitringa* (de synag. vet. l. 2. c. 10. p. 570.) ad h. l.: *per sapientem Paullus hic non intelligit prudentem*

τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ; ἀλλὰ ἀδελφὸς μετὰ ἀδελ- 6

quemuis et probati iudicii virum, sed doctorem aliquem, vel doctori supparem interpretem verbi diuini, quales in casibus conscientiae et quaestionibus iuris apud Iudaeos in prouinciis adiri solebant. At, sic statuens, loci sententiam magis infringit quam auget, siquidem Paullus eiusmodi σοφῷ ad lites quotidianas componendas, ne opus quidem esse, exprimere voluisse videtur. Nobis igitur σοφος est quilibet homo *prudens*. *Hes.* σοφος· φρονιμος. Si Ap. praeterea aliquid subinnuere voluerit, hoc esse arbitrer, quod Corinthii, quorum multos sapientiae multum sibi tribuisse vel ex c. 4, 6. seqq. apparet, sui ipsorum adeo sint immemores, vt aliis potius, quam fratribus, de rebus suis iudicia permittant. Ουδε ἑις, לא אחד, *ne vllus quidem.* Rom. 3, 10. 12. Διακρινειν, h. n. est *litem dirimere*, (*Hesiod.* theog. v. 85.) vt κρινεσθαι v. 1. *litigare.* In versione Alex. hebr. שפט Exod. 18, 6. et דין Prov. 31, 9. respondet. Pertinet huc fortasse glossa *Hesych.* διακρινουσι· μεσιτευουσι. Ὁς δυνησεται, qui iudicare *poterit*, sc. si adhibeatur. Ανα—αυτου. Hic ανα μεσον i. e. q. בין *inter*, quod LXX saepius sic reddiderunt. Gen. 10, 12. 13, 3. alibi. *Grotius* vero ex Syro apparere ait, scriptum hic olim fuisse: ανα μεσον του αδελφου, και του αδελφου αυτου, ex hebr. בין איש ובין אחיו Deut. 1, 16., nam ανα μεσον de vno dici non posse, repetitionem vero earumdem vocum, vt saepe, occasionem dedisse posteriores omittendi. Sed non suffragantibus codd. ambigua est solarum versionum auctoritas, praecipue in locis, vbi interpretes vel linguae suae genio indulgentes, vel difficultatibus in textu latentibus coacti, sensum magis quam verba exprimere conabantur; vt taceamus, lectionem* difficiliorem in locum facilioris, eamque in omnibus codd. surrogatam esse, a vero abhorrere. *Bengelius* num. singul. αδελφου pro plur. positum esse arbitratur, ad facilitatem rei notandam, quasi Paullus velit, *vt actor et reus inter se transigant, sine opera iudicis;* nisi hic sensus per artificium verbis illatus videri potest. *Storrius* denique (notit. hist. p. 5. 6.) αδελφου collectiue pro αδελφων sumendum esse statuit, prouocans praecipue ad Matth. 18, 35. vbi παραπτωματα αυτων ad αδελφος αυτου

7 φοῦ κρίνεται, καὶ τοῦτο ἐπὶ ἀπίστων; Ἤδη μὲν

spectet, et ad Ios. 17, 9. vbi ανα μεσον πολεως Μανασση (quanquam haec verba cum *Schleusnero*, spicil. I. lex. post *Bielium* p. 93. verti possint: *intra tractum Manassiticum*), e textu hebr., in quo extet plur. ערי, pro plurali positum sit. Sed quamuis ingeniose haec disputentur, loci tamen ac formulae nostrae alia esse videtur natura. Mihi quidem ανα – αυτου, cum codd. ad vnum omnes hanc lectionem tueantur, ratio hebr. paullo concisior, ac durior, eademque (cum formularum ex origine integrarum, quotidiano tamen loquendi vsu mutilatarum in omnibus linguis tot prostent exempla), ex formulae plenioris ανα μεσ. του αδ. και του αδ. αυτ., בין איש ובין אחיו, contractione oriunda videtur, quae quidem contractio et ipsa aliquo saltem modo ferenda est, cum additum αυτου *alterius cuiusdam* notionem inferre videatur. Quicquid de hac formula statuis, sensus est: *siccine ne vnus quidem vir prudens inter vos deprehenditur, qui sententiam ferre possit inter Christianos litigantes.*

6. Repetitur reprehensio v. 1. quod Christiani iudices paganos adeant, praemissa tamen litium ipsarum, quae omnino inter Christianos locum habere non debeant, exprobratione. Αλλα, alias νυνι δε, *so aber*, vel μαλλον δε, *imo vero*. Αδελφος μετ' αδελφ. ad imitationem hebr. איש לאחיו Gen. 26, 3. איש אל אחיו Exod. 25, 20. et איש את רעהו 1 Reg. 20, 40., quae formulae nonnisi *alterius ac alterius* notionem exprimunt, seruata tamen *fratris christiani* in voc. αδελφ. significatione, positum est pro: αλλος αδελφος μετ' αλλου, vel ex v. 7. αδελφοι μετ' εαυτων κρινονται. Κρινεσθαι autem vt v. 1. Και τουτο, וזה, sc. γινεται, s. ποιει, *idque* s. *et id ipsum fit*, (nos: *und das noch obendrein*), quo rei, de qua sermo est, vis augetur. Cf. v. 8. Rom. 13, 11. Hebr. 11, 12. *Xenoph.* oecon. 16, 7. και ταυτα προσθεν εμου την γνωμην αποφαινομενος. coll. de exp. Cyr. 1, 6. και τους μεν πονους σφας εχειν, τα δε κερδη αλλους, και ταυτα την σωτηριαν σφων κατειργασμενων. *Cic.* de off. 1, 1. *Quanquam te, Marce fili, annum iam audientem Cratippum*, idque *Athenis* etc. Vid. etiam *Deuarium* de part. ling. gr. p. 178. Επι απιστων i. q. επι αδικων, v. 1. *coram paganis*, s. *non Christianis*.

οὖν ὅλως ἥττημα ὑμῖν ἐστιν, ὅτι κρίματα ἔχετε

VARIAE LECTIONES.

7. εν ante ὑμιν omitt. ABCDEI. 17. 57. (c. al. 5.) 73. 80. al. 48. Matth. a, al. 10. Ed. Syr. vtr. Copt. Slav. clar. germ. Bas. Chrys. (etiam in Matth. 2, 7.) Theodoret. Oec. Antiochus.

7. 8. Missa facta exprobratione ea, quod lites suas *magistratibus paganis* diiudicandas permittant, iam reprehensioni, v. 6. init. inchoatae, inhaerens, litigandi, aliosque iniuriis afficiendi libidinem omnino, vlterius vituperare pergit. Aureus est locus! aurea sententia, ipsius Paulli exemplo egregie confirmata! Ηδη, quod, quoties alibi in N. T. occurrit, aduerb. temp. est, hic, recte annotante *Raphelio*, plane vt nostrum *schon*, quo et *Lutherus* hic vsus est, adhibetur, vt ex minori, quod ponitur, ad grauius quoddam, quod partim v. 1—6. praemissum, partim v. 8. per αλλα annexum est, concludatur, quo sensu etiam ap. *Herodot.* occurrit. Locum habet *Raphel.* Ὀλως, vel, iunctim cum ἡττ.—εστι, est *sane*, *profecto*, quo minus de paradoxo, mox proferendo, dubitent lectores, vel ad ὁτι etc. relatum, valet *omnino*, *in vniuersum*, vt sensus prodeat hic: "iam id, quod (non solum *coram iudicibus profanis*, sed) *omnino litigatis*, quod inter Christianos prorsus fieri non debuit, vitio vobis vertendum est." Bene *Chrysost.* εντευθεν ηδη σε κατακρινω, απο του δικαζεσθαι, vid. ad ὁλως 5, 1. Ἡττημα, vt alias ελαττωμα et ελαττωσις apud Siracid. et Tobiam, est *conditio deterior*, et quidem h. n. *vitae atque morum: Sittenverfall.* Cf. infra 11, 17. vbi το ἡττον, ac 2 ep. 12, 13. et 2 Petr. 2, 19. 20. vbi ἡττασθαι simili sensu occurrit. Loca vero Ies. 31, 8. et Rom. 11, 12. ab aliis hic excitata, huc non pertinent, nam ἡττημα illic de *clade iuuenum*, hic vel de *paucitate*, vel de *fortuna aduersa* intelligendum est. Ceterum *Grotio*, *Bengelio*, multisque aliis interpretibus assentiri non possum, qui Paullum consulto ἡττημα, non παραπτωμα s. ἁμαρτιαν, dixisse contendunt, siquidem in iis, qui nondum eo peruenerint, vt damnum potius faciant, quam litigent, non sit παραπτωμα, s. *minus aliquid summo*, nam hoc voc. semper comparate ad aliquid maius adhiberi. At vero, quamuis per se, vtut sunt res nostrae, omnino liceat, in iudicio sua vindicare,

μεϑ' ἑαυτῶν· διατί οὐχὶ μᾶλλον ἀδικεῖσϑε; διατί

dummodo fiat sine ira et inuidia, nonne illud ipsum *summo minus*, non ὑστερεισϑαι illud της δοξης Θεου, non ille caritatis defectus, miserumque illud partium studium, (litium inter Christianos Corr. exortarum fomes praecipuus), non ista imbecillitas animi, non sustinentis iniurias, sed ad vlciscendum prorumpentis, multaque alia mala, quae lites iudiciales Corinthiorum comitari Ap. audiuerat, παραπτωματος nomine digna sunt? Iam *Pelagius* seuerior hic est interpres: *contra Christi praeceptum Matth.* 5. *facitis*. Sed vix est, quod in argutiis hisce ventilandis diutius commoremur. Εν ὑμιν, si sana esset lectio, non tam cum nonnullis veterum interpp. pro εν τῳ πνευματι ὑμ., quam potius vel, vt v. 5., pro εν τῃ εκκλησιᾳ ὑμ. vel ex hebraismo pro simpl. ὑμιν εστι sumi deberet; sed praeferenda est lectio ὑμιν εστι, vtpote satis multis, iisque grauissimis auctoritatibus nixa. (vid. var. lect.) Verterim: *es zeugt schon von einem Sittenverfalle unter euch*, s. *von eurem Sittenverfalle*. Κριματα εχ. q. πραγμ. εχ. v. 1. et κριτηρ. εχ. v. 4. Μεϑ' ἑαυτων, pro μεϑ' αλληλων. 1 Thess. 5, 13. Iud. v. 20. *Hesych.* ἑαυτους· αλληλους. *Sophocl.* Antig. v. 153. καϑ' αὑτων. *Schol.* αντι του κατ' αλληλων. Cf. *Perizon.* ad *Aelian.* v. h. I, 21. et *Reitz* ad *Lucian.* T. II. p. 98. Μαλλον, sc. *prae litigando*. Αδικεισϑαι ad *dignitatem laesam*, αποστερ. ad *rerum damnum*, *aequo animo ferendum*, pertinere videtur. cf. de illo *Aristot.* de morib. V. 11. *Bauer.* philol. Thucyd. Paul. p. 245. *Dresig.* de verb. med. N. T. II, 1. de hoc Iac. 5, 4. Deuter. 24, 14. Schol. *Aristoph.* Plut. v. 373. *Salmas.* de foen. trapez. p. 267. et de mutuo p. 166. *Dresig.* l. c. II, 3. Formula autem διατι ουχι μαλλον, diserte repetita, animi ardorem indicat, quo Paullus hanc γνωμην profitebatur, quae ceterum intime conspirat cum egregia illa sententia adagiali a Christo pronunciata Matth. 5, 39. 40. Quare non est, quod cum *Henr. Stephano* (in dissert. de stylo gr. N. T. p. 13.) Paullum hic ante oculos habuisse statuamus illud, licet egregium, *Menandri*:

Ὁυτος κρατιστος εστ' ανηρ, ω Γωργια,
Ὁστις αδικεισϑαι πλεις επισταται βροτων.

Cf. etiam *Lysiam* adv. Diagiton. vbi de propinquis dicit, quod hic valet de eiusdem rel. consortibus: Ειδως ὁτι ου μονον οἱ αδικουντες χει-

οὐχὶ μᾶλλον ἀποστερεῖσθε; ἀλλὰ ὑμεῖς ἀδι- 8
κεῖτε, καὶ ἀποστερεῖτε, καὶ ταῦτα ἀδελφούς.
Ἢ οὐκ οἴδατε, ὅτι ἄδικοι Θεοῦ βασιλείαν οὐ 9
κληρονομήσουσι;

μους ὑμιν ειναι δοκουσιν, αλλα και οἵτινες αν ελαττον ὑπο των προσεχοντων εχοντες ανεχεσθαι μη δυνανται.

8. Αλλα vt v. 6. Ὑμεις, *quidam e vobis.* Αδικειν, חמס Gen. 16, 5. et αποστερειν, עשק, Mal. 3, 5. *iniuriam* et *damnum alicui inferre.* Cf. loca v. 7. ad vtramque vocem citata. *At vos non modo non fertis, sed ipsi infertis iniuriam.* Και ταυτα, vid. ad v. 7. Αδελφ. emph. *Christianos*, qui arctissimo mutui amoris vinculo inter se iuncti esse, omniaque quasi communia habere deberent. Locum nostro simillimum *Wetst.* huc attulit ex *Ios.* ant. 15, 5. 3. Αξιον μεν ην — ουδε τους Αραβας — αδικειν ὑμας αποστερουντας, και παντα ου πολεμιους οντας, αλλα φιλους.

9. Verbis η — κληρ. quae ad proxime superiora pertinent, Ap. hanc iniuriis alios afficiendi libidinem poenis dignissimam esse, contendit. Αδικοι, ex v. 8. sunt οἱ αδικουντες, *qui iniurias aliis inferunt.* Ex vulgari autem interpret. αδ. pro *flagitiosis omnino*, τοις δικαιοις oppositis, sumi solet, quia in proxime seqq. varii generis vitia recenseantur. Sed nobis nexus aliter constituendus videtur. vid. infra. Κληρονομειν, vt נחל et ירש, q. τυγχανειν τινος. vid. ad 1 Petr. 1, 4. βασιλεια Θεου, vid. ad 4, 20. Sensus loci huc redire videtur: *vix est quod moneam, homines iniuste in alios agentes felicitatis per Messiam nobis partae, olimque potissimum in vita post mortem futura percipiendae* (κληρονομιας αφθαρτου 1 Pet. 1, 4.) *participes haud euasuros esse.* Cf. Scriptores ad 1, 8. laudatos, et nos ad 4, 20. Loco nostro simillima sunt Gal. 5, 21. et Eph. 5, 5.

Iam των αδικων hoc sensu mentione iniecta, ex hoc ipso voc., adeo late patente, vt alio nexu omnium vitiorum ambitum complectatur, Ap. IV., ad *reliqua vitia reprehendenda*, ac praecipue ad *veneris illicitae foeditatem notandam*, transit. v. 9. med. — fin. cap., ita vt ad argumentum cap. V. quodammodo redire videatur. Quare inde a verbis μη πλαν., nisi caput, comma tamen nouum incipere debebat. Nouae autem sectionis hic initium constituendum esse statuimus, quia argumentum, quod

Μὴ πλανᾶσθε· οὔτε πόρνοι, οὔτε εἰδωλολάτραι, οὔτε μοιχοὶ, οὔτε μαλακοὶ, οὔτε ἀρ-

sequitur, licet verbis arcte ad superius adtextum, longius tamen longiusque a praeced. recedit. Μη πλαν. (*Lucas* βλεπετε, μη πλανηθητε 21, 8.) suppl. αλλα μ. π. *ne autem fallamini*, sc. in eo, quod eos tantum, qui alios laedunt et iniuria afficiunt, futurae felicitatis iacturam facturos esse existimetis; nam hoc et τοις πορνοις etc. eueniet. Plura de hac formula vid. ad Iac. 1, 16. Πορνος, qui Hebraeis קָדֵשׁ, Graecis ἑταιρικως (*Diog. Laert.* l. 1. §. 55. vbi Menagius. *Poll.* onom. l. 6. c. 30. et *Küster.* ad *Aristoph.* Acharnens. v. 603.) quanquam et voc. nostro πορνος (*Demosth.* p. 1489. 3. ed. *Reiske.*) dicitur, proprie a περναω s. περνημι *vendo*, significat *fornicarium*, (et recte explicatur in gloss. vet. ap. *Labbaeum* p. 155) s. *puerum meritorium*, *qui lucri causa corpus suum alterius libidini quasi venundat*, vti multis docuerunt *Rich. Bentleius* in diss. de epist. Phalaridis p. 416. *Salmasius* de foen. trapez. p. 141. et *Zornius* in bibl. antiqu. exeget. T. I. p. 448. Interdum vero, vt h. l., vbi μοιχ. μαλακ. et αρσενοκ. a πορν. diserte distinguuntur, latius patet, et *cuiusuis generis scortatorem* (*Poll.* onom. l. 6. c. 36. §. 152.) significat. cf. supra 5, 9. 10. 11. et Eph. 5, 5. Ειδωλολ. eodem sensu, vt 5, 10. 11. Μοιχος, נאף s. מנאף, sensu proprio *adulter*. Μαλακους Graeci alias generatim *homines effeminatos*, *delicatulos et voluptatibus deditos* vocare solent, (*Arrian.* diss. Epict. l. 3. c. 6.) h. l. vero vbi tot hominum turpium, libidinibus inseruientium species enumerantur, μαλακοι praecipue τοις αρσενοκ. oppositi, sunt *pueri pathici*, *cinaedi*, *muliebria pati assueti*. *Hes.* μαλακος· γυναικοηθης. Eodem sensu μαλακος ap. *Dionys. Hal.* ant l. 7. p. 418. vbi *Aristodemum* narrat a ciuibus suis μαλακον vocatum esse ὁτι τα γυναιξιν αρμοττοντα επασχεν. Eiusdem criminis ratione habita et voces cognatae μαλακια, μαλακιζεσθαι, *mollis*, *mollities*, *mollescere* a Graecis Romanisque adhibitae leguntur. vid. *Wetst.* *Grotium* et *Kypk.* in h. l. Αρσενοκ. oppos. est μαλακ., *qui cum maribus concumbunt*, s. *venerem nefandam exercent*. cf. Rom. 1, 27. Fuisse vero crimen veneris masculae inter gentes non solum frequentatum, sed etiam a sapientissimis inter gentiles viris admodum improbatum,

σενοκοῖται, οὔτε κλέπται, οὔτε πλεονέκται, 10
οὔτε μέθυσοι, οὐ λοίδοροι, οὐχ ἅρπαγες, βασι-
λείαν Θεοῦ οὐ κληρονομήσουσι. Καὶ ταῦτά τι- 11
νες ἦτε· ἀλλὰ ἀπελούσασθε, ἀλλὰ ἡγιάσθητε,

VARIAE LECTIONES.

10. ου ante κληρον., quo negatio in ουτε latens augetur, omitt. A B D E. 17. 46. 57. (c. al. 3.) 67. ex emend. 72. al. 7. Matth. l. n. Ed. Copt, Polycarp. Ignat. Method. Iulian. Chrys. (etiam in Matth. 7.) Theodoret. alicubi. Damasc. Oec. Fortassis quia ου post ουτε redundare videbatur.

ex iis constat, quae *Fabric.* in bibl. gr. l. 1. p. 135. et *Menagius* ad *Diog. Laert.* VI, 65. p. 250. de hoc detestando flagitio ex veterum monumentis collegerunt. Corinthios vero praecipue voluptati illicitae omnino addictissimos fuisse, in prolegg. iam euicimus.

10. Quae hic occurrunt vocc., iam explicauimus ad 5, 11. Sensus vv. 9. 10. huc redire videtur: *iniuriosi homines aeque ac scortatores, adulteri, molles, cinaedi, (qui omnes vel simulacrorum cultoribus aequiparandi sunt), neque hi minus quam fures, auari, ebriosi, maledici atque raptores ab omni regni coelestis consortio olim excludentur.* Paullum vero in his *omnis generis scortatores* potissimum notare voluisse ex v. 12 sqq. apparet, qui omni cum proxime superioribus nexu idoneo carerent, nisi ad hos prae reliquis hominibus scelestis hic commemoratis reuocarentur.

11. Commate hoc Ap. Corinthiorum animos, praegressa reprehensione fractos, erigit atque excitat, vt omnia haec voluptatis illicitae, aeque ac quaeuis alia scelera fugientes, nominis chr., quod nacti sint, dignitatem tueantur. Και—ητε pro και τινες ητε ταυτα, s. οὗτοι, τοιουτοι, *isti tales ex parte fuistis.* Sic τα πρωτα των Ἑλληνων οντες ap. *Aristid.* T. 1. p. 505. et *prima virorum* ap. *Lucret.*, et ανδρες Ἑλληνων ακρα in versu e Telepho *Eurip.* a Scholiast. Aristoph. ad Acharn. 469. seruato. Plura *Kypkius* collegit. Cf. etiam infra 10, 6. Gal. 5, 17. Simili modo ap. Alex. τουτο vsurpatum reperitur, v. c. Gen. 28, 17. Lev. 25, 34. Quodsi vero offenderis in vocula τινες cum verbo *secundae* pers. iuncta, neque eam, vt dictum paulo durius obiter emollientem,

ἀλλ' ἐδικαιώθητε ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου

vncis includere velis; nihil impedit, quo minus ταυτα τινες per κατα ταυτ. τιν. expleas, vt sint *eiusmodi* s. *huius furfuris homines* (*solcher Art Leute*), sc. *vitiis, quae enumeraui, atque flagitiis inquinati*, ητε (cum emphasi), *olim* (*sc. ex parte*) *fuistis*, antequam religioni chr. nomen dedissetis, *neque tamen vos amplius tales esse decet*. Iam quo magis Corr. intelligant, quam diuersam ab ante acta vitam postulet praesens ipsorum conditio, hanc ipsam describit verbis αλλα απελ. αλλ' ηγ. αλλ' εδικ. in quibus enunciandis vis vocis ad part. αλλα, κλιμακος iuuandae causa ter repetitam, reuocanda est. In definienda vero beneficiorum (nisi rectius officiorum, vid. infra), tribus vocc. απολουειν, ἁγιαζειν et δικαιουν designatorum natura atque indole, in tres partes abeunt interpretes. Alii, inter quos et *Grotius*, de *tribus* hic beneficiis cogitandum esse, existimant, et quidem *vel* de baptismo, spiritu s. et progressu in iustitia, *vel* de baptismo cum suis effectis, sanctificatione et peccatorum venia, et s. p. Alii, iique plurimi, ex duplici ονομ. Κυρ. et πνευμ. Θεου fonte, *duplex* tantum beneficium deriuandum esse rati, *modo* ablutionem, quae fit per baptismum, et iustificationem, *modo* ablutionem et sanctificationem, et i. g. a. intelligi malunt. Alii denique nonnisi *vnius* beneficii descriptionem hic agnoscentes, verba nostra *partim* de peccatorum remissione, *partim*, vt *Semlerus*, de animi a vitiis purgatione interpretantur. Quibus omnibus ex multis hoc vnum opposuisse suffecerit: Christianos Corr., quos Paulus vv. 9. 10. tam acriter reprehenderat, vix dignos ipsi videri potuisse, quos v. 11. tantis beneficiis ornatos praedicaret. Quod etiam fuerunt, qui sentirent, indeque verba nostra modo *interrogatiue* enuncianda, modo de sanctitatis *initiis* intelligenda esse putarent; quae tamen glossae, artificio quodam laborantes, Paullo inuito obtrudi videntur. Verborum potius adeo πολυσημων sensus ex solo sententiarum *nexu* prehendi potest, debetque. Hinc *Griesbachius* (opp. acad. T. 1.), Paullum vv. 9. 10. disputationi suae tantum interseruisse ratus, atque retrospiciens ad v. 1. vbi Ap. eos vituperat, qui *ethnicos* iudices pati malint, quam arbitros christianos, (sicut per omnem hanc pericopam

Ἰησοῦ, καὶ ἐν τῷ πνεύματι τοῦ Θεοῦ ἡμῶν.

id agit, vt pium Christi cultorem profano idololatrae longe antecellere demonstret), sensum huc reuocat: *vos, qui antehac iure meritoque habebamini in profanorum, impurorum,* ανοσιων, ἁμαρτολων, αδικων *numero, iam baptismo suscepto purificati, et sanctorum iustorumque coetui aggregati estis*, adeoque Viro Doctiss. vocc. απελ., ἡγ. εδικ. sunt synn., solam mutatam Christianorum conditionem describentia, quod sc. segregati a profanis, gentilibus et incredulis Iudaeis, ac participes facti sint beneficiorum et priuilegiorum omnium, a Deo cunctis ecclesiae Christi membris concessorum et per baptismum in singulos collatorum. Formulas vero εν ον. Κ. et εν πν. Θ. eo referri vult, quod Christiani Corr. ad fidem chr. perducti et s. lauacro abluti sint non priuato Paulli ausu, sed ex mandato Domini, spiritusque s. Paullo in colligendo Corinthi coetu ἁγιων suo auxilio extraordinario adfuerit. Nobis quidem, Paullum inde a verbis μη πλαν. v. 9. ad nouum de scortatione fugienda argumentum transire statuentibus (vid. supra), verba nostra nonnisi vlteriorem admonitionem, verbis ταυτ. τιν. ητε inchoatam, continere videntur hanc: *huius furfuris homines olim, ante susceptam rel. chr., ex parte fuistis, neque tamen iam nunc vos amplius tales, sed potius sceleris puros*, απελ., sed *cultui div. sacratos*, ἡγιασθ., sed *prorsus integros* εδικ. *esse decet*, ita vt voces nostrae, summam significationis quod attinet, ad synn. quidem redeant, quorum tamen vis atque grauitas per gradus ascendit. Vti vero Ap. in ητε, sic etiam in reliquis απ. ἡγ. εδ. *praecepti* notionem latere voluisse videtur, quod tamen, Corinthiis suis confisus, ita exprimere maluit, ac si vera re iam obseruauerint, quae obseruanda ipsis iniungit; ex quo dicendi genere et hodierna praecepta haud raro vestitum mutuantur. Vocibus illis vero potestatem ipsis tributam constare, dubio caret. De vocc. ἁγιαζ. et δικ. vid. supra ad 1, 2. et ad 1 Pet. 1, 2., απολουειν vero inde *liberandi a vitiositate* vim nacta est, quod haec in sordium (κηλιδων), animo adspersarum similitudinem vocari solet tam sacris quam profanis scriptt. Ies. 1, 16. *Philo* de nom. mut. p. 1051. E. Απειρα εστι

12 Πάντα μοι ἔξεστιν, ἀλλ' οὐ πάντα συμφέρει·

τα καταῤῥυπαινοντα την ψυχην, ἅπερ εκνιψασθαι και απολουσασθαι παντελως ουκ ενεστι. *Lucian.* Tyrann. p. 93. Ald. Επειδη ταχιστα φιλοσοφειν ηρξαμην, κατ' ολιγον ἁπασας τας κηλιδας εκ της ψυχης απελουσαμεν, coll. *Virg.* Aen. 6. v. 745. Hinc et καθαρος, καρδια καθαρα, (לב טהור), καθαριζειν aliaeque formulae *pietatis* sensu sunt frequentatissimae. Paullum in hoc voc. adhibendo simul ad *baptismum* respexisse, quo quasi vitiositatis labes abluitur, et ad quem απολ. diserte transfertur Act. 22, 16., vix dubitari potest. Subiungitur iam duplex modus, quo Christiani λελουμενοι, ἡγιασμενοι et δικαιοι euadant, nimirum εν ονοματ. τ. Κυρ. Ιησ., i. e. ex hebraismo satis noto, εν Κυρ. Ι. s. δια Κυριου Ι. *interueniente Christo* per doctrinam suam, et εν πνευμ. τ. Θ. iuuante *spiritu diuino*, in animos Christianorum agente, (vid. ad 3, 16.) quae sunt bina illa emendandi animi chr. remedia.

12 — 14. arcte cohaerent cum v. 9 - 11., siquidem Ap. ad miserum, flagitia ista v. 9. 10. a christiani nominis dignitate aliena v. 11., perpetrandi praetextum, a male intellecta libertate Christianorum repetitum, Corinthiis praeripiendum pergit. Παντα μοι εξεστι, sunt verba aduersarii, (quasi scripsisset Ap. αλλ' ερεις μοι· παντα etc.), et procul dubio illa ipsa, quibus Corinthios, ad vitiorum istorum culpam imminuendam seu delendam, vti solere, Ap. compertum habebat, siue ex se petierint, siue a ciborum vsu, quem Paullus saepius his verbis cuiuis integrum esse contenderat (Rom. 14, 2. 20. 1 Tim. 4, 4.), huc detorserint. Sensus est: *quei tu tot res mihi vitio vertere sustines, quae ex libertatis christianae plenitudine, quam alias ipse defendis* (Rom. 8, 2. Gal. 5, 1. alibi), *sine dubio mihi licent?* Sequitur Paulli responsio: αλλ' — συμφ. Αλλ', h. n. est vnum quidem concedentis, alterum vero negantis. Suppl. est: αλλα, καιπερ παντα σοι εξεστι, ου π. σ. Vid. de hac huius partic. vi *Deuarium* de gr. ling. partt. ex ed. *Reusmann* p. 12. seqq. Ου π. συμφ. q. 10, 23. ου παντα οικοδομει. Apud Alexandr. συμφερειν ponitur pro טוב Ier. 26, 14. et שוה Esth. 3, 8. *Suid.* συμφερον· αγαθον. λεγεται δε συμφερον, ὁτι φερει τα τοιαυτα, ὧν συμβαινοντων ωφελουμεθα. Vid. etiam *Reiske* ind. graecit. Demosth. p. 708. et interpp.

πάντα μοι ἔξεστιν, ἀλλ' οὐκ ἐγὼ ἐξουσιασθή-
σομαι ὑπό τινος. Τὰ βρώματα τῇ κοιλίᾳ, καὶ 13

ad *Thom. M.* p. 820. Sensus: *recte tu quidem ad libertatem chr. prouocas; at non omnia, quae ex solo libertatis titulo spectata, tibi licere videri queant, et ipsa, propriae ac alienae pietatis atque felicitatis promouendae ratione habita, arbitrio tuo relinqui possunt. Sit igitur modus in libertatis vsu, quippe qui ad priuatae, publicaeque salutis atque virtutis augendae et propagandae normam conformandus sit.* Παντα μ. εξ. sunt vlterius instantis et vrgentis aduersarii, quem Paullus, in iis, quae modo ipsi responderat, nondum acquiescentem, et concinnius quid expetentem sibi effinxit. Circumscripserim sic: *tu illuc effugere conaris, quod virtutis et* felicitatis *notionem, a disputatione nostra alienam, huc trahas; sed ex* libertatis *potius notione disputandum est; repeto igitur, quae iam dixi:* παντα μοι εξεστι· (emphasi iam nunc ad voc. εξεστι reuocata, quae paullo ante voci παντα magis inesse videbatur). Sed recte Paullus istas ambages, quibus nos ad sensum illustrandum vsi sumus, omisit, ne languida euaderet oratio. Hunc vero obiectionis iterum repetitae sensum adstruit responsio Paullina: αλλ' — τινος, *at vero* (*vt ex* libertatis *capite inuicem disputemus*), *equidem, personam tuam sustinens, huius ipsius* libertatis, *quam adeo vrges, tuendae causa, omnia ista vitia, modo commemorata, eo sollicitius effugerem, quippe quae me eadem priuare, et in seruitutem redigere possint.* Ουκ υπο τινος, ex hebr. איש לא, quod de rebus non minus ac de personis adhibetur, inter se iungenda, et sumenda sunt pro: υπ. ουδενος sc. πραγματος s. παραπτωματος. Εξουσιαζειν est *dare* vel *habere licentiam;* pass. εξουσιασθηναι, *sub alterius potestatem redactum esse;* med. εξουσιαζεσθαι, *tradere se in potestatem alterius.* Lusit Ap. in eadem origine verbb. εξεστι et εξουσιασθησομαι. Εγω, vbi sensum spectaueris, impersonaliter intelligendum est. Sed consulto Paullus dixit εγω, vt, seruato obiectionis tenore, aduersario, dubio vix prolato, e vestigio quasi suggerat, et insusurret, quae, vel se non monente, ad illud refutandum, ipsemet sibi respondere debuisset. "*Ich bin frey!*" *aber um so weniger lasse ich mich auch von irgend etwas unterjochen!*

ἡ κοιλία τοῖς βρώμασιν· ὁ δὲ Θεὸς καὶ ταύτην καὶ ταῦτα καταργήσει. τὸ δὲ σῶμα οὐ τῇ πορ-

13. Aduersarius, quem, huius argumenti vim sentientem, nec amplius habentem, quod regerat, valde dispudet, sic verba data esse sibi, verbis, τα — βρωμασιν, ad alium, et quidem, cum de reliquis vitiis excusandis desperet, *voluptatis* potissimum exculpandae praetextum confugit; (quanquam non multum repugnauerim, si et obiectionem praecedentem παντα μ. εξεστ. huc reuocari malueris). Βρωματα, *alimentum quoduis.* Κοιλια, a κολος *cauus, conuexus*, (vnde et *coelum*, ad cuius voc. vim propriam respiciens *Virg.* dicit: *coeli conuexa tueri*), pro σωμα omnino, (vid. quae seq.); sed maluit designare *ciborum* potissimum receptaculum, την (ανω) κοιλιαν vel στομαχον, quia de *cibis* sermo est. Ἡ κοιλ. τ. βρωμ. supplendum est ανηκει. vid. *I. G. Schwarz.* de soloec. antiq. p. 124. Iam eadem sententia, quae verbis τα βρωμ. τ. κοιλ., *cibi corpori destinati sunt*, continetur, statim inuertitur seu reflectitur verbis proxime sequentibus και ἡ κοιλ. τ. βρωμασ. *et corpus cibis destinatum est*, ad augendam in vniuersum vim sententiae huc reuocandae: *corporis humani ita comparata est natura*, vt nullo modo *cibis carere possit.* Quae quidem sententia, siue prouerbialis, siue, quod praetulerim, a ciborum licitorum et illicitorum discrimine haud statuendo huc translata, siue aliunde exorta sit, applicatione, (quam tamen, vtpote Christianis satis notam, Ap. omittit), h. n. vbi statim de πορνεια sermo est, indiget hac: *veneris ac ciborum appetitus vna eademque est natura, siquidem vterque satiari debet; quodsi igitur cibis vesci nobis licet, ad ciborum adpetentiam explendam, et scortatio licita sit necesse est, ad voluptatem restinguendam.* Nos fere sic: *Geschlechtstrieb, und Trieb zum Essen und Trinken haben einerley Moralität.* Possint vero etiam singula sigillatim spectari sic: τα βρωμ. τ. κοιλ., *cibi*, (*quos Deus nobis large suppeditat*), *corpori nutriendo destinati sunt*; και ἡ κοιλ. τ. βρωμασ., *corpus vicissim ciborum sumendorum necessitati adstrictum est*; vnde, facta applicatione, sensus prodiret hic: *vti ciborum adpetentiae obnoxii sumus* (ἡ κοιλ. τ. βρ.), *atque adsunt, vnde haec adpetentia expleatur*, (βρ. τ.

νείᾳ, ἀλλὰ τῷ Κυρίῳ, καὶ ὁ Κύριος τῷ σώ-

κοιλ.); *sic etiam libidines ab hominum natura segregari nequeunt, iisdemque satisfaciendi potestas nobis facta est:* suppl. *ergo tam in eo, quod libidines nobis a natura insitae sunt, quam in opportunitate iis satisfaciendi, duplex latet vagae libidinis excusatio.* Quodsi vero haec fuisset Ap. mens, eum sententias illas τ. βρωμ. τ. κ. et ἡ κοιλ. τ. β. ordine inuerso, (quo et ipso eas modo reddidimus,) prolaturum fuisse crediderim. Praeterea etiam obiectio sensu posteriori non prorsus quadrat ad responsionem Paullinam mox sequentem. Quare praefero explicationem priorem. Subiungitur iam nunc ab aduersario aliud libidinis ab ignominia et reprehensione vindicandae argumentum: ὁ δὲ Θεὸς κ. ταύτην (κοιλιαν, i. e. το σωμα ἡμων), και ταυτα (βρωματα) καταργησει, (i. e. *efficiet, vt cessent.* Matth. 22, 30.) Sensus, loci nostri contextus ratione habita, vel est hic: *vti ciborum et corporis, sic et veneris vsus post mortem cessabit; cur igitur voluptate inde promanante temperare mihi debeam, prorsus non video;* ita vt omnia redeant ad notum illud *Epicuri: ede, bibe, lude* etc. vel hic: *vti cibo-rum vsus, ac corpus eodem indigens, sic et voluptas ad hanc tantum vitam spectat, in qua corpore induti, ac libidinibus obnoxii sumus; quodsi igitur ea, dum viuimus, frui nolimus, omni voluptas fine ac scopo careat, nec, quorsum nobis insita sit, appareat.* (Nos: *das Alles hat eine physische, auf dieses Leben eingeschränkte Bestimmung*). Et hic sensus prior melius procedere et arctius cum responsione Ap. v. 14. cohaerere videtur. Iam Paullus ad obiectionem priorem, quae verbis τα βρωμ. — βρωμασι continetur, respondet inde a το δε σωμα — τῳ σωματι, quae ad v. 14. reiici debuissent, vt v. 13. obiectionem aduersarii, v. 14. vero responsionem Paullinam seorsim continerent. Sensus est: *corpus nobis minime concessum est, vt, sicuti ciborum adpetentiae, ita et veneri inseruiamus, sed corpus ad Christum, et Christus ad corpus pertinet;* (quae quidem, apte ad obiectionis structuram, iterum per eiusdem phraseos inuersionem expressa sunt, quo minus responsio vi ac emphasi obiectioni cederet), i. e. *corporis potius vsus ad Christi praecepta adstringendus est,* vel, si

14 ματι· ὁ δὲ Θεὸς καὶ τὸν Κύριον ἤγειρε, καὶ
15 ἡμᾶς ἐξεγερεῖ διὰ τῆς δυνάμεως αὐτοῦ. Οὐκ
οἴδατε, ὅτι τὰ σώματα ὑμῶν μέλη Χριστοῦ

VARIAE LECTIONES.

14. ἡμας pro ὑμας ABCDEI. (hiat. G.) 17. 23. 57. (c. al. 7.) 72. 73. 80. Alii. Matth. a. al. 13. Ed. (etiam St. 3.) Syr. vtr. Copt. Slav. Vulg. It. Method. Antipater bostr. Chrys. (etiam in Matth. 2, 7.) Theodoret. Damasc. Theoph. Oec. Iren. Tert. caeterique lat. probb. *Griesb.*, *Knappio*, *Vatero*; al.

malueris: *cupiditatibus ac libidinibus, quibus natura corporea, sensibus addicta, ansam praebet, constringendis et coërcendis ad virtutis Christi fastigium ascendere debemus.* Satis bene *Chrysostomus*, habita v. 15. ratione, sic interpretatus est: ου γαρ δια τουτο κατεσκευασθη, ινα ασωτως ζῃ, και πορνευῃ, — αλλα ινα τῳ Χριστῳ επηται ὡς κεφαλῃ, και ὁ κυριος τῳ σωματι επικεηται. Cf. Eph. 5, 23.

14. Commate hoc Ap. ad obiectionem secundam ὁ δε Θεος — καταργ. v. 13. respondet sic: ὁ δε Θεος και (ὡς) τ. κυρ. ηγ. και (οὑτω και) ἡμας (τα σωματα ἡμων) εξεγ. δ. τ. δ. α. *vti vero Deus dominum nostrum e morte in vitam reduxit, ita et corpora nostra, per eandem illam potentiam, olim vitae restituet*, suppl. *quei igitur contendere sustinetis, corpus nostrum post mortem protinus perire, adeoque nos eo, dum viuimus, pro arbitrio vti posse?* De mortuorum resuscitatione, ac de argumento, quod ad eandem tuendam, ex resurrectione I. C. ab Ap. desumitur, vid. ad cap. XV. Quam singularem vero *Bengelius* hic verborum εγειρειν et εξεγειρειν distinctionem effinxerit, vide apud ipsum. Plura de nexu sensuque vv. 12 - 14. exhibebit Exc. IV.

15 — 20. Ap., aduersarii obiectione v. 13. refutata, in tractationem de scortatione fugienda delapsus, plura nunc promit argumenta, ad Corinthios ab hoc flagitio reuocandos, quorum *primum* v. 15 — 17. inde desumtum est, quod arctissimum illud vinculum, quo Christus cum discipulis suis coniunctus sit, hoc scelere perpetrando prorsus soluatur et disrumpatur. Ante omnia, si in hoc loco interpretando accurate versari volumus, metaphora, qua Paullus hic vtitur, ex tot locorum similium contextu, Eph.

ἐστιν; ἄρας οὖν τὰ μέλη τοῦ Χριστοῦ, ποιήσω

VARIAE LECTIONES.

15. ἀρα pro ἄρας hic primus ex coniectura restituit *Bosius* in exerc. philol. p. 133. legens ἀρα οὖν: *num igitur, quae sunt Christi membra, faciam, vt sint membra meretricis?* Coniecturam postea codd. confirmauerunt: 39. ex emend. 46. 47. 57. (c. al. 6.) 67. a pr. m. 72. ex emend. 73. 74. al. 8. Matth. x. ac nonnulli alii (d. e. m. n.), sed litera ς per rasuram sublata. Probauerunt lect. ἀρα *Küsterus* in ed. N. T. Millii renov. et *Valckenar.* ad l. n., tum quia ἄρας nullum hic sensum admittat, quem tamen satis commodum nobis eruisse videmur; tum quia ἄρας inusitatum, ἀρα vero sequente vocula οὖν saepius in Paullinis adhibeatur; nisi ob id ipsum ἄρας in ἀρα transmutatum est. Quare praeter criticos antiquiores, etiam recentiores, Griesb., Knappius, Vaterus, al., ἄρας tanquam primam Paulli manum retinuerunt.

1, 22. 23. 4, 15. 16. 5, 30. Col. 1, 18. Rom. 12, 4. et infra 12, 12. 27. sic explenda videtur: ουκ οιδατε, ότι ὁ Χριστος συν τοις Χριστιανοις (s. συν τη εκκλησια) ἓν σωμα εστιν, οὗ ἡ κεφαλη ὁ Χριστος, οὗ δε τα λοιπα μελη σωματα ὑμων εστι; ἀρας ουν τα μελη του Χριστου, i. e. το σωμα εμον, ὁ εστιν εκ των μελων του σωματος Χριστου, (s. του σωματὸς, οὗ ὁ Χριστος ἡ κεφαλη εστι), ποιησω αυτο μελος της πορνης; μη γενοιτο. Reddiderim, seruata metaphora, fere sic: *an adhuc ignoratis, (an negligere et parui facere audetis), corpora vestra, Christi membra quasi propria esse debere? Ego-ne igitur ausim haec Christi membra surripere quasi suo domino, atque in scorti profani et turpis potestatem transferre? absit.* A tropo autem, in quo vnica *arctissimae cum Christo eiusque religione coniunctionis* notio tenenda est, vbi recesseris, sensus remanet hic: *ex quo Christo nomen dedistis, religioni eius colendae ita vos totos tradere debetis, vt et corporis vsum ad praecepta eius quam accuratissime conformare, membraque vestra sanctis tantum ministeriis dicare haud recusetis; minime vero iisdem ad scortationem abutamini.* Sensu iam sic constituto, (quo locus noster non multum differt a verbis το δε σωμα — τῳ σωματι v. 13.) satis apparet, Paullum consulto non ὑμεις, (vt alibi hoc nexu), sed τα σωματα ὑμων dixisse, vt et corporis, quod adeo contemnendum putabant aduersarii v. 13., sanctum et iustum vsum ad virtutem

16 πόρνης μέλη; μὴ γένοιτο. Ἢ οὐκ οἴδατε, ὅτι ὁ κολλώμενος τῇ πόρνῃ, ἓν σῶμά ἐστιν; (ἔσον-

chr. pertinere, ostenderet. Αρας, vbi per *capere, sumere* reddideris, ex hebr. לקח Gen. 30, 9. pleonastice positum esse, vel agendi tantum initium indicare, videri possit, vt in istis *Philonis* p. 144. αρας εβατιζεν, et *Heliodor.* p. 186. αραντες ηλαυνον, a Cel. *Matthaei* huc allatis; quanquam et in his locis verbo αιρειν propria sua vis constare potest; quodsi vero αιρειν, vt hebr. נשא, הסיר, העלה, *auferendi*, et *loco suo mouendi* sensu sumseris, (*Hes.* αιρει· κατα κρατος λαμβανει.) commode ad verbum reddi potest: *eripiamne Christi membra, et ad meretricem transferam?* ita vt verbo αρας simul *praefractae procacitatis*, qua quis se a Christo, i. e. a religione eius colenda, auellit, notio inferatur. Est simile loquendi genus *Epicteti* ench. c. 2. αρον ουν την εκκλισιν απο παντων των ουκ εφ' ἡμιν και μεταθες επι τα παρα Φυσιν των εφ' ἡμιν. Quare non est, quod αρας in αρα transmutemus. (vid. var. lect.). Ceterum αρας et ποιησω impersonaliter sumenda sunt. Μη γενοιτο, חלילה ואת, est formula sententiam improbantis et auersantis, et Graecis, inprimis *Epicteto*, satis trita.

16. 17. Amplificatur sententia v. 15. commemoranda grandi pietatis iactura, quam faciant ii, qui spreta cum I. C. arcta illa coniunctione, i. e. spreta religionis chr. ad animum emendandum vi salutari, scortationi et impudicitiae sese emancipent. Κολλασθαι, vt προσκολλασθαι Eph. 5, 31. respondent hebr. דבק, Gen. 2, 24. (vnde et locus, qui sequitur, desumtus est), et proprie valent *glutine iungi*, (a κολλα, *gluten*), metaph. vero *adiungi, associari* omnino. Eodem nexu, vt hic, etiam legitur Ruth. 2, 8. et Sirac. 19, 12. Ἑν σωμα εστι, ex v. 17. i. q. ἓν εστι συν αυτῃ κατα το σωμα, ita, vt in voc. σωμα non minus atque alias in voce σαρξ, quae paullo post occurrit, vi oppos. πνευμ., praeter *corporis*, simul *vitiositatis*, ex sensuum illecebris oriundae, notio tenenda videatur. Verterim: *nonne, qui rem habet cum meretrice, illecebris eius adeo capi ac tam arcte ei adiungi solet, vt vnam quasi cum ea personam, eamque vt christianae virtutis nesciam, sic foedae libidini addictam constituat?* Sententiam prolatam confirmat effato Gen. 2, 24. ab vxore ad meretricem, tanquam vxorem vsurariam, translato. Φησιν, sc.

ται γὰρ, φησὶν, οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν*) ὁ δὲ 17
κολλώμενος τῷ Κυρίῳ, ἓν πνεῦμά ἐστι; Φεύ- 18
γετε τὴν πορνείαν. πᾶν ἁμάρτημα ὃ ἐὰν ποιήσῃ

ἡ γραφη, quae est V. T. allegandi formula parum sollennis. Εις σαρκα μιαν, לבשר אחד, pro nominat. σαρξ μια, s. σωμα ἑν, i. e. לאחד s. ἑν εσονται, *arctissimo inuicem vinculo coniuncti sunt*, sensu, vbi apostoli mentem spectaueris, supra prolato.

17. Comma hoc, cum, verbis εσονται — μιαν, v. 16. parenth. inclusis, adhuc pendeat ab ουκ οιδατε, v. 16., per interrogationem enunciandum est. Ὁ — κυριῳ, *nonne contra qui Christo deditus est, eiusque praeceptis morem gerit*, ἑν πνευμα εστι, pro ἑν εστι συν αυτῳ κατα το πνευμα, *animo arctissime cum eo coniunctus est?* i. e. *in idem mentis sanctae propositum consentit, et animi nobiliorem perfectionem adipiscitur?* (quasi καρδια και ψυχη μια συν αυτῳ εστι. Act. 4, 32.). Similis est sententia Ioh. 3, 6. Neque tamen repugnauerim vbi formulam κολλασθαι τῳ Κυριῳ, ex ipso Gen. l. c., sensu ne minimum quidem mutato, ad *maritale coniugium* referri maluerie, in cuius similitudinem arctum illud pietatis et reuerentiae vinculum, quo Christiani cum Christo iunguntur, saepius ab Ap. vocatur. cf. 2 Cor. II, 2.

18. Pergit Ap. ad *alterum* scortationis fugiendae argumentum, idque, ex vulgari interpretatione, a valetudinis damno petitum, quod corpori inferat. Φευγετε, oppon. τῳ κολλασθαι τῃ πορνῃ. Πορνεια et πορνευων de *scortatione omnino* intelligenda sunt. Παν, vt כל, ex populari dicendi genere, saepe de *multis* s. *plerisque* adhibetur, vt c. 8, 1. Matth. 4, 24. Ies. 24, 10. alibi. Ὁ εαν, sic iuncta frequenter in N. T. et ap. Alex., non item vero in scriptoribus graecis antiquis occurrunt, quo mouetur suspicio, hunc scribendi morem e dialecto Macedonica petitum esse. Neque tamen εαν sic iunctum semper redundare, sed interdum non minus atque αν latinum *cunque* indicare putauerim, ita vt παν — ανθρ. sit: *omne peccatum, quodcunque tandem* (ὁ εαν) *aliquis commiserit.* cf. Marc. 8, 35. 38. Rom. 9, 15. 16, 2. Ανθρωπος, ex hebr. איש pro τις. Εκτος τ. σωμ. εστ. phrasis late patens, ex oppos. εις — ἁμαρτ. sumenda pro: ουκ εστιν ἁμαρτ. εις το ιδ. σωμα, *magis aliis, quam ei, qui peccat, nocet.* Ὁ — ἁμαρτ. *scortator vero in suum corpus iniurius est*, quo sensu

ἄνθρωπος, ἐκτὸς τοῦ σώματός ἐστιν· ὁ δὲ πορ-

haec phrasis de cinaedis potissimum obuia est ap. *Aeschinem.* in Timarch. p. 176. εγω γαρ ὁσα μεν παις ων εις το σωμα το ἑαυτου ἡμαρτηκεν, αφιημι. Ibid. p. 197. huius generis homines vocantur οἱ ταις ἡλικιαις και τοις ἑαυτων σωμασιν ου καλως κεχρημενοι, et paullo post οἱ εις τα σωματα ἡμαρτηκοτες. Verbum ἁμαρτανειν εις τινα s. εις τι nimirum (vt hebr. חטא cum ל Gen. 20, 9. Iud. 11. 27. 1 Sam. 19, 4. quod Alex. haud raro per αδικειν interpretati sunt, Gen. 42, 22. Ier. 37, 17.) valet *iniuria afficere*, *officia alteri* (siue personae siue rei, h. n. corpori), *debita violare.* Hinc sensus prodit hic: *Pleraque peccata, quae ab aliquo perpetrantur, extra corporis ipsius iniuriam fieri solent, et peccati quasi peregrinam materiam occupant; at vero omnis scortator, suum ipse corpus proxime ac immediate iniuria afficiens, robur et valetudinem eius imminuit.* Quae tamen sententia non ad summam ακριβειαν reuocanda est, quasi vinolentia, intemperantia, et i. g. a. vitia non item iis ipsis noceant, qui iis dediti sint; sed potius inde spectanda, quod nobis vel exhortantibus vel dehortantibus saepius accidere solet, vt, sicuti virtutem, ad quam iam nunc potissimum alios excitare satagimus, omnium longe praestantissimam, ita vitium, a quo ipso perpetrando alios reuocare conamur, omnium atrocissimum et perniciosissimum vocemus, licet, vbi omnia morose vrgere velimus, virtutes praestantiores vitiaque pernicioșiora cogitari possint. Sed licet per se verissima, et loci contextui conuenientissima sit sententia sic eruta, (qua et *Socrates* ap. *Xenoph.* memor. 1. 5. 3. de quauis intemperantia fugienda vtitur), magis tamen nos mentem Paulli, qui vitiorum atrocitatem alias non tam ex incommodis externis, quae inde oriuntur, quam potius magis pie, ex laesa hisce vitiis perpetrandis hominis christiani dignitate metiri solet, assequutos esse arbitremur, vbi, vv. 18 et 19. arcte inter se iunctis, ἁμαρτανειν (vid. supra), ad neglecta officia corpori nostro, tanquam templo diuino, debita, retulerimus sensu hoc: *scortator suum ipsius corpus profanat, quippe quod, vt scimus omnes, templum est Deo sacratum,* i. e. *corporis sui, sanctis tantum ministeriis dicati, dignitatem et praestantiam imminuat.* Sed iudicent me intelligentiores. *Grotii* vero et *Kypkii* sententia, ex quo

νεύων, εἰς τὸ ἴδιον σῶμα ἁμαρτάνει. Ἢ οὐκ 19
οἴδατε, ὅτι τὸ σῶμα ὑμῶν ναὸς τοῦ ἐν

VARIAE LECTIONES.

19. τα σωματα loco το σωμα hab. Al. 17. 23. 37. 39. 46. 55. 57. (c. al. 3.) 67. ap. Birch. 72. al. 11. Ex Mosqq. 8. Copt. Arm. Syr. p. Slav. Or. bis, Method. Didym. Seyapion. Bas. Cyr. vtr. Pseudo Ath. Maximus. Antiochus. Damasc. Theophyl. Hier. Aug. saepe. Vigil. taps. Ambrst. *membra vestra*, Vulg. Aug. semel. (alibi *corpus.*) Ambr. Pel. Fulgent. Beda. Praeterea quoque forma sing., qua insuper σωμα in proxime praecedd. et seqq. legitur, aliquanto rectius ad ναος quadrare videri possit, nisi ob id ipsum σωματα in σωμα transmutatum esse dixeris. Coniectura Semleriana, lectionis varietatem inde deriuans, quod in graeco nomen nullum exstiterit, sed repetendum fuerit ex superiori, iusto audacior videtur.

ανθρωπος ad *virum*, πορνευων vero ad *cinaedum* restringitur, qui sensu tantum non verbali εις το ιδ. σωμ. ἁμαρτανει, cui oppositi reliqui homines flagitiosi εκτος του σωματος peccent; licet aliquo saltem modo cum veteris aeui in dicendo simplicitate, non ex hodiernis verecundiae praeceptis spectanda, minime vero cum reliquo loci contextu, vbi disertis verbis in proxime superioribus της πορνης mentio fit, conciliari potest. Ad quas, ceterum argutias, vix ferendas, tam patres, quam alii veterum interpretum, praecipue vero *Bengelius*, in h. commate explicando descenderint, vide apud ipsos.

19. Sequitur *tertium* impudicitiae dissuadendae argumentum, ex corporis christiani dignitate ductum; nisi v. 19. cum v. 18. in vnum idemque argumentum iungi malueris. (vid. ad v. 18.) Το σωμα ὑμων, (quod collectiue sumendum est pro τα σωματα, cf. var. lect.) et hic, vt v. 15., consulto dicit loco του: ὑμεις, ad *corpus* humanum simul ab aduersariorum vituperatione v. 15. defendendum. Του εν ὑμιν, sc. οντος s. ενοικουντος. Ου, pro ὁ, pertinet ad voc. πνευμα. Εχετε απο τ. Θ. pro ελαβετε α. τ. Θ. s. εδωκεν ὑμιν ὁ Θ. quod *Deo acceptum refertis.* Και – ἑαυτων, resolv. per: και ὁτι δια τουτο ουκ εστε ἑαυτων sc. κυριοι, s. ου δει ὑμας ζην ἑαυτοις. Rom. 14, 7. 8. *non estis vestri iuris*, s. *non pro arbitrio viuere debetis.* (*Ihr seyd nicht euch selbst überlassen*). Reliqua vberius explicata lege ad 3, 16. Iam Paullus, pro com-

ὑμῖν ἁγίου πνεύματός ἐστιν, οὗ ἔχετε ἀπὸ
20 Θεοῦ, καὶ οὐκ ἐστὲ ἑαυτῶν; Ἠγοράσθητε

muni aeui istius, de spiritu sancto cum hominibus per ipsum Deum communicando sententiae innutritus, absque dubio sic intelligi vult: *inest vobis, praeter mentem humanam, et, succurrens ipsi, diuinae particula, cui totos vos regundos permittere debetis, neque adeo corpore vestro pro arbitratu tam turpiter abutendi, vobis superest potestas;* vnde nobis, priscae istius notionis origines non negligentibus, sensus remanet hic: *habetis praeterea, quod neminem vestrum fugere potest, in corpore vestro mentem sanam, eamque, vti recti honestique amore ac studio, sic eius explorandi et persequendi facultate ac viribus instructam, ac, interueniente summo Numine, vestro pietatis studio promouendo, singulari modo, ac praecipue religionis chr. beneficio vobis impertiendo, benignissime prouidente, mirifice adiutam, qua prorsus vos indignos reddetis, si et in posterum, pro sensuum arbitrio, foedae impudicitiae inseruire velitis.* vid. ad 3, 16.

20. Verba *ηγορ. γαρ τιμ.* vel iungenda sunt commati 19., ita vt Ap. sententiae ibi ex proxime praecedentibus *η ουκ — Θεου* deductae: Christianos *ουκ ειναι ἑαυτων*, verbis nostris nouum argumentum subiunxisse videatur; vel verba *και ουκ εστε ἑαυτων* a v. 19. diuulsa, cum *ηγορ. γ. τιμ.* in nouam fugiendae impudicitiae paraenesin iungi debent. Praefero prius (vid. ad v. 19.). Quicquid vero statuis; nouum, idque *quartum* verbis *ηγ. γ. τιμ.* inest ad scortationem fugiendam argumentum hoc: *non estis vestri iuris v. 19. sed Christus potius, qui pretio soluto vos e seruitute redemit, ius tenet in vos; quare et corpore vestro ex praeceptis eius vti debetis v. 20.* Αγοραζειν expl. vide ad 2 Petr. 2, 1. coll. 1 Petr. 1, 18. Τιμης additum est *vel* ex pleonasmo, pro more Hebraeorum, (qui verbis קנה et לקח redundanter addere solent במחיר, s. בכסף, quas quidem phrases Alex. ad verbum reddunt per *αγοραζειν εν τιμη* s. *τιμης*, et *αγορ. εν αργυριῳ*. cf. 1 Chron. 21, 24. 2 Chron. 1, 7. Prov. 20, 17. Ies. 24, 2.) *vel* ad verbi *αγορ.* vim augendam, quo consilio tam Graeci quam Latini *τιμης* et *pretio* emen-

γάρ τιμῆς· δοξάσατε δὴ τὸν Θεὸν ἐν τῷ

di verbis addere solent. Exempla *Wetst.* collegit, quibus adde *Herodot.* l. 7. p. 479. κτηνεα σειτευον, εξευρισκοντες τιμης τα καλλιστα. vbi vocc. τα καλλιστα et εξευρισκ. satis declarant, voci τιμης emphasin inesse. Hinc etiam *Lutherus* cum patribus eat multis reddidit: emti estis *magno pretio*, quod Petrus quasi interpretatur 1 ep. 1, 19. τιμιῳ αἱματι. In tanto, quod Ap. alias morti I. C. tribuit, momento, equidem praefero posterius. Iam sensus Paullinus huc redit: *Christus, soluto magno mortis* (seu, si malueris, *vitae*) *pretio vos a peccatorum saeua tyrannide redemit*, siue, tropo remoto: *Christus morte sua, quam, sacrificii instar, pro nobis perpessus est, nos a peccatorum suppliciis liberauit*; nisi h. nexu, quo de puriori cogitandi ac sentiendi ratione, cui Christiani studere debeant, sermo est, in voc. ηγορ. de Christianis a *peccandi libidinis* tyrannide redemtis cogitari malueris sensu hoc: *liberati estis religionis chr. sublimiore ac salutari instiutione, pro qua tuenda, firmanda, nobisque commendanda Christus vel mortem in cruce obiit, ab effrenata peccandi libidine, qua vos in seruitutem re-*

digi passi estis. Δοξαζ. τ. Θεον, est, quasi αυξανειν την δοξαν (כבוד) τ. Θεου, hebr. כַּבֵּד, *augere gloriam atque maiestatem diuinam*; quod cum fieri creditum sit quouis pio Dei cultu, δοξαζειν τ. Θ. hinc omnino valet: *colere Deum*, alias σεβεσθαι, λατρευειν; nisi hoc verbum, ex eodem etymo, cum *Koppio* ad Rom. 1, 21., sensu non mutato, explicari malueris per: *colere, propter ipsas numinis virtutes*, voc. δοξα, כבוד, comprehendi solitas. Δη, vt αρα et ουν, hic vim *concludendi* e superioribus habet, et vel ad totam tractationem de *corporis* viribus recte adhibendis v. 13-20., vel ad verba proxime praecedentia, ηγορ. γαρ τιμης, pertinet. (vid. infra loci sensum). *Gloss. MS.* in cant. Script. μη δη· μη ουν. *Xenoph.* mem. 3, 4. 7. ιθι δη, εφη, εξετασωμεν τα εργα ἑκατερου αυτων. coll. *Diod. Sic.* p. 16. B. p. 174. B. p. 435. C. Vid. *Vigerum* p. 480-87. *Deuarium* p. 107. seqq. ed. *Reusmanni*, et praecipue *Irmisch.* exc. ad *Herodian.* 1, 5. 3. Tom. I. opp. p. 864. Εν τῳ σωματι ὑμων pro δια του σωματος ὑ. s. magis graece: τῳ σωματι ὑμων καλως χρωμενοι, *sancto corporis vsu.* Και — Θεου, si genuina sunt

σώματι ὑμῶν.

VARIAE LECTIONES.

20. In fine huius comm. verba: και εν τῳ πνευματι ὑμων, ἁτινα εστι του Θεου· omitt. ABC. a. pr. m. D a. pr. m. EFG. 17. 46. 71. 67. ex emend. Copt. Aeth. Vulg. It. Method. ap. Epiph. Didym. Cyr. Maximus. Damasc. Tert. quater. Cypr. Iren. Ambrst. Latini omnes teste Sabatier. (ἁτινα εστι τ. Θ. omitt. Auctor in Iobum ap. Orig.) probb. *Millio* et *Griesb.*, reprob. *Matth.* Cf. comment. n.

verba, (vid. var. lect.) expediuerimus sic: και δια του πν. ὑμ., διοτι αμφοτερα εστι του Θεου sc. δωρηματα, s. διοτι αμφοτερα εχετε απο του Θεου. cf. v. 19. Πνευμα vero auctorem horum verborum, quisquis fuerit, non tam vi opp. σωμ. pro *animi viribus*, quam ex nexu cum v. 19. pro πνευμ. ἁγιῳ sumsisse arbitrer. Sensus est: *Quare* (sc. *cum tot vos hucusque argumentis ab impudicitia reuocare conatus sim*, vel, δη ad verba ηγ. γ. τιμ. restricto, *cum omnia illa mentis ac vitae sanctioris beneficia, quae per Christum nobis obtigerunt, Deo accepta referatis*), *vestram erga summum numen reuerentiam, iusto* (tam) *corporis* (quam πνευματος) *vsu*, (vtrumque enim est donum diuinitus vobis concessum,) *declarare debetis.* Ceterum verborum και εν — Θεου, γνησιοτητα sibi praecipue tuendam sumsit *Cel. Matthaei*, qui Viros doctos per cod. Al., Vulgatam Versionem Latinam, aliquot codd. graeco latinos, et patres Latinos nonnullos, qui omnes ex corruptissima versione vulgata corrupti sint, in errorem inductos esse ratus, vulgatam lectionem, cui codd. graeci, tam sui, quam reliqui omnes, *Theodoret.*, *Theophylact.* et *Oecum.* faueant, praeferendam censet, in quo *Wolfium*, veterumque interpp. plures, qui ad voc. πνευμα, vv. 17. 19. diserte commemoratum attendi volunt, secum consentientes habet. Et nobis quidem, quamuis ad huius sententiae morositatem prorsus accedere non possimus, auctoritas codicum, haec verba seruantium, auctoritatem omittentium nisi superare, saltem aequiparare videtur, sed proniores ad ea omittenda reddimur glossae specie, quam prae se ferunt, siquidem Paullum languidam istam vocis ὑμων repetitionem euitaturum fuisse existimauerimus scribendo sic: δοξ. δη τ. Θ. (και) εν τῳ σωμ. και (εν τῳ) πνευμ. ὑμ. κ. τ. λ. Quare et nos verba illa ab interpretibus profecta esse suspi-

Περὶ δὲ ὧν ἐγράψατέ μοι, καλὸν ἀν- Cap. VII, 1

camur, quorum alius, si coniecturae locus est, praeter rem sollicitus, ne Ap. cultum div., πνευματι potissimum declarandum, ad sanctum *corporis* tantum vsum reuocare videatur, ex vv. 17. et 19., vbi etiam του πνευματος mentio fit, magis pie quam docte verba και εν τῳ πνευμ. ὑμ., a loci n. contextu prorsus aliena, (siquidem hic, saluo spirituali Dei cultu, vnice de iusto *corporis* vsu sermo est, ad cuius dignitatem eo magis declarandam, corpus transeundo tantum του πνευμ. domicilium vocatur, ita vt contextum magis pro omittendis quam retinendis hisce verbis militare appareat), alius vero, ne cohortationis, in quam iterum repetendam tota abit disputatio, ponderi aliquid desit, phraseos οὐ εχετε απο του Θεου ratione habita, verba ἁτινα εστι του Θεου in margine addidisse videtur, vnde demum in textum irrepserunt.

Cap. VII. Pergit Ap. V., ad quaestionem *de matrimonii vtilitate et necessitate*, a Corinthiis per literas, in prolegg. et supra ad 5, 9. commemoratas, sibi propositam. Quaenam vero hac de re Corinthi obtinuerit sententiarum diuersitas, et vndenam potissimum originem traxerit, id quidem non satis liquet. Alii, praeeunte *Grotio*, controuersiam istam a philosophis et Corinthi motam esse suspicantur, quippe apud quos frequens fuerit quaestio: an sapienti ducenda sit vxor? in qua tamen diiudicanda in diuersas partes abierint. Ii enim, vt *Grotii* verbis vtar, qui omnia ad se referebant, considerantes quam parum commoda saepe sint mulierum ingenia, educatio liberorum quam molesta, quot periculis obnoxia, abstinendum a nuptiis censebant. Sunt in eam sententiam *Antiphanis* philosophi locus ap. *Stobaeum*, et dicta *Lycurgi*, *Thaletis*, *Socratis* et aliorum. Contra qui publicas spectabant vtilitates, dicebant reipublicae, sicut alia tributa et liberorum sationem deberi. Et in eam partem habes ap. *Stobaeum* dicta illustria *Musonii* et *Hieroclis*. *Menander* sic ait:

Γαμειν, εαν τις την αληθειαν σκοπῃ,
Κακον μεν εστιν, αλλ' αναγκαιον κακον.

Metellus Numidicus, in oratione, quam censor habuit: *Si sine vxore possemus, Quirites, esse, omnes ea molestia careremus.* Sed

2 θρώπῳ γυναικὸς μὴ ἅπτεσθαι. διὰ δὲ τὰς

quoniam ita natura tradidit, vt nec cum illis satis commode, nec sine illis vllo modo viui possit, saluti perpetuae potius, quam breui voluptati consulendum. Alii Iudaeo Christianos, qui matrimonii dignitatem et necessitatem iusto magis extollerent, huic controuersiae ansam praebuisse existimant; siquidem anno- tante *Ikenio*, (antiq. hebr. P. III. c. 1. §. 2.) et hodienum Iudaei eum, qui viginti annos natus, matrimonium nondum contraxerit, quamuis nec defectus quidam, nec assiduum legis studium obfuisset, in praeceptum diuinum peccare, contendunt. Alii denique, *Storrium* (l. l. pag. 35.) sequuti, Pseudapostolos fortassis, pro more plerorumque Iudaeorum de coniugii praestantia iusto intolerantius gloriantes, eiusdem necessitatem Petri et fratris Domini omniumque apostolorum exemplo, non sine Paulli caelibis sugillatione, commendasse statuunt; vnde Paullinorum cupiditas (vt cupidiores praeclari hominis admiratores vel ad externa adhaerescere amant), aliquos in alterum vitae caelibis, qualem Paullus viuebat, imitandae extremum praecipitare potuerit, vt vel sic suum apostoli studium declararent. Posterior haec ratio mihi quidem, prae caeteris, ex vv. 7. 8. cum 9, 5. collatis magnam veri speciem mutuari videtur (vid. infra). Cum vero sic, vel quouis alio modo, controuersia de matrimonio orta esset; nonnulli Ap. per literas consulendum censuerunt, quibus iam nunc hoc cap. respondet.

1—9. Primo quidem coniugibus sobrium mutui amoris exercitium 1-6., extra matrimonium viuentibus autem, vt tunc erant tempora, coelibatum commendat 7-9. Praepositio περι, cuius ope Ap. ad singula epistolae Corinth. capita sigillatim pertractanda transit, vnde eam in hac ep. inprimis frequentat, (v. 25. 8, 1. 12, 1. 16, 1.) h. n. semper valet *quod attinet ad*, Matth. 24, 36. Marc. 5, 16. Act. 21, 25. quo sensu περι et ap. Graecos, (*Xenoph.* de republ. Athen. init. περι δε της Αθηναιων πολιτειας ὁτι μεν ἑιλοντο τουτον τον τροπον της πολιτειας ουκ επαινω.) vt *de* ap. Latinos, (*Cic.* l. 2. epp. ad Fam. 17. de *rationibus referendis non erat incommodum, te nullam referre.* ibid. l. 3. ep. 12. *Terent.* Hecyr. 3, 3. 31.) et על ap. Hebraeos (Ruth. 4, 7.) occurrit. Καλον h. n.

πορνείας ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα.

non *honestum*, sed i. q. συμφερον v. 35., αμεριμνους ποιον v. 32. coll. vv. 26. 28., *satius*, *expeditius est*, (nos: *den Zeitumständen angemessen*;) cf. Matth. 17, 4. 18, 8. 26, 24. Marc. 9, 42. sqq. etc. Operae pretium est, Socratem (ap. *Xenoph.* mem. Socr. l. 4.) disputantem audire, quae ad quamque rem sint *vtilia* (χρησιμα) eidem ea *pulchra* (καλα) esse. Ap. nimirum, e locorum huiusce cap. allatorum contextu, non tam in eo est, vt de matrimonio, honestumne ac licitum sit, in genere praecipiat, quam potius vt amica cum Corinthiis suis, iisque christianis, consilia communicet, vtrum ipsis potissimum coniugum an caelibum vitae ratio calamitosis illis temporibus facilior sit atque expeditior. Quare *Hieronymus* (post *Tertullianum* de monog. c. 3.) imperite abusus est hac sententia ad vitae genus monachorum defendendum. Neque placent *Bengelius* et *Semlerus*, quorum ille locum nostrum ad *omnes omnino homines*, *etiamsi non sint christiani*, extendi, hic vero ad *ministros ecclesiae* restringi vult; quam quidem sententiam posteriorem *Chrysostomus* (comment. in N. T. Tom. 5. Hom. 19. p. 192. D.) iam refutauit. Ανθρωπος h. l. vi oppos. γυν., *vir*, *mas*, Tob. 6, 9. Marc. 10, 7. Matth. 19, 5. 10. 3. vbi *Kypkius* hanc significationem magis etiam firmauit locis his: *Aeschin.* c. Ctesiph. p. 296. πρεσβυτας ανθρωπους, πρεσβυτιδας γυναικας οψε μεταμανθανοντας ελευθεριαν. Test. XII. patr. p. 529. αἱ γυναικες ἡττωνται τῳ πνευματι της πορνειας ὑπερ τον ανθρωπον. pag. 530. κακεινοις δε εντειλασθε μη συνδυαζειν ανθρωποις. Quibus adde, voc. *homo* ap. *Plautum* Cistellar. act. 4. sc. 2. v. 57. (vbi *Taubmann*), eodem sensu venire, atque in iure dici: *si homo vel mulier*. Γυναικος απτεσθαι, (quod Paullus, si καλον — απτεσθαι Paullina sunt verba, vid. infra, ad imitationem hebr. נגע Gen. 20, 6. 21, 11. Prov. 6, 29. sic expressisse putandus est,) vti ψαυειν ap. *Philonem*, et lat. *tangere*, (vnde αθικτος κορη et *virgo intacta* ap. Graecos Romanosque), per ευφημισμον de coniugali aeque ac illicita cum muliere consuetudine a scriptoribus graecis et latinis adhiberi, magna locorum farragine confirmarunt *Wetstenius*, *Grotius*, *Loesnerus*, *Kypkius*, *Valckenar.* ad l. n., *Gatakerus* de stilo

ἐχέτω, καὶ ἑκάστη τὸν ἴδιον ἄνδρα ἐχέτω.

N. T. c. 11. item ad M. Antonin. de reb. suis p. 45. *Westerhovius* ad Ter. Eunuch. act. 2. sc. 3. v. 81. alii. Plures huius generis phrases verecundas vid. ad v. 5. Hoc nexu autem γυν. μη απτ. vi oppos. γυν. εχειν v. 2. i. esse videtur q. γυν. μη εχειν, *se matrimonio contrahendo abstinere, vxorem non ducere*, ita vt consequens, vti aiunt, positum sit pro anteced. An vero pro firmanda hac significatione, per se satis perspicua, exinde repeti possit praesidium, quod απτεσθαι τινος (e. g. απτεσθαι πραγματος, πραξεως, πολεμου, etc. ap. *Thucyd.*, *Plut.*, *Dion. Hal.*, alios, vid. *Steph.* thes. gr. l.) dicantur ii, qui omnino alicuius rei tractandae *initium faciunt*, in medio reliquerim, cum nostrae dicendi formulae paullo alia esse videatur ratio. Rectius fortasse affinis illi *capessendi* significatio, (e. g. απτεσθαι πολιτευματος, οπλων, των προς τον πολεμον, etc. ap. eosdem), in subsidium vocari posse arbitrer. Totum comma iam expleuerim fere sic: περι δε εκεινων, ὡν εγραψατε μοι, ου θελω ὑμας αγνοειν, (12, 1.), ότι καλον μεν ανθρωπῳ κ. τ. λ. *quod autem attinet ad ea, quae mihi scripsistis*, (nimirum, vtrum caelibatus praeferendus sit matrimonio, necne,) *scitote, omnino quidem caelibatum e re virorum esse; sed* etc. Quod vero de mare dicit, intelligi vult etiam de muliere, quam et ipsam satius esse putat abstinere a matrimonio. Ceterum Paullum verba καλον — απτ., a scribendi genere eius aliquantum aliena, ex ipsa quaestione a Corinthiis per litteras ipsi proposita, sua reddidisse putauerim. Totius vero loci contextus mihi quidem melius procedere videtur, vbi καλον — απτεσθαι pro verbis epistolae Corinthiorum, quibus in summam reuocarunt, quae sine dubio in epistolae contextu vberius declarauerant, huc transscriptis habueris, ad quae Paullus v. 2. seqq. demum respondeat, et, vocabulo ανθρωπος ad *virum* non minus quam ad *maritum* relato, formulam απτ. γυν. tam de matrimonio contrahendo, quam de ipso consuetudinis coniugalis exercitio intellexeris, ita vt sensus prodeat hic: *quod autem attinet ad ea, quae mihi scripsistis*: "*abstinentiam matrimonii e re virorum, vt abstinentiam consuetudinis coniugalis e re maritorum vobis videri*" (vel interrogatiue: *annon abstinentia modo commemorata e re*

Τῇ γυναικὶ ὁ ἀνὴρ τὴν ὀφειλὴν ἀποδιδότω· 3

VARIAE LECTIONES.

3. οφειλην pro οφειλομενην ευνοιαν exhibent A B C D E F G. 6. 17. 46. 67. ex emend. 71. Copt. Aeth. Arm. Vulg. It. Clem. bis. Or. bis. Method. Chrys. in comment. bis. Tert. Cypr. Ambrst. caeterique latini. — οφειλομενην τιμην Chrys. ed. et ms. qu. (etiam Matth. 2.) in textu et semel in comment. et hom. 7. in Matth. — οφειλομενην τιμην και ευνοιαν 49. ap. Mill. et Wetst. Vulgarem lectionem vero, quae nobis ex pio interpretamento oriunda videtur, habent omnes codd. *Matth.*, qui οφειλην e cod. Al. et ex vers. Vulg. in nonnullos libros irrepsisse, in illos autem ex Chrysost. commentario male intellecto per hominem ling. graece prorsus ignarum inuectum esse existimat, de qua coniectura vid. plura ap. ipsum.

virorum et maritorum sit? quasi ουχι καλον η κ. τ. λ.) *equidem tamen* (δε) *tam matrimonii* v. 2. *quam consuetudinis coniugalis* v. 3-6. *vobis auctor suasorque exstiterim.* Qua interpretatione admissa, primum loca illa 8, 1. 12, 1. 16, 1. in quibus *argumentum ipsum*, de quo ad Paullum scripserint Corinthii, diserte commemoratur, commati nostro magis respondent; deinde v. 3 seqq. habent, quorsum referantur; denique in aprico est, cur pro γαμησαι (v. 9.) hic legatur γυν. απτεσθαι.

2. Δια — πορνειας, *vitandas* scilicet, nam δια h. l. vt 10, 25. 27. seruit cautioni, ne quid fiat. Pluraliter vero dixit πορνειας, vt *varias* et *vagas* libidines exprimeret, Corinthi grassantes, ad quas facile illicerentur caelibes. cf. proleg. et 5, 1. 6, 9. Neque *Schoettgenii* spernenda est sententia, qui verba δια τας πορν.. tam nexui huius commatis cum v. 3., quam vsui loquendi formulae לשם זנות, locis ab ipso allatis abunde confirmato, reddi vult. *explendae libidinis causa.* Sensus, vtrimque spectatus, eodem redit. Εχειν, vbi de coniugio agitur et viro et mulieri tribuitur. vid. nos ad 5, 1. Quia vero Ap. κατα συγγνωμην, non κατ' επιταγην loquitur (v. 6.), εχετω per *habeat*, (*mag haben*), reddendum est. Ἑαυτου γυν. — ιδιον ανδ. In hac formularum variatione, quae et Eph. 5, 22. 25. deprehenditur, non argutandum est cum *Bengelio* aliisque, quasi ἑαυτου innuat dominium maritale, vtroque verbo autem excludatur omnis communitas, quae sit in polygamia; sed vtrumque pro simplici αυτου et αυτης positum

4 ὁμοίως δὲ καὶ ἡ γυνὴ τῷ ἀνδρί. Ἡ γυνὴ τοῦ

est, absque vlla emphasi. vid. ad 1 Petr. 3, 1. 5. Sensus est: *quo certius tamen scortatio et vaga libido caueatur, vnusquisque, per me licet, coniugem, vnaquaeque maritum habeat.* Cf. cum l. n. Hebr. 13, 4. *Dionys. Hal.* ars rhet. II, 4. ὁ γαρ γαμος ευθυς και σωφροσυνης δοξαν περιτιθησι τοις ανθρωποις, και οἱ τοιουτοι δοκουσι της μεν ατακτου μιξεως απηλλαχθαι, προς δε μιαν αφορμην μονην την ἑαυτου ἑκαστος γυναικα. *Lactantius* alicubi: *Quisquis affectus illos frenare non potest, cohibeat intra praescriptum legitimi tori.* Similiter *Chrysost.* γαμος ασφαλεια σωφροσυνης.

3-6. Respondet nunc Ap. ad alteram quaestionem, quae ex nostra commatis 1. explicatione in verbis καλον — ἁπτ. haud obscure latet; e vulgari autem v. 1. interpretatione hic suppleri debet, nimirum hanc: *annon ducta iam vxore rectius foret, ea non vti ad concubitum?* quae et ipsa non minus, quam quaestio prior de matrimonio declinando, e peruersarum et superstitiosarum opinionum de continentia et temperantiá commentis orta fuisse videtur. vid. supra. Ανηρ, pro *marito*, ita vt opponatur ἡ γυνη *vxor*. Marc. 10, 12. Luc. 2, 36. 16, 18. Iob. 4, 16. 18. Sirac. 4, 10. *Theophrast.* Char. 13, 3. *Xenoph.* mem. 2, 2. 5. *Theocrit.* Id. 30. *Etym. M.* ανδρα· τον γημαντα. Sic etiam *vir* legitur ap. *Terent.* Hecyr. act. 5. sc. 1. vbi *Donatus* et *Ruhnkenius* hanc voc. ad *maritalem conditionem, non ad sexum retulerunt.* Eodem modo איש, vbi refertur ad foeminam, maritum notat. Ier. 3, 1. Hos. 2, 7. Οφειλη ex propria *debiti*, seu *rei debitae* notione Matth. 18, 32. metaphoricam *debiti officii* significationem mutuat Rom. 13, 7., quod h. l. ad *officium mariti cum vxore concumbendi*, et nobis *debitum coniugale* dici solitum, reuocandum est. Lectio vulgaris οφειλ. ευνοιαν sensum prorsus eundem fundit, cum ευνοια aeque ac φιλοφροσυνη ap. *Plut.* et φιλοτης ap. *Homerum* (Il. β. v. 231.) aliosque (vnde *Hes.* εν φιλοτητι· εις συνουσιαν.) eodem sensu occurrant; id quod *Wetst.* et *Loesnerus* locis sat multis ostenderunt. Αποδιδοναι, cum officium illud ad *debiti* similitudinem reuocaretur, vocab. in hac re proprium est, cuius in amoris negotio etiam simpliciter hoc sensu vsurpati exemplum attulit *Alberti* ex *Aristoph.* Plut. act. 4. sc. 4. v. 1032. ουκουν καθ' ἑκαστην απεδιδου την νυκτα σοι sc. την οφειλην, s. το

ἰδίου σώματος οὐκ ἐξουσιάζει, ἀλλ' ὁ ἀνήρ· ὁμοίως

οφειλομενον. Sensus est: *vxori maritus, marito vxor debitum coniugale praestet.* Huic legi Paullinae simillima fuit lex Attica Solonis, quam recte comparauit *Gataker.* de styl. N. T. c. 11.

4. Sequitur ratio, cur debitum coniugale a neutro neutri denegandum sit; quare post ἡ suppleuerim γαρ. Εξουσιαζει σωματος, i. e. εξουσιαν του σωματος, vel εις το σωμα εχει, *ius habet in corpus alterius ad concubitum sibi expetendum.* Sic et Hebraei ברשותו esse dicunt eos, qui sunt *in potestate, quam coniux in corpus coniugis habet.* vid. locum a *Schoettg.* huc allatum. Sensus ex nexu cum v. 3. et 5. huc redit: *conditionis coniugalis ratione habita neque coniux corporis sui potestatem habet ipsa, sed ea est penes maritum; neque maritus ius in corpus suum habet, sed coniugi id competit:* vno verbo: *alter, post initum matrimonii foedus, ius in corpus suum concessit alteri;* suppl. *quapropter neuter neutri, concubitum appetenti, corpus suum recusare debet.* Quae quidem sententia, (fortassis ex Gen. 2, 24. coll. Matth. 19, 6. oriunda), Rabbinis satis trita, et addendis praefinitis coniugali debito variatim vicibus, ab ipsis exornari, vel potius deformari, solita erat. (vid. *Seldeni* vx. hebr. l. 3. c. 6 et 7.). Vtrum vero Paullus eam ad verbum intelligi voluerit, quae est vulgaris interpp. sententia, (vnde, ad l. n. a dubiis sciolorum vindicandum, regulam iuris in subsidium vocant, ex qua in re sociali nemo sociorum ius plenum habeat); an eam eo tantum consilio adhibuerit, quo penitius solius *beneuolae ac mutuae ad iura tori inuicem praestanda propensionis,* ab aegra et iusto sollicitiori laesae sic της εγκρατειας suspicione (vid. ad v. 3.), et a misera exempli caelibatus Paullini, quantum fieri poterat, vel intra matrimonii fines imitandi stultitia alienae, (vid. supra), notionem, apte ad opinionum iudaicarum commenta, exhauriret; in medio reliquerim, cum, quatenus Paullus, in hoc eruditionis mere iudaicae capite, Iudaeum iam exuerit, certo definire non ausim. Nobis saltem nostris temporibus purioris illa doctrinae sententia in h. l. vnice tenenda est. Vulgo autem hoc comma reddunt sic: "vxor non habet ius in corpus suum *ita, vt copiam sui facere possit, cui velit,* sed adstricta est marito, quocum matrimonium iunxit; sic vi-

δὲ καὶ ὁ ἀνὴρ τοῦ ἰδίου σώματος οὐκ ἐξουσιάζει,
5 ἀλλ' ἡ γυνή. Μὴ ἀποστερεῖτε ἀλλήλους,
εἰ μή τι ἂν ἐκ συμφώνου πρὸς καιρὸν, ἵνα

ce versa maritus in suum corpus non habet hoc ius, *vt rem habere possit cum qualibet*, sed adstrictus est vxori, quacum matrimonium iniit." At parum apte, si quid videmus, ad nexum cum v. 3. et 5.

5. Redit Ap. ad cohortationem v. 3. vberius explicandam. Αποστερειν, (de quo vid. ad 6, 7.) *defraudare*, optime congruit cum verbis *debendi* et *persoluendi* (οφειλ. et αποδιδ.) v. 3. *nolite vos inuicem defraudare* sc. *debito coniugali*, (της οφειλης), i. e. *nulla pars se contineat ab altera, altera inuita.* Maritus coniugi hoc debitum reddere nolens מורד על אשתו, *contumax*, s. *rebellis in vxorem suam*, vti vxor, sui copiam marito negans, מורדת על בעלה, *contumax*, s. *rebellis in maritum suum*, et מורדת מתשמיש, *contumax ob negatum concubitum*, vocari solebat. vid. *Selden.* l. c. Bene *Chrysost.* hom. 19. μη εγκρατευεσθω ἡ γυνη, του ανδρος ακοντος, μητε ὁ ανηρ, της γυναικος μη βουλομενης. Ει μη τι, (suppl. κατα τι), vel iunctim ει μητι, (quod ap. profanos auctores nusquam, et in N. T. praeter h. l. tantum legitur Luc. 9, 13. et 2 Cor. 13, 5.) vt hebr. אם לא, est *nisi forte.* Συμφωνον *consonum*, metaph. *consentiens.* Reperitur in vers. Al. Cohel. 7, 15. *Hes.* συμφωνον· ὁμοιον. Lex. *Cyrilli* MS. Brem. συμφωνον· ὁμοιον, ισον. εκ συμφωνου igitur i. e. q. εκ μιας γνωμης, εκ συμψυχιας, ισοψυχως; *nisi id fiat vtriusque partis consensu*; volenti enim, ex prouerbio, non fit iniuria. Quo minus autem coniuges christ. inter Corinthios, superstitione et falsa quadam religione abrepti, ex mutuo consensu *semper* secubare et in casto esse malint, Ap. addit: προς καιρον, alias προς ὡραν 2 Cor. 7, 8. Gal. 2, 5. προς καιρον ὡρας 1 Thess. 2, 17. (vt l. n. Syr. p. in m.) προς ολιγον Luc. 8, 13. i. e. *ad breue tempus*, idque iam nunc exemplo illustrat, verbis ἱνα — προσευχῃ, in quibus ἱνα pro *vt* retineri, sed etiam pro *quando*, ὁταν, sumi potest. cf. 4, 3. et 7, 29. Προσευχη vero ex nexu intelligi debet, non de precibus quotidianis, sed *publicis*, i. e. *diebus festis*, *s. in sacris sollemnibus peragendis fundi solitis*; quae preces, cum et ipsae, ex sententia Iudaeorum, in

σχολάσητε τῇ προσευχῇ· καὶ πάλιν ἐπὶ τὸ

VARIAE LECTIONES.

5. σχολασητε pro σχολαζητε exhib. ABCDEFG. 39. 46. 73. 74. 80. Or. bis. Dionys. alex. Chrys. alicubi. Isidor. pelus. Damasc. — τῃ νηστειᾳ και ante τῃ προσευχῃ omitt. ABCDEFG. 9. 10. 17. 29. 46. 47. 67. ex emend. 73. Copt. Aeth. Arm. Vulg. It. Clem. Or. quater. Method. Tatian. Dionys. alex. Ath. Auctor. synops. Isidor. pelus. Bas. Epiph. Cyr. vtr. Chrys. in Matth. 7. et in comment. Euthal. Theophyl. in comment. Oec. Cypr. Ambrst. Pel. Hier. Aug. Ambr. Cassiod. Siricius. Innocent. 1. Alii Habent Chrys. ed. et Matth. 2. in textu. Theodoret. in textu et comment. Theoph. in textu Cyr. alex. (ap. Beng.), qui alibi legit τῃ προσευχῃ και τῃ δεησει. — ητε pro συνερχεσθε ABCDEFG. 17. 46. 71. 73. Aeth. boern. Tatian. ap. Clem. Or. Dionys. alex. Timoth. Alex. (qui etiam συνερχησθε habet). Cyr. Damasc. Antonius et Maximus. estote, Aug. saepe. συνερχησθε. 46. ex emend. 57. (c. al. 4.) Alii. Matth. a. a pr. m. al. 8. Ed. (etiam St. 3.) Theodoret. Damasc. Oec. συνερχεσθε, lectio recepta, 41. 49. 70. Alii. Matth. a. ex emend. Ar. pol. Chrys. Theodoret. alicubi. Theoph. Alii. *reuertimini*, Syr. Erp. Vulg. Cypr. Hier. Aug. semel. Ambrst. Pel. Alii. *reuertimini t. sitis*, boern. γινεσθε, Clem. Tatian. Omitt. clar. germ. (cf. comment.).

variis Dei colendi rationibus praecipuum locum tenerent, pro *cultu diuino publico et sollemni omnino* hic positae sunt. cf. Matth. 21, 13. Act. 2, 42. 3, 1. 6, 4. Neque alio sensu νηστεια, צוֹם, sumi posset, si sana esset lectio, sed hoc additamentum vel inde oriundum videtur, quod preces omnino amant comitatum ieiunii, Matth. 17, 21. Marc. 9, 29. Act. 14, 23., vel inde, quod sciolus quidam, forma sing. προσευχῃ adductus, hic de magno expiationis die יוֹם הַכִּפֻּר Act. 27, 9., ieiunio non minus quam precibus celebrari solito, praeter rem cogitabat. Σχολαζειν τινι s. προς τι, respondet lat. *vacare alicui rei*, i. e. *vacuum ab aliis rebus animum omnem intendere in vnam rem bene tractandam*. Sic *Demosth.* p. 594. 16. ed. *Reiske*: εσχολακεν ἐνι τουτῳ παντα τον βιον. *Philo* de vit. M. p. 621. E. ουδεμιᾳ των αισθησεων σχολαζοντες. Xenoph. mem. 3, 6. 6. ουδε προς ταυτα πω εσχολακα. Cf. *Berglerum* ad Alciphron. epp. 1, 34. p. 146. et interpp. ad *Thom. M.* sub σχολην αγω, p. 829. seq. ed. *Bernard*. Ἵνα — προσ.

αὐτὸ ἦτε, ἵνα μὴ πειράζῃ ὑμᾶς ὁ σατανᾶς διὰ

igitur sibi vult: *quo magis in sollemnibus sacris obeundis cultui div., precibus et piis meditationibus peragendo, vacare possitis.* Et haec piae continentiae commendatio ex more tam iudaico quam ethnico petita est. Siquidem Iudaei castimoniam seruabant aut luctus causa, vt nos docet Paraphr. Chald. Eccl. 3, 5. et Matth. 9, 15., aut, vt ad sacrum sollemne se pararent, Exod. 19, 15. 1 Sam. 21, 4. *Tertullian.* l. 2. *ad vxorem*, dissuadens feminis chr. ne paganis nubant, inter alia incommoda et hoc adfert: *quis denique sollemnibus paschae abnoctantem securus sustinebit?* Ioma 8, 1. *Die expiationis interdictum est cibo et potu et ministerio lecti.* Ovid. met. 10. v. 431. 434. 35.

Festa piae Cereris celebrabant annua matres.
Perque nouem noctes Venerem tactusque viriles
In vetitis numerant.

cf. *Iuuenal.* 6, 534. *Tibull.* 2, 1. 11. Plura habet *Wetst.* Και παλιν, *et statim post eiusmodi interualla*, de quibus vid. *Seldeni* vx. hebr. l. l. Επι το αυτο ειναι, *simul vel in eodem loco esse*, pro quo *Plutarch.* ap. *Euseb.* praep. ev. p. 85. Φοιταν επι το αυτο, et *Pausan.* p. 868. ες το αυτο αφικεσθαι dixerunt, iterum est phrasis casta, hic ad continuatam *tori coniunctionem* referenda. Eodem et συνερχεσθε, si sana esset lectio, spectaret, cum et boni Graecorum scriptores praeter loquutiones verecundas illas: παρα γυναικα ελθειν, πλησιαζειν γυναικι et κορης ασσον ελθειν, (vid. *Valckenar.* ad 7, 1.) et ipsam συνελθειν adhibeant, (vid. *Kypkium* ad Matth. 1, 18.), pro qua Latini *conuenire*, (vid. *Burmannum* ad Ouid. A. A. 1. 73.) et Hebraei tam בוא quam קרב לאשה Gen. 19, 31. 20, 4. alibi (vid. *Fesselii* aduers. s. 2, 16.) dixerunt. Neutrum vero verbum ab Ap. manu profectum esse, sed postea alium aliud adiecisse, quae *Semleri* atque *Schulzii* sententia est, magnopere dubitamus, cum propter exiguum testium omittentium numerum, tum propter nimiam omissionis duritiem. Genuinum potius ητε in συνερχ. transmutatum putauerimus; quia hoc de re h. l. significanda solennius est. Πειραζειν, *ad peccandum incitare, corrumpere.* vid. Exc. 1. ad ep. Iac. De πειρασμοις του Σατ. autem cf. *Koppium* ad 1 Thess. 2, 18. Eph. 2, 2. et nos ad Iac. 4, 7. Ακρασια. Cum Aristoteli ακρατεις dicantur ii,

τὴν ἀκρασίαν ὑμῶν. Τοῦτο δὲ λέγω κατὰ 6

qui in bono proposito haud constantes, illecebris vitiorum succumbant; *Grotius* et voc. ακρασια h. l. de eadem animi infirmitate intelligi vult. Sic etiam *Aethiops*, annotante *Wolfio*, την ακρασιαν per eiusmodi vocem hic interpretatur, quae *corpus*, s. *carnem infirmiter temperatam* infert; probante *Castello* Lex. heptagl. s. v. חשה col. 3956. Neque tamen video, cur a vulgari *intemperantiae* in *libidine venerea* significatione recedendum sit, quam nexus hic requirit, quamque satis certam esse docuerunt *Salmas.* in praef. ad Ceb. tab. 4. *Periz.* ad Ael. v. h. 2, 21. *Irmisch.* ad Herodian. p. 279. Δια-υμων commutauerim cum εν τη ακρ. υμ. Sensus iam prodit hic: *ne Satan*, i. e. vbi a Iudaeorum opinione, quae Satanam omnium malorum et omnium ad peccandum illecebrarum auctorem statuebat, *ne praua concupiscentia vestra vos*, si vna pars non possit diutius ferre abstinentiam a matrimonii vsu, *seducat*, sc. ad concubitum cum aliena muliere exercendum, *cum tanta sit vestra in libidine intemperantia*. Bene et hic *Chrysost.* l. l. μεγαλα εκ της εγκρατειας τικτεται κακα. και γαρ και μοιχειαι, και πορνειαι, και οικιων ανατροπαι πολλακις εντευθεν εγενοντο. Catullus:

Nupta tu quoque, quae tuus vir petet
Caue ne neges: ne petitum aliunde eat.

Ialkut Simeoni 1. f. 295. *Qui sine vxore habitat — concupiscentia praua ipsum vincit, egrediturque cum ipso in plateam. Satan stat, ipsumque e mundo perdere cupit.* S. D. Gen. 4, 7. De cetero nostri aeui homines ex pl. n. *consuetudine coniugali saluo piae virtutis sensu frui* addiscant.

6. Formula τουτο λεγω tam ad ea quae praecedunt, quam, vt hebr. זה et אלה, ad ea quae sequuntur, spectare potest; cf. v. 29. 35. Hinc sunt, qui comma hoc ad v. 7. seqq. referri velint, neque id male; sed sententiarum ordinem melius procedere arbitrer, si v. 6. ad v. 1. seqq. referatur. (vid. versionem, v. 9.). Λεγω igitur pro ελεγον. Συγγνωμη vero vel ex significatione solenni est *indulgentia*, a συγγινωσκειν, *veniam dare, ignoscere*, Sirac. 3, 15. *Xenoph.* de rep. Ath. 2, 20. *Herodot.* 4, 5. *Euripid.* Phoen. v. 1012. *Suid.* συγγνωμη· συγχωρησις, vt κατα συγγ. sit: συγκαταβαινων τη ασθενεια υμων; vnde

7 συγγνώμην, οὐ κατ' ἐπιταγήν. Θέλω γὰρ πάντας ἀνθρώπους εἶναι ὡς καὶ ἐμαυτόν· ἀλλ' ἕκα-

VARIAE LECTIONES.

7. δε pro γαρ hab. A C D a pr. m. F G. 17. 23. 39. 46. Matth. d. It. demidov. Or. Cyr. Chrys. alicubi. Damasc. Tert. Cypr. Hilar. Ambrst. Hier. Pel. Ambr. Aug. Zeno. Alii. *Griesbachio* hanc lectionem receptae supparem iudicante; nisi, ex vv. 6. et 8—12., qui ad vnum omnes δε post primum vocab. habent, oriunda est. — Post εμαυτον add. εν εγκρατειᾳ Syr. vtr. Erp. Chrys. (etiam in Matth. 2. 7.) Theodoret.

Vulg. *dico hoc secundum indulgentiam*, nimirum vos matrimonium inire et coniugii iure recte vti posse; vel i. e. q. simplex γνωμη v. 25. *sententia*, *consilium*, ita vt κατα συγγνωμην positum sit pro κατα την εμην γνωμην v. 40. quod, Paullo ipso quasi interprete, praeferimus, (vid. vers. v. 9 subiunctam), quamquam sensus vtrinque prodiens sat bene procedit.

7. Θελω pro Θελοιμι, vel, vt Graeci loquuntur, ηθελον, ex idiomate linguae hebr. quae forma verborum optatiua caret. cf. Matth. 26, 39. Marc. 10, 35. Rom. 7, 15. Γαρ per *nempe* reddi volunt, qui v. 6. ad sequentia trahunt; pro δε accipiunt, (vid. var. lect.) qui comma 6. ad antecedd. reiiciendum censent; nos vero pro *nam* retinemus. (vid. vers.) Παντ. ανθρ., כל אדם, pro ἑκαστον, ad eos restringendum esse, quibuscum Ap. hic agit, vix est quod moneamus. *Rosenmullerus* vero, quo minus hoc comma cum v. 8. pugnare videatur, formulam παντ. ανθρ. viduorum potissimum et viduarum ratione habita intelligi vult; quam tamen restrictionem satis angustam formula ipsa, adeo late patens, vix admittit, neque nexus requirit, (vid. vers.). Ειναι - εμαυτ. sc. εν εγκρατειᾳ, (vid. var. lect.), i. e. *ita affecti*, *vt*, *ex meo exemplo*, *vrgente necessitate*, *coniugio carere possint*. Et haec formula ex epistolae Corinthiorum contextu depromta esse potest, vbi forsitan ex Paullo quaesiuerant: annon satius sit "ὥσπερ αυτον" sine coniuge viuere? quanquam Paullus, vbi ad magna hortatur, suum exemplum adducere solet. Και, h. n. vt 1 Thess. 5, 6. post nomen similitudinis, ex graecismo satis noto, abundat. Cf. inprimis 1 Cor. 10, 7. 8.

στος ἴδιον ἔχει χάρισμα ἐκ Θεοῦ, ὃς μὲν οὕτως, ὃς δὲ οὕτως. Λέγω δὲ τοῖς ἀγάμοις καὶ ταῖς 8

cum v. 9. 10. vbi illic simpliciter καθως τινες, hic vero καθως και τινες eodem plane sensu dicitur. Sic etiam ap. *Lucian*. dial. mort. T. 1. p. 267. ed. *Reitz*: ουκ οιδα, ὁ, τι και λεγεις, et *Herodot*. l. 2. εισι δε πολλοι ποταμοι, οἱ ουδεν τοιουτον πασχουσι, οἱον τι και ὁ Νειλος. Hebr. ו eodem modo saepius redundare cum notum est, tum exemplis idoneis comprobauit *Noldius* in conc. part. hebr. chald. p. 309. Possit tamen και, vbi malueris, h. l. per *etiam* vel *et* reddi sensu hoc: *sint velim omnes vt, praeter multos alios, et* (και) *ego*. Χαρισμα, de quo vid. ad 1, 7. h. n. est: *donum continentiae*, quod ὁς μεν— οὑτως, (αλλος αλλως, s. αλλος κατ' αλλο μετρον), i. e. *alius alio gradu gratiae div. acceptum refert*. Minime vero cum interpretibus, quos inspexi, omnibus reddi posse videtur: "vnus donum continentiae habet, alius *non habet*;" siquidem *qui prorsus non habet*, vix χαρισματι εκ (s. απο) του Θεου praeditus esse dici potest, quod tamen, Paullus ἑκαστῳ concessum esse perhibet; quare de *vario* tantum huius continentiae μετρῳ cogitandum esse putauerim. Quodsi vero a notione eius, quod extra ordinem naturae positum est, quae omnino, ex mente Ap., in voc. χαρισμα latet, recesseris; solius *naturae indolis*, s. *temperamenti*, quod vocant, significatio remanet, i. e. *interna cuiusdam virtutis aut rationis animi ac corporis, qua aliquis instructus, propensus est ad aliquid faciendum aut omittendum*.

8. Αγαμος omnino est *coniugii expers*, et non minus de eo, qui nunquam in coniugio fuit, (*Hom*. Il. γ. v. 40.) quam de eo, qui post obitum coniugis non iterum matrimonium init, et de feminis pariter ac maribus dicitur. Vbi vero *vidua* per χηρα exprimitur, vt *viduus* ex oppos. χηρος dicatur, analogia quidem permittit, vsus vero popularis non recipit; sed in eiusmodi orationis contextu generis nomen αγαμος pro specie usurpandum est. Iam qui αγαμους h. l. *caelibes* significare contendunt, cum ad oppos. γεγαμηκ. v. 10. tum ad v. 11. 32. 33. prouocant, vbi αγαμος eodem caelibatus sensu veniat. Sed commata haec alio leguntur nexu, nec op-

χήραις· καλὸν αὐτοῖς ἐστιν, ἐὰν μείνωσιν ὡς
9 κἀγώ. Εἰ δὲ οὐκ ἐγκρατεύονται, γαμησάτωσαν·

positum illud prorsus perit, si vel maxime αγαμους ad *viduos* retuleris: et cur, quaeso, Ap. caelibes, viduis vnius tantum, nec potius vtriusque sexus opposuerit, cum in hoc disputationis genere viduorum et viduarum prorsus eadem sit ratio? Quare iis assentimur, qui praeeunte *Grotio* αγαμους per *viduos* reddi volunt. Καλον — εστιν, vid. ad v. 1. Εαν — καγω, hic, vt v. 7., *vitae* tantum *caelibis*, non item reliquae conditionis similitudinem ex nexu inuoluit; quare neque *Grotio* aliisque adstipulari possum, qui, cum *Clem. Al.*, ex hac formula Paullum viduum fuisse colligunt, neque *Semlero*, qui verba ὡς καγω aliquam consilii et muneris, (nimirum ecclesiastici), societatem inferre putat, qua ii, quos Ap. hic hortetur, cum ipso coniuncti fuerint, cum alias ineptissima fuisset eorum, qui nulla in re cum Ap. comparari potuerint, ad suum potissimum exemplum ablegatio. Siccine igitur in omnibus istis locis argutandum est, in quibus App. totas ecclesias exempli sui μιμητας esse volunt? 4, 16. 11, 1. Eph. 5, 1. rel.

9. Ει δε, si αγαμ. v. 8. per *viduos* reddideris, supple και αυτοι, sc. αγαμ. κ. χηρ. Εγκρατευεσθαι, (hebr. אפק), *temperare sibi ab aliqua re, dominari in omnes non rectos animi impetus*, (Suid. εγκρατεια· ἡ των κακων αποχη.) h. l. *abstinere se libidine venerea.* cf. 9, 25. Attice vero dixit ουκ εγκρατευονται. *Phrynich.* p. 82. ακρατευεσθαι, αδοκιμῳ οντι, οἱγε πολλοι χρωνται τουτῳ τῳ ονοματι, και Μενανδρος. Λεγε ουν· ουκ εγκρατευεσθαι. Sic etiam *Thom. M.* *Aristoteles* tamen eth. 7, 6. init. dixit: ακρατευεται τις. Κρεισσον εστι. In comparatione duorum malorum, quod minus est, pro *meliori* habetur. *Herodot.* l. 6. προτε τουτων των κακων, ἡμιν γε κρεισσον και ὁτιουν αλλο παθεειν εστι, και την μελλουσαν δουλην υπομειναι, ἡτις εσται, μαλλον η τῃ παρεουσῃ συνεχεσθαι. Πυρουσθαι, ex *vehementiae* et *cruciamenti*, quae voci πυρ insunt, notionibus, ad *excitatos* (quasi *incensos*) *affectus* tam bonos 2 Cor. 11, 29. quam malos transfertur. Hinc πυρουσθαι h. l. dicuntur ii, *qui furore et stimulis libidinis aguntur, aestu libidinis vexantur, libidine inflammantur.* Eodem sensu adhibentur καιεσθαι, υποκ., περικ. et εκκαιεσθαι *Callim.*

κρεῖσσον γάρ ἐστι γαμῆσαι, ἢ πυροῦσθαι. Τοῖς 10
δὲ γεγαμηκόσι παραγγέλλω, οὐκ ἐγὼ, ἀλλ' ὁ

hymn. in Apoll. v. 49. *Parthen.* c. 23. φλεγεσθαι *Dionys. Hal.* 11. p. 710. *Theocrit.* Id. 2. 133. *vri* et *igne carpi.* Virg. Eccl. 2, 68., Aen. 4. v. 1. 2. 68. *Ouid.* met. 3, v. 426. 431. et 10. 369. בחר, Ies. 1, 29. Etiam πυρ de *libidine venerea* legitur Sirac. 23, 23. Eleganter *Eustath.* ad Il. β. p. 139, 12. τηδε, inquit, αλλο παθος εκκαιετο, και πυρ ερωτος ὑπαναπτεται. Cf. *Fesselii* adv. s. l. 2. c. 22. p. 160. et *Suic.* thes. eccl. T. 2. p. 895.

Nexum sensumque vv. 6-9 constituerim iam sic: *Haec omnia de matrimonii et consuetudinis coniugalis ad cauendam vagam libidinem vi et commodis* (v. 1-5.), *tantum ad sententiam meam vobiscum communicandam* (συγγνωμη), *minime vero tanquam praeceptum vobis obtrudendam disputaui.* 6. *Quodsi enim* (γαρ) *res ex arbitrio et optato meo penderet; vos omnes vellem mei similes esse: quod tamen fieri non posse video, cum non omnes continentiae donum pariter a Deo concessum habeant.* 7. *Viduis tamen vtriusque sexus,* (quos voluptati haud amplius obstrictos teneri censeo), *omnino vitae rationis, absque iterato matrimonio continuandae, auctor sim,* 8; *quanquam et ipsis* (και αυτοις), *vbi in voluptatis impetus dominari nondum dicerint, matrimonium denuo inire suaserim; siquidem satius est matrimonium contrahere, quam aestuare libidine.* 9. Verum vbi αγαμ. v. 8. per *caelibes* reddideris, Ap. v. 8. 9. ad summam retulisse putandus est, quae in antecedentibus dixerat, fere sic: *omnia igitur eo recurrunt, satius esse, vbi caelibes et viduae sibi a matrimonio temperauerint.* etc.

10-16. Iam regulas proponit Ap. in *diuortiis,* vel in tentata ab altera parte *desertione* seruandas. Primum quidem v. 10. 11. coniuges alloquitur, *ex vtraque parte religionem chr. profitentes,* qui propter discordias inter se ortas inuicem discedere cupiebant. Τοις—Κυριος, circumscripserim: τοις δ. γεγ. ου λεγω εγω κατα την εμην συγγνωμην, αλλα παραγγελλω κατα την επιταγην του Κυριου. cf. v. 6. Quod quidem praeceptum exstat Matth. 5, 32. coll. 19, 3-10. vbi Christus eum legis Mos., quae maritis vxorem dimittere indulsit, reprehendit abusum, ex quo de causa vel leuissima vxori pro arbitrio diuortii

Κύριος, γυναῖκα ἀπὸ ἀνδρὸς μὴ χωρισθῆναι,
11 (ἐὰν δὲ καὶ χωρισθῇ, μενέτω ἄγαμος, ἢ τῷ

libellum exhibere, aliamque ducere solebant, (*Ios.* ant. i. 4, 8. 23.) id quod Christus, ad altiorem piae virtutis sensum suos euocans, amplius fieri vetat, παρεκτος λογου πορνειας. Licet iam de *vxore maritum deserente* Christus ibi nihil disertis verbis praeceperit; recte tamen Paullus praeceptum maritis datum ad vxores hic transfert. Nam, vt *Grotii* verba mea reddam, si hoc Christus viro dixit, cui tantum iuris dederat lex Mosis, quanto magis idem intelligi debet de femina, cui lex Mosis nihil tale concesserat? Eadem ergo tolerantia, quam in exercenda lege Mosis Christus viris praescripserat, multo iustius erat obseruanda foeminis, quibus ius a marito discedendi dabat non lex Mosis, sed Romanae et Graecae leges, illorum populorum ingeniis aptatae. De voc. χωρισθηναι vid. ad αφιεναι v. 11.

11. Εαν — καταλλαγ. parenthesi includenda sunt, cum reliqua και ανδρα — αφιεναι, ex constructione arctissime cohaereant cum v. 10. Και prius, pro ὁμως: "quodsi vero nihilominus, *spreto vel Christi praecepto*, maritum deseruerit." Supplere solent interpp. *nempe interea temporis, antequam haec mea epistola ad vos perlata fuerit;* sed praeter rem, cum Corinthii vix adeo dicto Paullino audientes putandi sint, vt praeceptum semel acceptum migrare haud potuerint. Μενετω αγαμος, *non aliud cum alio ineat matrimonium;* ne coniugium euadat res meri arbitrii. *Wetstenius* in prolegg. p. 172. virum quemdam doctum commemorat, qui voculam ἢ verbis μεν. αγ. praefigendam censuerit, vt prodeat: "*vel* maneat innupta, *vel* viro reconcilietur;" qua tamen coniectura, siue *Bosio* ex *Wolfii*, siue *Bentlejo* ex *Bowyerii* sententia tribuenda fuerit, ad locum nostrum magis illustrandum prorsus nihil effici videtur. Η — καταλλ. *vel, vbi displicuerit caelibatus, in pristinam cum marito gratiam reuersa, matrimonium, ad tempus interruptum, cum ipso continuet.* Καταλλαττεσθαι nimirum, quod in N. T. praeter h. l. habes 2 Cor. 5, 18. 19. 20. et Rom. 5, 10. aeque ac syn. διαλλαττεσθαι Matth. 5, 24. est: *in gratiam redire cum aliquo.* Phauorin: καταλλαττειν και διαλλαττειν το εις φιλιαν συναγειν τινας. *Hes.* καταλλαγη· ειρηνη, φιλια. *Tho-*

ἀνδρὶ καταλλαγήτω·) καὶ ἄνδρα γυναῖκα μὴ

mas *M.* vero διαλλαγη δοκιμωτερον, inquit, η καταλλαγη ὡσαυτως και επι του διαλλαττειν και καταλλαττειν. Sed vtrumque eodem sensu ap. optimos occurrit Graeciae scriptores, ex quibus interpp., praecipue *Wetstenius*, loca multa pro διαλλ. ad Matth. l. c., et pro καταλλ. ad Rom. l. c. congesserunt. Cf. praeterea de hac voce *Hemsterhus.* ad Thom. M. p. 235. seq. Αφιεναι et χωρισθηναι. De vtroque voc. haec fere tenenda sunt: In foro Attico vir, qui, vxorem repudians, iubebat illam, vt loquitur *Apuleius* l. 5. *toro suo divortere, sibique suas res habere*, dicebatur *vxorem* εκβαλλειν *exigere*, vel, ad rei acerbitatem leniori verbo tegendam, αποπεμπειν, *missam facere*, pro quo et lenius adeo αφιεναι *dimittere* in vsu fuisse videtur, *Strabone* l. 6. commemorante χηρας αφεντας τας γυναικας, coll. *Iosephi* loco mox allegando. Durius εκβαλλειν pro גרש Iudaei Alexx. adhibuerunt. cf. Gen. 21, 10. εκβαλε την παιδισκην ταυτην. Certe Sirac. 7, 27. γυνη σοι κατα ψυχην, μη εκβαλῃς αυτην. Paullus autem, mansuetudine chr. ductus, leniori αφιεναι vsus est. Contra vero mulier, quae vel malitiose, vel quacunque de causa, maritum deserebat, απολειπειν τον ανδρα dici solita erat. Χωριζεσθαι, vt vox generalior, tam de viro quam de muliere, sese a coniuge separante, vsurpatum fuisse videtur, quanquam huic magis quam illi conueniat atque tribuatur. Sic *Iosephus*, a Grotio citatus: γυναικι ουδε διαχωρισθειση καθ' ἑαυτην εξεστι γαμηθηναι· et *Iustinus* in Apologetico priore, de femina loquens εχωρισθη. Ex his patet, Paullum in eo tantum a trito loquendi vsu recessisse, quod αφιεναι v. 13. et ad *mulierem*, maritum deserentem, transtulit, nisi, vtriusque parem conditionem esse ratus, hoc de industria fecisse putandus sit, ne sententiarum vv. 12. 13. enunciatarum reciprocationem, alio separandi verbo alii coniugi tribuendo, turbaret atque imminueret. Vti vero in vocc. χωριζ. et αφιεν. ex totius capitis tenore de diuortiis et desertionibus non propter caussam quamlibet, sed ob denegatum potissimum debitum coniugale cogitauerim; sic etiam καταλλ. praecipue ad componendas discordias ex eadem caussa oriundas retulerim. vid. ad v. 3. et 12. seqq. Cum praeterea, verissime mo-

12 ἀφιέναι. Τοῖς δὲ λοιποῖς ἐγὼ λέγω, οὐχ ὁ Κύριος· εἴ τις ἀδελφὸς γυναῖκα ἔχει ἄπιστον,

nente *Semlero*, videamus, et parum commendatam fuisse Corinthiorum societatem, et ignotas esse historicas causas: non opus erat, vt ex huius loci sententiis interpretes quasi leges perpetuas nostrorum matrimoniorum molesta sedulitate repeterent. Ciuiles leges nec Paullus nec Christus futuris seculis scripsit; qui vero christianis praeceptionibus mentem suam informauerint, ii nec legibus ciuilibus temere abutentur.

12—16. Pergit nunc Ap. ad τους λοιπους sc. γεγαμηκ. (vid. v. 10.), qui, religionis ratione habita, impari matrimonio constricti degebant, et quorum multi eiusmodi matrimonium dissoluendum existimabant, ne Christianus veluti polluatur infidelis consortio; quod tamen Ap. negat. Εγω—Κυρ. vid. ad v. 10. Αδελφος, ex oppos. απιστος i. q. πιστος, *Christianus*. vid. ad Iac. 1, 2. Γυνη απιστος, vi oppos. αδελφ., vxor *non christiana*, siue religioni iudaicae, siue profano potissimum Deorum cultui addicta sit. Και, suppl. ει. Συνευδοκειν, quod *Hes.* reddit per συγκοινωνειν, est vna probare aliquid. Praeter h. l., qui rei *bonae* approbationem continet, in N. T. tantum in *malam* partem adhibetur, Luc. 11, 48. Act. 8, 1. Rom. 1, 32. Reperitur praeterea 1 Macc. 1, 60. 2 Macc. 11, 34. 35. Loca ex *Diod. Sic.* Munthius (obss. phil. p. 156.) collegit, et locum *Polyb.*, hoc verbum exhibentem *Wetst.* ad Rom. 1, 32. attulit; quare non erat, quod *Stephanus* in thes. l. gr. varios huius verbi significatus nonnisi ex s. scriptoribus probaret. Ap. vero συνευδοκειν potius dixit, quam simpl. ευδοκειν, vt significaret voluntatem feminae cum mariti voluntate concordantem. Οικειν μετα τινος, (vel συνοικειν) vt הושיב *habitare facere*, sc. *secum*, Esr. 10, 14. Nehem. 13, 27. alib., hic ad matrimonialem *cohabitationem*, (quod recentioris latinitatis voc. et in linguam germ. transiit), seu *tori coniugalis consuetudinem spectat*, facta allusione ad morem veterum, ex quo nouus maritus sponsam domum ducebat, vt cum ipsa *habitaret*. cf. *Raphel.* et *Kypk.* ad 1 Pet. 3, 7. A συνοικειν vero adcurate distinguendum est συνοικιζειν, in *matrimonium*

καὶ αὐτὴ συνευδοκεῖ οἰκεῖν μετ' αὐτοῦ, μὴ ἀφιέτω αὐτήν· καὶ γυνὴ ἥτις ἔχει ἄνδρα ἄπι- 13

VARIAE LECTIONES.

13. ει τις pro ἥτις D a pr. m. G. 42. Matth. f. Vulg. It. Chrys. (etiam in Matth. 7.) Theodoret. alicubi. Theophyl. in Matth. d. i. Ambrst. Aug. Alii lat. ει Slav. — οὗτος pro αυτος A B C D a pr. m. F G. 37. 46. Matth. k. Vulg. It. Chrys. alicubi. Cyr. Aug. Ambrst. Alii. — τον ανδρα pro αυτον A B C D E F G. 17. 37. 46. Syr. Copt. Arm. Vulg. It. Cyr. Hier. Aug. Ambrst. Alii. Quare *Griesb.* hanc lectionem receptae aequalem, imo forte praeferendam iudicauit; neque a vero abhorrere putauerim, τον ανδρα cum αυτον commutatum esse, ne illud, post ανδρα modo diserte commemoratum, prorsus languere et redundare videretur.

dare, ap. *Ael.* v. h. 8, 9. vnde συνοικιζεσθαι *nubere.* Ex totius huiusce cap. contextu et in hoc voc. *praestandi* potissimum *debiti coniugalis* rationem habendam esse putauerim, quippe quod ipsum coniuges diuersi cultus sibi inuicem forsitan denegandum censuerunt; in quo *Tertullianum* aliquo modo mecum consentientem deprehendo, vbi dicit: *verebantur, ne non liceret eis matrimonio suo vti, qui in carnem sanctam Christi credidissent.* Μη αφιετ. αυτ. Obiici hic posset: Nehemiam vero c. 13. coniugia Iudaeorum cum feminis alieni cultus dissolui voluisse. Ad quae tamen bene *Grotius* respondet: hoc praeceptum datum fuisse soli populo Hebraeo Exod. 34, 16., vt qui illo tempore quam longissime ab aliis populis deberet separari.

13. Γυνη ἥτις sensu i. q. ει τις γυνη. (vid. var. lect.). Αυτος vel i. q. οὗτος (vid. var. lect.), vel cum emphasi *vltro* et *sua sponte* agentis notionem infert; (nos: *von selbst*). Αφιεναι hic catachrestice de *muliere* vsurpatur, vid. ad v. 11. Sic etiam חלה, שלח, et alia, quae *deserendi* significationem habent, per αφιεναι vertuntur. cf. *Trommium* et *Bielium.* Τον ανδρα, vbi sic pro αυτον legendum fuerit (vid. var. lect.), fortassis, vitandae redundantiae causa, cum emphasi sumi possit pro: *maritum, quocum intimam fidissimamque familiaritatem habuit.* Sensus vv. 12. 13. est: *de reliquis vero, impari matrimonio constrictis, cum de coniugiis inter*

στον, καὶ αὐτὸς συνευδοκεῖ οἰκεῖν μετ' αὐτῆς,
14 μὴ ἀφιέτω αὐτόν. Ἡγίασται γὰρ ὁ ἀνὴρ ὁ

homines diuersae religioni addictos disertum Christi praeceptum non extet, sententia mea huc redit: si ex coniugibus ethnicis maritus religioni chr. nomen dederit, non item vxor, haec autem domesticam illam societatem atque consuetudinem coniugalem vlterius cum ipso prosequi haud dubitet, nolim equidem vt eam dimittat. Similiter etiam versa vice vxori christianae marito iunctae a sacris nostris alieno, agendum est. Recte Ap. ex humanitatis et indulgentiae chr. principiis, matrimonii dissoluendi vel continuandi optionem a parte christiana parti non christianae deferri vult. cf. v. 15.

14. Subiungitur ratio, cur diuersae religionis professio in causa diuortii esse non debeat. Ἁγιαζεσθαι, *Christianis annumerari, pro Christiano haberi, declarari.* vid. ad 1, 2. 6, 11. Εν γυναικι (sc. τῃ πιστῃ vid. var. lect.) ex hebr. ב, vel pro δια γυναικα, vel pro δια γυναικος. Sic quoque εν ανδρι (sc. αδελφῳ, vid. var. lect.) resoluendum. Επει αρα, *alioquin scilicet*, s. *alias profecto.* vid. ad 5, 10. Ὑμων pro αυτων, (transit enim oratio indirecta subito in directam), et spectat ad coniuges h. v. modo commemoratos. Ἀκαθαρτα, פסולים, *profani, a societate chr. remoti;* ex oppos. ἁγια, *coetui Christianorum adscripti.* vid. ad ἁγιαζ. Illi vero ακαθαρτοι dicuntur, quia, quicquid legibus Mos. prohibitum erat, in *sordium* similitudinem vocari solebat, quibus homines quasi inquinarentur, i. e. viotiosi sontesque euaderent; nam vitia cum maculis animo adspersis comparari solent, vnde et *animus pius* καρδια καθαρα, לב טהור, et *homines pii* καθαροι, καθαροι τῃ καρδιᾳ, בר לבב, et αμιαντοι dicebantur, quos *Hor.* 3. Od. 2, 18. *alienos ab inquinamentis et sordibus* vocat. Iam vero Iudaeis omnis cum *paganis* consuetudo prohibita erat; inde et pagani τοις ακαθαρτοις annumerabantur. Interpretes iam in constituendo huiusce comm. sensu multi sunt, aliaque aliunde ad eum iuuandum arripiunt mömenta. Nobis quidem, vt in pluribus huius cap. commatibus, sic et hic ad statutum quoddam Iudaeorum, cuius mentionem quidem, non item vero, si quid video, applicationem satis pressam et plenam ad l. n. explicandum deprehendimus, recurren-

ἄπιστος ἐν τῇ γυναικὶ, καὶ ἡγίασται ἡ γυνὴ

VARIAE LECTIONES.

14. Post τῃ γυναικι add. τῃ πιστῃ DEFG. Alius. Syr. Erp. Vulg. It. Martyrium Clementis ap. Coteler. Tert. Ambr. Hier. Ambrst. Pel. Beda. (non Aug.) — Pro ανδρι hab. αδελφῳ ABC. vt videtur, D a pr. m. EFG. 17. 19. a pr. m. 46. Copt. It. Hier. Aug. dis. Addunt τῳ πιστῳ Syr. Erp. Vulg. Tert. Iren. Ambrst. Hier. alicubi. Ambr. Pel. Beda. Vtraque lectio interpretamenti speciem prae se fert. vid. commentar.

dum esse videtur, ex quo liberos e matrimonio ethnici cum proselyta, et proselyti cum ethnica susceptos, ἁγίους, i. e. a profanis s. ethnicis segregatos, iurium populi diuini participes, vno verbo, Ἰουδαίους γνησίους habendos esse existimabant; id quod ex pluribus locis Talmudicis, quae *Wetsteniorum*, *Schoettgeniorum*, *Vitringarum*, *Brauniorum*, aliorumque sedulitas ad h. l. congessit, cum commatis nostri contextu collatis, satis apparere videtur. (e. c. Cethuboth 4, 3. *Peregrina si proselyta facta fuerit, et cum ea filia eius, et haec adulterauerit, strangulabitur: si concepta fuerit et nata in sanctitate, est vt filia Israelitica per omnia.* Iebamoth. f. 35. 1. *R. Abi dixit: si concepta sit* sine sanctitate, *et nata* in sanctitate; *lapidibus obruetur. Expectandum est tribus mensibus, vt discernatur inter progeniem* sanctam *et* profanam). Huic statuto vero vt Iudaei substratum haberent, vel ex isto demum colligerent aliud (vt consequentiarum ambigua ope certa statuebant multa), nimirum, tam patrem ethnicum propter vxorem iudaicam, quam matrem ethnicam propter maritum iudaicum ἁγιάζεσθαι, seu Iudaeis veris adnumerari, necesse erat; siquidem, nisi ἡ ῥίζα ex vtraque parte ἁγία fuerit, neque οἱ κλάδοι ἅγιοι esse possunt, vel, vt cum *Clem. Al.* loquar: τῶν ἁγιασθέντων ἅγιον καὶ τὸ σπέρμα. Vtrum vero miser Iudaeorum proselytos venandi pruritus hoc sine ratione arripuerit, an lex matrimonii cum peregrino seu peregrina haud ineundi eos ita statuere coëgerit, an ipsorum in disputando sagacitas rationem a spe illa repetierit, fore, vt maritus iud. vxorem ethnicam, et versa vice vxor iud. maritum ethnicum, et sic etiam alteruter parentum, nimirum iudaeus, et liberos ad saniorem mentem, ipsamque religionem iud. perducat; id quidem nescio. Hoc

ἡ ἄπιστος ἐν τῷ ἀνδρί· ἐπεὶ ἄρα τὰ τέκνα
15 ὑμῶν ἀκάθαρτά ἐστι, νῦν δὲ ἅγιά ἐστιν. Εἰ

vnum scio ex v. 16., vbi ἁγιαζ. per σωζεσθαι quodammodo explicatur, Paullum certe, huiusce spei ratione habita, statutum illud iud. ad conditionem Corinthiorum accommodari voluisse fere sic: *vti ap. Iudaeos vxor ethnica propter maritum proselytum, et vicissim maritus ethnicus propter vxorem proselytam* ἁγιαζεται, i. e. *habetur, ac si ad rel. iud. transierit ipse, quia, si secus esset, liberi, ex impari eiusmodi matrimonio suscepti, profani, et quasi illegitimi et ex incestu nati essent, quos tamen sanctos,* i. e. *legitimos et populo Dei non minus adnumerandos esse constat, ac si vere Iudaei essent nati; ita etiam maritus ethnicus, (vel iudaeus), propter vxorem christianam, et, vice versa, vxor ethnica propter maritum christianum* ἁγιαζεται, i. e. *inter vere Christianos refertur, scilicet hac spe paene explorata, fore, vt coniux infidelis fidem vitamque ad exempli coniugis fidelis praestantiam conformet; alioquin enim et liberi eiusmodi coniugum imparium non pro Christianis haberi possint, quod tamen fit, sc. quia et de his eandem futurae professionis religionis chr. spem animo concipere licet.* Hinc iam Paullus a Corinthiis suis colligi vult: *impar eiusmodi matrimonium nihilosecius pro matrimonio vere christiano, ideoque legitimo, liberosque inde natos pro* γνησιοις *habendos esse, ita vt omne istiusmodi connubii salua conscientia prorogandi dubium prorsus euanescat.* Sic igitur in explicando h. l., sanctionis ciuilis et moralis notiones ex nexu cum v. 16. arcte inter se iungendae sunt; quarum tamen alii aliam hic arripiunt, metaphora modo a vasis sacris, modo a baptismo aliisque rebus petita; quorum sententias vide ap. ipsos, et ap. *Wolfium.* Cf. cum l. n. dictione 1 Tim. 4, 4. 5.

15. 16. Commata 12-14. spectabant ad coniuges impares, eosque de continuando matrimonio consentientes; iam nunc pergit ad dissentientes. Ἀπιστος hic ad partem *paganam* omnino spectat, siue sit maritus, siue vxor, ideoque et χωριζ. de vtroque coniuge intelligi debet. Χωριζειν est *facere, vt alter abeat,* adeoque *separare, seiungere,* a χωρειν *abire,* et vtrumque a χωρος *locus s. campus patens,* contr. ex χαορος, a χαω *hisco, pateo.* Loco n. χωριζεται

δὲ ὁ ἄπιστος χωρίζεται, χωριζέσθω· οὐ δεδού-

vi media ac simul optatiue capiendum: *vbi se separare cupierit*, χωριζεσθω, *separet se, non impediat eum coniux chr., quo minus hoc faciat*; ου δεδουλωται, *vinculo soluti sunt, non obstricti tenentur* (vid. ad 2 Pet. 2, 19.) αδελφος et αδελφη, *maritus* et *vxor religionem chr. profitentes*. Εν τοις τοιουτοις, ex veteribus nonnulli ad coniuges infideles referunt, qui paulo ante collectiue ὁ απιστος vocati, ita vt εν τ. τ. ex hebr. בהם sit, vel *quod ad coniuges infideles attinet*, vel, cum dandi casus ex hebr. ב haud raro per εν exprimatur, *coniugibus infidelibus haud obligati estis*; obstante tamen forma singulari απιστος, ex qua Ap. sine dubio εν τῳ τοιουτῳ, phrasi et hac collectiue sumta, dixisset. Quare ex vulgari interpretatione εν τ. τ. sc. πραγμασι s. περιστασ. reddi solet: *res cum ita sese habeant*, nimirum *vt pars infidelis* του χωρισμου *exposcat*. Nos: *unter solchen Umständen, in diesen Fällen*. Cum tamen δουλουσθαι sensu metaph. nusquam in N. T., et vix etiam alibi, legatur, nisi addita vel re, vel persona, cui quis obligatus sit; quidni εν τ. τ. sc. προσταγμασι s. δογμασι, ad v. 12-14. (et inter hos propter v. 16. praecipue ad v. 14.) referamus sensu hoc: *minime* εν τ. τ. (pro δια των τοιουτων vel simpl. τοις τοιουτοις), *iis, quae supra ex sententia mea de continuando eiusmodi matrimonio in medium protuli, adstricti tenemini*; quasi scripsisset Ap. ου χρη s. ου δεον εστι, δουλουσθαι τον αδελφ. vid. infra vers. Ειρηνη, vt hebr. שלום, vel *concordia*, *eiusque seruandae studium*, vel *felicitas*. Praefero h. n. prius. Εν ειρηνη non solum pro εις ειρηνην, *vt concordiae studeatis*, sed etiam pro επ' ειρηνη, *ea lege vt concordiam servetis*, Gal. 5, 13., sumi potest; sensu tamen vtrinque eodem. Καλειν dicitur Deus homines eos, quibus *amplectendae religionis chr.* copiam facit. vid. ad 1, 2. et exc. 2. ad epp. Petr. Iam in sensu huius commatis, praecipue verbi δεδουλ., constituendo inter se dissentiunt interpretes. Alii Paullum h. l. id spectasse perhibent, coniuges, ita desertos, a pristini matrimonii vinculo prorsus esse liberatos, adeoque potestatem nactos, novis, si libuerit, votis se obstringendi. In qua sententia vberius declaranda, *Grotius* ου δουλ. pro: *non obligatum esse* sc. lege chr.,

λωται ὁ ἀδελφὸς ἢ ἡ ἀδελφὴ ἐν τοῖς τοιούτοις.
16 ἐν δὲ εἰρήνῃ κέκληκεν ἡμᾶς ὁ Θεός· τί γὰρ

Buxtorfius, ex vocc. hebr. שעבד et אשתעבד, quibus Hebraei in contractibus matrimonialibus vsi sint, pro: *haud amplius seruituti, nimirum* coniugali, *obnoxium esse*, et *Wolfius* ex v. 4. pro ἐξουσιάζειν τοῦ ἰδίου σώματος, sumi volunt. Alii, iique ex veteribus multi, quibus ex recentioribus adstipulatur *Semlerus*, οὐ δεδούλ. de seruili religionis chr. abnuendae necessitate intelligentes, sensum eo potissimum trahunt, quod coniugi gentili coniugem chr. ad cultum profanum reuocanti, et apostasium ipsi imperanti, parendum non sit. Vterque vero sensus, quem Paullum aliquanto expressius significaturum fuisse arbitrer, verbis magis illatus, quam exinde petitus comparet, quo minus comma hoc cum Matth. 19, 9. pugnare videatur; in quo loco cum nostro conciliando veteres mirum in modum ingenia defatigarunt. vid. *Wolfium*. Nos quidem pro vocabulorum singulorum, quam supra exhibuimus, interpretatione, verba οὐ δεδ. — fin. v. 16. proxime ad χωριζέσθω ita referentes, vt Ap. iam nunc partem christ. tribus argumentis exhortetur, ne recuset χωρισμὸν a parte pagana flagitatum, verterimus sic: *separet se coniux infidelis, coniuge fideli eum non impediente, quo minus hoc faciat.* Primum *enim talibus argumentis, qualia ex sententia mea, minime vero ex mandato Christi* (v. 12.) *paullo ante* v. 14. *pro eiusmodi matrimonio continuando in medium protuli, non tanquam praeceptis adstricti tenemini; deinde ea lege Christiani facti estis, vt paci et concordiae studeatis, a qua tamen rixae et altercationes, quibus matrimonium inuito altero mordicus retinendum et continuandum ansam praebet, prorsus alienae sunt.*

16. Denique, (*licet impar eiusmodi matrimonium ἁγιάζεσθαι*, s. *ex vtraque parte christianum euadere posse contenderim ipse* v. 14.), *vndenam tu, o coniux christiana, satis certo scis, fore omnino, vt maritum ethnicum ad societatem nostram traducas? et vndenam tu, o marite chr., exploratum habes, fore, vt coniugem e gentili christianam reddas (nec ne)?* i. e. *euentus non prorsus certus est.* Vulgo autem interpretes, v. 15. parenthesi incluso, Paullum hic comma 14. sibi

οἶδας, γύναι, εἰ τὸν ἄνδρα σώσεις; ἢ τί οἶδας,

amplificandum sumsisse rati, vtrumque comma iungunt in sensum hunc: *coniux infidelis propter coniugem fidelem* ἁγιάζεται, s. *pro Christiano habetur* v. 14.; *nam coniux fidelis certo scire non potest, an sibi contigerit adeo esse felici, vt infidelem ad rel. chr. adducat,* v. 16. h. e. *verisimile ac probabile est, hoc effectum iri.* Sed, praeterea quod, vt ita verti posset, ante σώσεις, nisi verba εἰ μὴ a v. 17. ad comma nostrum reieceris, etiam, ni fallor, μὴ legi debuisset, et ordo sententiarum sic, non vrgente necessitate, aliquo modo turbatur et interrumpitur. Τί, pro κατὰ τί. Σώζειν et cognata σωτὴρ, σωτηρία et σωζόμενοι ex hebr. מושיע, (גאל) ישע, (הושיע, נצל,) et ישועה, habito respectu ad regnum Messianum terrestre, quale Iudaeorum in rebus dubiis ac asperis spes atque exspectatio effinxerat, quodque natura sua a *seruandis liberandisque*, (quae propria est verbi σώζ. significatio, et ipsa in N. T. satis frequentata), Iudaeis a pristina seruitute et calamitate incipere debebat, in N. T. vsurpari solent. Vti nimirum in V. T. ישע haud raro est *vindicare ab ista calamitate in regni Messiani felicitatem et splendorem;* מושיע vel *Deus* vel *Messias* ipse, *Iudaeos liberaturus et in regnum illud recepturus;* et ישועה *denique felicitas ipsa, a Iudaeis, e pristina miseria seruatis,* (נושעים,) *in regno Mess. obtinenda*, (sic occurrit ישע cum cognatis Ier. 23, 6. 30, 10. 11. Ez. 34, 22. 37, 23. נצל Mich. 5, 5. Ez. 34, 27. גאל Ies. 22, 23. 44, 6. 24. alibi), ita etiam, Messiae et regni Messiani terrestris notionibus ab opinionum iudaicarum quasi scoriis magis magisque purgatis et ad altioris indolis perfectionem et felicitatem Christianorum translatis, σώζειν saepissime in N. T. est *homines, a superstitionis seruitute liberatos, in regnum verae religionis et piae virtutis recipere* 1 Tim. 2, 4., i. e. *ad rel. chr. adducere* (quo sensu et h. l. accipiendum est); σωτὴρ, *Christus, qui nos, superstitionis et vitiositatis quondam seruos, religione sua regni veritatis et pietatis ciues reddidit*, h. e. *doctrinae purioris et salubrioris doctor;* σωτηρία tam *felicitas ipsa a nobis, e vitiorum et ignorantiae miseria recuperatis in regno scientiae et virtutis liberalioris percipienda*, quam *media huius felicitatis*, i. e. *salus ex rel. chr. iam nunc et olim ad nos redundans*, et reli-

17 ἄνερ, εἰ τὴν γυναῖκα σώσεις; εἰ μὴ ἑκάστῳ

VARIAE LECTIONES.

17. η μη; pro ει μη legitur et praecedentibus iungitur in 18. ex emend. 22. 23. ex emend. 43. 57. (c. al. 4.) 67. a pr. m. Matth. k. item n. Syr. p. in m. Chrys. in Matth. 2. Sic Severianus interpungi iubet ap. Oec. εν Chrys. in Matth. 7. — Pro διατασσομαι leg. διατασσομεν 23. διδασκω D a pr. m. E F G. *doceo*, Vulg. It. Patr. lat.

gio ipsa, cui hanc salutem acceptam referimus; et σωζομενοι denique *homines a vanae falsaeque religionis, qua olim capti erant, tristi tyrannide exemti, et in regnum veri puriorisque cultus diuini recepti,* i. e. *Christiani, religionis suae beneficio felicissimi,* quibus oppon. οἱ απολλυμενοι, et το απολωλος (supra 1, 18. et Luc. 19, 10.) siue *homines doctrina chr. carentes seu eandem respuentes, deserentesue, adeoque infelicissimi.* (Quatenus voces istae et singulari mortis I. C. salutiferae ratione habita vsurpantur, *huc* non pertinet). Hinc σωσαι h. l. mere i. e. q. κερδαινειν 9, 22. coll. 1 Petr. 3, 1. qui locus omnino dignus est, quem, commentarii instar, cum l. n. conferant lectores. Bene praeterea *Clem. Al.* Strom. 4. a *Grotio* citatus: ἑλοιτ' αν ουν ἡ σωφρων, πρωτον μεν πειθειν τον ανδρα κοινωνον αυτῃ γινεσθαι των προς ευδαιμονιαν φεροντων· ει δε αδυνατως εχοι, μονη σπευδετω επ' αρετην, παντα μεν τῳ ανδρι πειθομενη, ὡς μηδεν ακοντος εκεινου πραξαι ποτε, πλην ὁσα επ' αρετην τε, και σωτηριαν διαφερειν νομιζεται. Notauit etiam *Wetstenius* ex *Bereschith R.* 17, 12. exemplum hoc: *Duxerat pius piam vxorem et non procrearunt liberos. Dixerunt: Deo nihil prosumus. Steterunt et fecerunt diuortium. Iuit ille, duxit impiam, quae illum impium fecit. Illa nupsit impio, quem pium fecit,* (εσωσεν).

17—24. Ap., qui vel ab imparibus religione coniugibus pristinum matrimonium, saluo religionis chr. exercitio, continuari posse ac fas esse, hucusque demonstrauit, data hac opportunitate et ad alias vitae humanae conditiones, pro more, digreditur, quas et ipsas propter religionem gentilem cum christiana commutatam immutari debere negat. Ει μη, sunt qui ad finem v. 6. reiici, reiectumque cum σωσει iungi velint in sensum hunc: "num certo scis, an vxorem ad

ὡς ἐμέρισεν ὁ Κύριος, ἕκαστον ὡς κέκληκεν ὁ

rel. chr. adducas, *nec ne?*" vt i. sit q. ἢ μὴ, (vid. var. lect.); sunt vero etiam qui hic pro ἀλλα, *sed*, retineri malint: quae quidem significatio satis certa est, tum ex locis N. T. Matth. 12, 4. Rom. 14, 14. Gal. 1, 7. 2, 16. Apoc. 9, 4. aliisque ap. scriptores profanos, tum ex vsus loquendi Lat. similitudine. *Cic.* p. Roscio Am. 35. *Quid erat, quod Capitoni primum nunciarit, nescio: nisi hoc video, Capitonem in his bonis esse socium:* coll. ad Diuers. 13, 1. Huc etiam pertinet *Plautinum* illud: *Ei liberorum, nisi diuitiae nihil erat.* Cf. *Drakenborg.* ad *Liv.* 24, 20. et *Hogevenii* doctr. de partic. Reddendum igitur: *sed vero, quidquid huius etiam sit; vnusquisque maneat* etc. Cum tamen in his aliisque locis aliquid praecedere soleat, vnde per εἰ μὴ, licet hanc formulam per *sed* rectissime *vertamus*, hoc vel illud aliquo modo *excipiatur*; locus noster vero ab εἰ μὴ statim incipiat; mihi quidem nondum satis liquet, an significatio illa satis recte huc transferatur. Quae vero ab aliis, praeeunte *Erasmo*, huic formulae tribuitur vis: *vtcunque est, in summa*; ea ex nexu quidem, in l. n. paraphrasi, optime procedit, non item ex vsu loquendi. Quare εἰ μὴ vel hinc ad v. 16. ablegauerim (vid. supra), vel eodem modo ad εἰ δε v. 15. spectare putauerim, vti hoc ipsum εἰ δε v. 15., pluribus etiam interiectis commatibus, referri debet ad εἰ τις v. 12., ita vt Ap. argumentum v. 12. denuo attingere videatur, et post εἰ μὴ ex v. 15. supplendum sit χωριζεται in sensum hunc: *quodsi vero coniux infidelis, fidelem a se separari haud expoposcerit, sequatur velim coniux fidelis regulam hanc, quam cum omnibus ecclesiis communicare soleo,* etc. Neque tamen in tanta nexus sensusque ambiguitate aliquid certo definire ausim. Μεριζειν, quod proprie est: *totum in singulas partes diuidere inter alios*, h. n., vt et alibi in N. T., Deus dicitur, cum alicui *sortem aliquam* s. *conditionem assignat*, v. c. natalium, fortunae, coniugii, muneris, et i. g. a. aut beneficia inter homines distribuit; ita vt i. sit q. διδοναι, et respondeat hebr. חִלֵּק et הִנְחִיל, Rom. 12, 3. 2 Cor. 10, 13. vnde et μερος aeque ac חֵלֶק pro *sorte* quadam occurrit. Matth. 24, 51. alibi. Καλειν ex hebr. קָרָא vel syn. est verbi μεριζειν, siquidem Deum homines ad eam sortem *vocare*

Θεὸς, οὕτω περιπατείτω· καὶ οὕτως ἐν ταῖς
18 ἐκκλησίαις πάσαις διατάσσομαι. Περιτετμημέ-

dicebant Hebraei, quam ipsis pro potentissima voluntate sua assignare putandus erat; vel et h. l. ex solenni significatione sibi vult: *ad rel. chr. vocare*, s. *adducere*. vid. v. 15. c. 1, 9. cf. Exc. 2. ad epp. Petr. Ουτω post ὡς ad augendam sententiae vim repetitur. Περιπατειν, התהלך, *vitae quoddam institutum sequi*. vid. ad c. 3, 3. Iam ex priori verbi καλειν significatione verba nostra disposuerim sic: ἑκαστος οὑτω περιπατ. ὡς εμερ. αυτῳ ὁ Κ., και ὡς κεκληκεν αυτον ὁ Θ., ita vt sensus redeat fere ad *Horatianum* illud: *quam tibi sortem Seu ratio dederit, seu fors obiecerit, illa Contentus viuas.* Retenta vero lectione vulgari, vocc. Κυρ. et Θεος inuerso ordine exhibente, ex altera signif. iungi possit sic: ἑκαστος οὑτω περιπ. ὡς εμερ. αυτῳ ὁ Θεος ὁταν κεκλ. αυτον ὁ Κυριος (Ιησ. Χρ.) *quisque perstet in ea vitae externae conditione, qua fruebatur, cum religionem chr. amplecteretur;* quod totius loci consilio atque contextui magis respondeat. Cf. praecipue v. 20. et 24. Διατασσομαι, vt lat. *constituere*, hebr. צוה, nostrumque *anordnen*, ita late patet, vt de quouis aliquid *iubente*, *praecipiente*, *curante*, *docente*, etc., adhibeatur, adeoque, vel ap. bonos Graec. scriptt. e. g. *Herodotum*, modo cum κελευειν, modo cum εντελλεσθαι permutetur. Hoc nexu *docendi* vel *praecipiendi* sensu sumserim (vid. var. lect.). *Sic non vobis solum, sed omnibus omnino ecclesiis praecipio.* Quae forsitan addidit Ap., ne morosior videretur erga Corinthios quam erga reliquos Christianos.

18. Exemplo illustratur praeceptum v. 17. Περιτ. τις εκληθ. pro εαν τις ὡς περιτ. εκλ., ita vt non sit, quod verba haec, et, quae sequuntur, εν — εκληθη, ex vulgari interpunctione per interrogationem enuncientur. vid. ad v. 21. 27. Μη επισπασθω, (אל ימשך), sc. την ακροβυστιαν, *ne attrahat*, i. e. *ne reficiat sibi praeputium*, (Vulgatus: *ne adducat* h. e. *extendat praep.*), id quod medica quadam arte et ope instrumenti chirurgici, σπασθητηρ, vel επισπαστηρ dicti, fieri solebat, testibus *Epiphanio* lib. de mens. et ponder. et *Celso* de medic. 7, 25. Spectat vero haec formula ad consuetudinem illorum temporum, qua Iudaeorum alii, postquam, abiurata reli-

νος τις ἐκλήθη, μὴ ἐπισπάσθω· ἐν ἀκροβυστίᾳ

gione iud. ad gentes se conuerterunt, vel ex odio iudaismi, vel ex superstitione aliqua, nouum sibi praeputium comparabant, alii vero, inter Graecos degentes, ne ludibrio haberentur, vbi in gymnasiis, ludis et balneis nudi apparerent, alii denique, cum Romani rerum in Iudaea potirentur, hostium iniuriis exagitati et vexati, ad dissimulandam religionis suae professionem, iacturam istam resarciebant. Plura in hanc rem prostant exempla. *R. Alhai* in excerpt. Gemar. Sanhed. c. 6. §. 2. ait: Achanem *sibi fecisse praeputium*. Sic et historiae Macchab. scriptor 1 Mac. 1, 15. εποιησαν, inquit ἑαυτοις ακροβυστιας. Similiter *Ios.* ant. 12, 6. de Menelao et Tobiae filiis commemorat: την των αιδοιων περιτομην επεκαλυψαν, ὡς αν ειεν και τα περι την αποδυσιν Ἑλληνες. Inter illos quoque, qui a Romanorum partibus ad *Bar Cocab*, Pseudomessiam Iudaeorum, defecerant, multos attractum praeputium habuisse, quos ille denuo circumcidi iussetit, Iudaei adnotarunt. Idem obseruat *Ephiphanius* l. c. de Iudaeis, qui Samaritae fiebant, et de Samaritis, qui Iudaismum amplectebantur; qui et ipsi vtebantur επισπασμῳ, vt iterum circumcidi possent. Ex hisce fuisse fertur *Symmachus*, qui V. T. graece verterat, et qui, cum odium Samaritarum sibi contraxisset, ad Iudaismum se contulit, imperante Seuero. Hebraei tales vocabant משוכים, (vt docuit *Buxtorf.* in lex. talm. p. 1274. qui loca e scriptt. iudd., quae ad illustrandam hanc rem faciunt, diligenter collegit), Romani vero *recutitos*, quod *Schoettgenius* ostendit ex *Martial.* epigr. 7, 30. coll. 9, 58. vbi *Farnabius* recutitos Iudaeos exponit: *quibus circumcisis succrescit cutis.* Adi praeterea *Stephan.* thes. l. gr. s. v. σπαω, *Stephanum le Moyne* var. sacr. p. 766. *Bartholinum* de morbis bibl. c. 26. praecipue *Groddeckii* diss. *de Iudaeis, praeputium attrahentibus*, quam *Schoettgenius* in fine horr. hebr. recudendam curauit. Alios scriptores excitauit *Fabricius* in bibliographia ant. p. 382. Respexit ad l. n. *Hesych.* glossa: μη επισπασθω· μη ἑλκυετω το δερμα. Haec autem malis artibus excogitata perfidia, quae tum temporis inter Iudaeos vigebat, et Iudaeo-Christianos inuasit, quorum nonnulli tanto feruore omnibus ritibus, Iudaismum resipientibus, nuntium remittebant, vt, probrosam Christianis circumcisionem esse rati, vel επισπασμῳ vterentur, ad resti-

19 τις ἐκλήθη, μὴ περιτεμνέσθω. Ἡ περιτομὴ οὐδέν ἐστι, καὶ ἡ ἀκροβυστία οὐδέν ἐστιν, ἀλλὰ

tuendum sibi praeputium. Quod tamen, cum superstitionis ac nimiae diligentiae esset, iure ab Ap. notatur. Ακροβυστια, ערלה, *praeputium*, ab ακρος *extremus* et βυω vel βυζω *tego*, vel *obthuro*, quod auctore *Thoma M.* proprie de *auribus* ponebatur, vnde βυειν τα ωτα a Luca per συνεχειν τα ωτα expressum Act. 7, 57. Sic etiam Iudaeis, graece loquentibus, homo *gentilis*, *non circumcisus* dici solebat ακροβυστος, i. e. ᾡ το ακρον βεβυσται. Hinc vbi vox απεριτμητος legitur in vers. Alex. Exod. 6, 12. in sua versione posuit vocem ακροβυστος *Theodotion*, qui natione gentilis se tradiderat circumcidendum, Mosis sacra amplexus. Loco n. ακροβυστια *statum hominis non circumcisi*, adeoque *pagani* denotat. *Suid.* ακροβυστια· το μη περιτετμησθαι. Rom. 4, 10. alibi. Hinc εν — εκλ. i. q. εαν τις εκληθη ὡς εν ακροβ. ων, i. e. ὡς την ακροβ. ετι εχων, s. ὡς ακροβυστος. Μη περιτ. *ne circumcidatur*, id quod sine dubio admittere volebant nonnulli Christiani ex gentilibus, vel Pseudoapostolorum vel Iudaeo-Christianorum omnino auctoritate commoti, quippe quorum haud paucos circumcisionem a gentilibus ad Christianismum adspirantibus pertinaciter postulasse, ex reliquis epp. Paull., praecipue ex ep. ad Gal., abunde constet. Sensus est: *qui ex Iudaeo factus est Christianus, non attrahat praeputium; neque ethnicus, qui Christianus euasit, circumcidi se patiatur.*

19. Sequitur ratio cohortationis v. 18., qua ingenua christianismi indoles optime exprimitur. Ουδεν ειναι h. l. dicitur id, *quod nullo loco habetur, et pretio ac effectu caret*, quod Gal. 5, 6. in eadem sententia declaranda per ουδεν ισχυειν, et 1 Cor. 13, 3. per ουδεν ωφελεισθαι exprimitur. Cf. Ioh. 8, 54. Act. 5, 36. 2 Cor. 12, 11. Sic etiam ουδεις et ουδεν leguntur ap. *Plutarch.* de exs. p. 601. το δε σε μη κατοικειν Σαρδεις, ουδεν εστιν. *Eurip.* Iphig. in Aul. v. 968. *Aristoph.* Equit. v. 158. vbi *Casaub.* et *Kuster.* *Arrian.* Diss. Epictet. l. 4. c. 8. p. 491. Cf. *Olear.* ad *Philostrat.* vit. Apoll. 2, 30. p. 121. Eodem quoque sensu voc. *nihil* vsurpauit *Iuuenal.* Sat. 5. v. 132. seq. Τηρησις, proprie *seruatio*, *asseruatio*, vno h. l. in N. T. *obseruationem* quae legum violationi opponitur, significat; quo sensu etiam

τήρησις ἐντολῶν Θεοῦ. Ἕκαστος ἐν τῇ κλήσει 20
ῇ ἐκλήθη, ἐν ταύτῃ μενέτω. Δοῦλος ἐκλή- 21

occurrit Sap. 6, 18. Sirac. 35, 23. Εντολ. τ. Θεου ad praecepta *religionis chr.* potissimum spectare, vix est quod moneamus. Αλλα — Θεου suppl. est τι εστι, i. e., vi oppos. ουδεν εστι, *grauissimi momenti est.* vid. ad 3, 7. Mens Paullina haec est: *in constituenda hominis chr. dignitate prorsus non quaeritur, vtrum antea fuerit Iudaeus an paganus, dummodo praeceptis rel. chr. morem gesserit.*

20. Ap. repetenda sententia commatis 17. iam nunc redire voluisse videtur, vnde digressus erat. Cf. v. 24. 25. Κλησις, ex signif. priori ad v. 17. commemorata, h. l. est *sors, conditio hominis externa, quam Deus cuique assignauit,* quo tamen sensu haud amplius in N. T. legitur. Bene de hac voce exposuerunt S. V. *Tittmannus* in prol. I. de vocabulis oeconom. salut. p. 10. sq. et *Doederlein* in instit. theol. chr. §. 333. Καλεισθαι vero, quod paronomasiam cum voc. κλησις efficit, secunda, *amplectendae religionis chr.*, significatione, ad eundem v. 17. prolata, hic obtinet. Εν ταυτῃ ex hebr. potissimum dicendi genere emphatico repetitur. cf. v. 17. Μενειν εν τινι, *perstare, perseuerare in aliqua re tuenda.* 2 Tim. 3, 14. *Plat.* Tim. εμεινεν εν τῳ ἑαυτου κατα τροπον ηθει. Plura habet *Wetst.* Totum comma vero resoluerim sic: ἑκαστος εν ταυτῃ τῃ κλησει μενετω, εν ᾗ ην, ὁταν εκληθη. *Quilibet vestrum in ea maneat conditione externa, in qua fuit, cum Christianus fieret.*

21-23. Paullo, v. 20. iam id agenti, vt e diuerticulo in viam redeat, aliud alius vitae conditionis, seruilis nimirum, propter religionem chr. non protinus immutandae, exemplum in mentem venit, quod eo rectius ab eo non omittitur, quo magis serui, quorum haud paucos ad rel. chr. transiisse ex c. 12, 13. Eph. 6, 5. et aliunde satis constat, sub libertatis chr. male intellectae praetextu, tam magistratuum quam dominorum imperia spernebant, ita vt modo ab ipsis profugerent, modo etiam molesti essent ecclesiae, cuius sumtu in libertatem vindicari postulabant; quod valde reprehendit *Ignatii* ep. ad Polycarp. Δουλ. εκλ. pro εαν ὡς δουλ. εκλ. vid. ad v. 18. init. Μελετ. h. n. non tam *meditationis*, quam *curae* et *sol-*

θης, μή σοι μελέτω· (ἀλλ' εἰ καὶ δύνασαι ἐλεύ-

licitudinis notionem continet. Αλλ'—χρησαι. Verbis his Ap. transeundo cauere conatur, ne Corinthii modo prolatam, conditionis seruilis aequo animo sustinendae exhortationem ita accipiant, ac si seruitutem libertati ab heris vel sponte oblatae semper praeferre, nec vllam aliam opportunitatem legitimam in libertatem se adserendi amplecti debeant; qua tamen eos *potius* (μαλλον) vti vult. Και, nisi redundat, h. n. valet *etiam*. (vid. infra). Ελευθ. γεν. sc. *non inuito hero*. Χρησαι. Veterum interpp. nonnulli, quo melius procedat ratio consolatoria v. 22., ει και pro *etiamsi* sumentes, praeeunte *Syro*, post χρησ. subaudiunt τῃ δουλειᾳ, sensu prodeunte hoc: *sed etiamsi posses liber fieri*, (nempe fraudibus ac malis artibus), *elige tibi vt seruias*. Sed voc. δουλος nimis remotum est, neque eiusmodi nexu legitur, vt inde τῃ δουλειᾳ commode huc suppleri possit. Praeterea, si haec fuisset Ap. mens, eum *fraudulenti* potissimum libertatis studii notionem diserte expressurum fuisse exspectare licet, cum in hac ipsa totius sententiae cardo vertatur. Rectius igitur *Grotius*, et qui eum sequuti sunt, suppleri iubent τῃ ελευθεριᾳ, vel potius τῳ ελευθ. γεν. in sensum hunc: *si potes, volente domino, libertatem obtinere, noli eam recusare*. Nobis vero nexus sensusque expeditior videtur, vbi μαλλον χρησαι expleuerimus sic: μ. χ. τῳ δυνασθαι (i. e. τῃ ευκαιριᾳ του) ελευθ. γεν. Μαλλον. Vocem hanc plurimi interpp. in explicando et vertendo h. l. prorsus non curant; nonnulli vero cum *Grotio* eo referunt, quod serui christiani libertate sibi oblata *eo magis* vti debeant, *quo expeditius tum Deo et ecclesiae seruire possint*, siquidem serui (secundum *can. apostol.* 82.) non potuerint episcopi aut presbyteri fieri nolente domino; sed frigere hanc sententiam ex longinquo petitam, quis, quaeso, non sentiat? Nostram qualemcunque sententiam, ex qua μαλλον ad dubium referendum est, quod Corinthiis suboriri potuisset, et cuius contrarium *potius* Ap. ab ipsis statui volebat, supra iam protulimus. Vert. sic: *si tu in seruili conditione factus es Christianus, noli hoc curare, quasi haec conditio Christiano probrosa sit, dignitasque chr. a vitae externae splendore ac libero arbitrio pendeat; (quodsi vero praeter religionis beneficium, quod iam nactus es*, insuper et (και) *libertatis commodum data iusta oppor-*

θερος γενέσθαι, μᾶλλον χρῆσαι)· ὁ γὰρ ἐν 22
Κυρίῳ κληθεὶς δοῦλος, ἀπελεύθερος Κυρίου
ἐστίν· ὁμοίως καὶ ὁ ἐλεύθερος κληθεὶς, δοῦ-

tunitate obtinere potueris; tantum absit vt eam amittas, vt eam potius (μαλλον) *amplectaris vrgeasque).* In eundem sensum μαλλον ἑλομενος legitur Hebr. 11, 25. *Kuhnius* ad Diog. Laërt. 10, 20. χρησαι pro χρειαν παρασχου accipit, vt sit: *vsum tui exhibe,* i. e. *frugi seruum te praesta et domino vtilem.* Ingeniosa interpretatio, sed ex vsu loquendi verior vulgaris.

22. Comma hoc arcte iungendum est cum verbis μη σοι μελ. v. 21., quapropter reliqua αλλ' — χρησαι, ad quae prorsus non quadrat ratio, quae sequitur, consolatoria, vncinis includi curauimus. Δουλος, sensu proprio, *seruus libertate ciuili carens.* Ὁ — δουλος, sibi vult: ὁ γαρ δουλος, εξ οὑ εκληθη εν Κυρ. (s. δια, παρα τ. κ.) Απελευθερος, recentioribus εξελευθερος, Rabbinis et Chaldaeis פטור, est *libertate donatus, manumissus.* Suid. ὁ ελευθερωθεις, quod et Syrus hic per מחררא expressit. *Ammon.* ὁ εκ δουλου ηλευθερωμενος. *Phauorin.* ὁ της των δουλων αφεμενος δουλειας, ὁς και εξελευθερος. *Moschopulus:* απελευθερος· ὁ αργυρωνητος ὡν το πρωτον, ειτα ελευθερωθεις· ὁ δε ελευθερωσας αυτον πατρων καλειται. Απελευθ. Κυρ. εστ. quasi *manumittitur a Christo,* i. e. *libertate morali donatur.* Ελευθερος, חפשי *liber*, a seruitute ciuili immunis, siue sit *ingenuus*, siue *manumissus.* Και — κληθεις, iterum est: και ὁ ελευθερος, εξ οὑ εκληθη. Δουλος Χρ. εστ., *seruus Christi est,* sensu eo, quo *doctrinae suae cultores* in seruitutem recipere solet. Expressum est δουλ. Χρ. ad analogiam hebr. עבד יהוה, quod non solum de sacerdotibus et prophetis, sed etiam de *Iudaeis Deum pie colentibus* omnino vsurpari solebat. Eph. 6, 6. 1 Pet. 2, 16. vid. ad Iac. 1, 1. Sensus huc redit: *seruus, ex quo Christianus factus est, a Christo donatur libertate morali,* quippe qua praeditus, omnem sentiendi et cogitandi rationem, ad recti honestique, seu voluntatis div. normam, in doctrina chr. praescriptam, pro libero rationis vsu, vi externa cohiberi nescio, conformare possit. *Sic etiam homo liber, ex quo ad rel. chr. accessit,* ουκ εστιν ἑαυτου (6, 19.), *sed seruus Christi euadit,* quatenus praeceptis doctrinae

23 λός ἐστι Χριστοῦ. Τιμῆς ἠγοράσθητε· μὴ
24 γίνεσθε δοῦλοι ἀνθρώπων. Ἕκαστος ἐν ᾧ
ἐκλήθη, ἀδελφοὶ, ἐν τούτῳ μενέτω παρὰ Θεῷ.

VARIAE LECTIONES.

24. τῷ in formula παρα τῳ Θεῳ omitt. B D E F G I. 17. 37. 46. 57. (c. al. 6.) 72. 73. 74. 89. 91. al. Mosqq. a. g. alii 9. Ed. Damasc. Theoph. "Addendum videri poterat, sed et propter bis praecedentes easdem literas negligi." *Vater.*

I. C. adstrictus tenetur. Egregia antanaclasis, qua, religionis chr. ratione habita, serui liberique conditionem parem esse, Ap. docet. Cf. ante omnia locum nostro simillimum Rom. 6, 20 - 22. ibique sententias *Apuleii*, *Philonis*, al. a *Koppio* adscriptas.

23. Τιμ. ηγορασθ. vid. ad 6, 20. Μη suppl. ουν. Δουλοι ανθρ. pro δουλ. διδασκαλων ανθρωπινων, *homines, qui se humanis doctoribus, quasi mancipant; ab auctoritate et nutu eorum nimis pendent.* Sic *Aelian.* v. h. 9, 19. οἱ ρητορες δουλοι του πληθους εισι. *Eurip.* Phoen. v. 405. δουλου τοδ' ειπας, μη λεγειν ἁ τις φρονει. Collatis iis, quae supra ad 6, 20. copiosius disputauimus, sensus huc redit: *Christus religionem suam, mortem ad eam tuendam in cruce perpessus, verissimam, imo diuinam esse declarauit: nolite igitur ab* humanorum *doctorum lubitu et arbitrio pendere, qui matrimonium impar, circumcisionem, seruitutem, aliasque vitae externae conditiones Christianis indignas et ab ipsis immutandas perhibent; quorum tamen omnium religio chr., quae* diuina *gaudet auctoritate, alia prohibet, alia vero libero vestro arbitrio permittit.* Fortassis etiam τιμ. ηγορ. h. n. cum proxime praecedentibus δουλος εστι Χριστου, positum est pro: δουλοι εστε του Χρ. sensu hoc: "*Christus* magno pretio soluto vos sibi seruos parauit; nolite igitur vos *hominibus* in mancipia tradere; ουδεις γαρ δυναται δυσι κυριοις δουλευειν." Tropo remoto, sensus idem est.

24. De nexu huius commatis cum seq., atque de constructione vid. ad v. 20. Εν ᾡ, i. q. εν τῃ κλησει ᾗ, v. 20. Παρα Θεῳ, alias ενωπιον του Θ., ex hebr. לִפְנֵי יהוה, *coram Deo*, cuius formulae, latissime patentis, significatio pro nexus ratio-

Περὶ δὲ τῶν παρθένων ἐπιταγὴν Κυρίου οὐκ 25

ne constituenda est. Sensus esse videtur vel hic: *tueamini pristinum statum externum* coram Deo i. e. *bene memores, vos semper in conspectu Dei versari, adeoque* sincere et ex animo, *ita vt nullam pristinae conditionis, s. seruilis, s. matrimonialis al., partem negligatis*; vel hic: *perstetis in pristino statu tuendo, id quod, vbi rem* coram Deo, i. e. *ex conscientiae vestrae dictamine examinaueritis*, officiis Chr. conuenientissimum *esse deprehendetis.*

25. 26. Redit Ap. ad propositum; nam cum de viduis v. 8. 9. et de coniugibus v. 10-16. egisset, aequum erat, vt etiam de adolescentibus et virginibus aliquid adderet. Περι eodem sensu vt v. 1. Παρθενος ex solenni quidem signif. est *virgo*, qua ab interpp. longe plurimis et h. l. retinetur. Potest vero etiam ad vtriusque sexus αγαμους referri. *Suid.* s. v. παρθενος· παρα δε Γοργια παρθενος επι παντος αμετοχου τετακται. Idem s. v. Μελχισεδεκ· ετελευτησε δικαιος και παρθενος. et s. v. Αβελ· ουτος παρθενος και δικαιος υπηρχε. Cf. ad h. l. *Aemil. Portum.* T. 1. p. 5. ed. *Kuster* et *le Moyne* ad var. sacr. p. 589. In *Photii* Amphiloch. Quaest. 188. p. 785. ed. *Wolfii*: του παρθενου και ευαγγελιστου Ιωαννου. Eodem sensu occurrit Apoc. 14, 4. vbi *Syrus*: ܒܬܘܠܐ. Cf. praeterea *Gaulmin.* ad libr. de vit. Mos. p. 223. sq. *Lampii* prol. in Ioh. p. 14. praecipue *Elsnerum* ad Apoc. l. c. Iam vero ex recentioribus *Krausius* παρθ. ad *virgines* restringi vult, (de quibus veteres interpp. in h. l. explicando cogitarunt omnes, cum, *Aem. Porto* l. c. adnotante, in vulgatis lexicis masculo genere prorsus non occurrat), quia Paullus v. 27. 28. virilem sexum a παρθ. distinguat; ob quod tamen ipsum παρθ. l. n. de vtroque sexu intellexerim. vid. infra. Maiorem veri speciem huic sententiae conciliari posse arbitrer, cum ex v. 34. 36. 37., vbi παρθ. semper solenni *virginis* significatione obuium est, (quamquam hoc v. 34. vi oppos. γυνη, v. 36. 37. vero ex ipsius disputationis, ad virgines tantum spectantis, indole, necesse erat); tum ex significationis eius, qua ad vtrumque sexum refertur, raritate, ita vt Paullo vix innotuerit. Praeterea vero, quod per se satis certa est, (vid. supra), aliaque vocc. significatione parum trita

ἔχω· γνώμην δὲ δίδωμι, ὡς ἠλεημένος ὑπὸ Κυρίου

ap. Paullum occurrunt, et nexus eam h. l. requirit. Quorsum enim, vbi rem per se spectaueris, Ap. τοις γεγαμηκ. vnius potissimum, nec potius vtriusque sexus αγαμους opposuisset, cum in hoc disputationis genere adolescentum non alia sit ratio, quam virginum? Quo accedit, quod Paullus v. 27. 28. argumentum commatum 25 et 26. manifeste etiam ad adolescentes accommodat; quae quidem accommodatio male procederet, nisi et horum antea mentio facta fuisset. Quare equidem *Bengelio*, *Semlero*, *Schleusnero* et *Schulzio* adstipulor, qui παρϑ. de *matrimonii experte vtriusque sexus* intelligi volunt. Neque tamen cum *Schulzio* ex phrasi ὁτι καλον ανϑρωπῳ v. 26. firmandae huius significationis praesidium repetere ausim, quippe quam Ap. ex initio huius cap., (nisi ex ipsius Corinthiorum epistolae contextu, vid. ad v. 1. et 26.) et huc transtulisse videatur, quaeque et ipsa ad mulieres accommodatu facillima est. Επιταγη, vid. ad v. 6. Γνωμη, q. συγγνωμη ibid. *consilium*, (Sirac. 6, 24. vbi cum συμβουλια permutatur; *Xenoph.* de vectigal. 4, 22. τῃ δε γνωμῃ επιμελουμενοι, *consilio adiuuantes*; cf. etiam 2 Cor. 8, 10.) ita vt γνωμην διδωμι (quam phrasin Graecis satis tritam esse, *Wetst.* et *Kypk.* locis multis ex *Diod. Sic.*, *Dionys. Hal.*, *Philone*, al. huc allatis ostenderunt), sibi velit: *consilium do*, *modeste suadeo*, vel, *Hesych.* interprete: συμβουλευω, vt rescribendum est loco συμβουλευομαι. Επιταγ. — διδωμι ergo i. q. τουτο δε λεγω κατα συγγνωμην, ου κατ' επιταγην, v. 6., et εγω λεγω, ουχ ὁ Κυριος, v. 12. Ελεειν τινα, quo Alex. vocc. רחם, חנן, הטיב, saepissime reddunt, proprie est *misereri alicuius*, *alterius miseria tangi*; hinc, vt et h. l., *misericordiam ipsis factis s. beneficiis demonstrare*. Rom. 9, 15. 16. 18. adeoque ελεεισϑαι *beneficio mactari*. Speciatim vero de beneficiis vsurpatur, in hominibus ad religionis chr. doctrinam, felicitatemque inde redundantem adducendis, conspicuis, Rom. 11, 30. sqq. 2 Cor. 4, 1. alibi, a qua signif. ελ. et h. l. non prorsus alienum est (vid. infra). Πιστος, אמן, נאמן, *sincerus*, *cui fides tribui potest ac debet*. supra 4, 2. 2 Cor. 1, 18. Hebr. 10, 23. Apoc. 1, 5. 19, 11. et alibi in N. T. *Thucyd.* 8, 51. δοξας δε ὁ Αλκιβιαδης ου πιστος ειναι. *Demosth.* p. 1465. 11. ed. *Reiske*. Ὡς — ειναι iam resolv. per: ὡς πιστος ων κατα του

πιστὸς εἶναι. Νομίζω οὖν, τοῦτο καλὸν ὑπάρ- 26

ελεον του Κυριου, nimirum in πνευματι ἁγιῳ cum ipso communicando conspicuum. cf. v. 40. δοκω δε καγω πνευμα Θεου εχειν. Hinc sensus oritur hic: *iam quod attinet ad eos sexus vtriusque, qui nondum matrimonio vtuntur, (quorum de conditione me rogatis), fateor, mandatum huius generis me nullum habere; consilium tamen vobiscum communicem, cum, quae est benignitas diuina, omnino dignus sim, cui fidem habeatis.* Ita semper Paullus, quidquid in se aliisue virtutis deprehendit, ad Dei benignitatem refert, ne vlla meriti suspicio locum habeat. Multi vero ex recentioribus, *Semlerus, Schleusnerus, Schulzius, Rosenmullerus, Krausius*, al., arrepta passiua vocab. πιστος significatione *eius, cui fides habetur, seu aliquid concreditur*, hanc vocem simul muneris apostolici Paullo demandati notionem contiuere rati, l. n. reddi volunt sic: *consilium tamen do, vtpote quem Deus dignum iudicauit, cui concrederet munus apostol.* Sed in omnibus locis, ad quae prouocant, infra 9, 17. Gal. 2, 7. 1 Tim. 1, 11. 12. 1 Thess. 2, 4. hanc notionem non tam in πιστευεσθαι et πιστος, quam in vocc. adiunctis, ευαγγελιον, διακονια et οικονομια, latere putauerim. Praeterea nec v. 40., qui cum l. n. ex eodem genere est, hanc signif. requirit.

26. Νομιζειν, quod ap. profanos scriptores plerumque est *lege sancire*, et *ritu aliquid sancitum s. in more habere*, (vid. S. V. *Schleusnerum*), in N. T. semper est *iudicare, arbitrari* omnino, quo sensu tamen et ap. Graecos obtinet; e. g. *Jamblich.* vit. Pythag. c. 2. p. 9. δι' ἁ σοφος παρα τοις πολλοις νομιζεται. *Hesych.* νομιζειν· οιεσθαι, λεγειν. νομιζομεθα· νομιμα οιομεθα. Cf. *Viger.* de id. l. gr. p. 261. ed. *Zeunii.* Καλον, vid. ad v. 1. Αναγκη, vt hebr. צר vel צרה et מצוק vel מצוקה, lat. *necessitas* (*Tac.* ann. 2, 27. 4. *Suet.* Caes. 48. Tiber. 47.) et nostrum *Noth*, haud raro in N. T. *miseriam* et *calamitatem* denotat, quae *duram nobis quasi necessitatem imponit*, vel vt αναγκαια τυχη *euitari nequit.* Luc. 21, 23. 1 Thess. 3, 7. 2 Cor. 6, 4. coll. 12, 10. (vbi ταις στενοχωριαις, θλιψεσιν etc. iungitur). Nec desunt exempla e graecis scriptt. v. c. *Xenoph.* mem. 3, 12. 2. *Diod. Sic.* 3, 13. *Aeschyl.* Prometh. vinct. v. 107. *Aelian.* v. h. 14, 24. Hinc *Phauorin.*: αναγκη διττη, ἡ μεν προς βιαν, ἡ δε κατα

χειν διὰ τὴν ἐνεστῶσαν ἀνάγκην, ὅτι καλὸν

φυσιν. Ενεστως de tempore tam *praesente* quam *futuro* vsurpatur; vid. supra 3, 22. Rom. 8, 38. Gal. 1, 4. Hebr. 9, 9. *Hesych.* ενεστωτα· παροντα, προκειμενα. Ex priori signif. *Schulzius* την ενεστ. αναγκ. intelligi vult de *aerumnis et calamitatibus in matrimonio viuentibus perferendis*, ταις του βιου δυσκολιαις, τοις του γαμου κακοις. Sed praeterea quod Paullum, maioris perfectionis externae causa, matrimonium omnino dissuasurum fuisse, vix persuadere mihi possim, v. 29. sqq. etiam hic de *persequutionibus religionis chr. asseclis imminentibus*, cogitandum esse clamant, quippe quae, vti ex nouo quodam rerum ordine, cum aeui more pugnante, diuinatu facillimae fuerint, sic in N. T., ad prudentiam Christianis commendandam, saepissime, tam a Christo ipso, quam ab app., commemorantur. Neque aliter *Schol.* cod. A. ap. Cl. *Matth.* haec verba intellexit: δια την ενεστωσαν· ητοι δια την των επικειμενων διωγμων επιφοραν. ῥᾳον γαρ αν τις τους πειρασμους και τας θλιψεις ενεγκοι, μονος ων καθ' ἑαυτον, η γυναικα και τεκνα συνεπαγομενος και τοις τουτων παθεσι συμμεριζομενος. 'Οτι καλον ανθρωπῳ. Ordo verborum procedere debuit vel sic: νομιζω ουν τουτο· καλον ὑπαρχ. ανθρωπῳ το οὑτως ειναι, vel, commate post ουν posito, sic: νομ. ουν, τουτο καλ. ὑπαρχ. ανθρ., ὁτι οὑτως η. Sed post verba νομιζω ουν καλ. ὑπαρχ. causa statim inserta, cur καλον, s. *expeditius*, sit, nimirum δια την ενεστ. αναγκ., Ap., periodi iam inchoatae immemor, noua eam iterum orditur constructione per ὁτι καλον ανθρωπῳ. Cum vero in tanta sententiae interiectae totiusque commatis breuitate eiusmodi anacoluthon vix ferendum sit; quidni τουτο sc. ρημα, s. προσταγμα, συμβουλιον, ad ὁτι — ειναι referamus ita, vt haec verba illud ipsum συμβουλιον contineant per ὁτι allegatum, Paullusque Corinthios suos ablegare videatur ad sententiam v. 1. prolatam, eamque fortassis illuc non minus quam huc ex epistola Corr. transscriptam, vtpote qui caelibatum καλον ειναι ανθρωπῳ forsan declarauerint et ipsi, etiam Paulli tamen assensum expetentes. Sensus tunc oritur hic: *quare censeo, propter imminentem calamitatem, optimum consilium iterum esse illud: "satius est extra matrimonium viuere;"* nam vtique praestat, vnum caput, quam multa obiicere tantis malis. Ανθρωπος ad matrimonii ex-

ἀνθρώπῳ τὸ οὕτως εἶναι. Δέδεσαι γυναικί, 27
μὴ ζήτει λύσιν· λέλυσαι ἀπὸ γυναικός, μὴ
ζήτει γυναῖκα. Ἐὰν δὲ καὶ γήμῃς, οὐχ 28

VARIAE LECTIONES.

28. Pro γημης hab. γαμησης B. 17. 37. 46. Matth. a. in marg. Bas. Antonius et Maximus. Damasc. γαμητη A. λαβης γυναικα. DEFG. *duxeris vxorem*, Tert. *acceperis vxorem*, Vulg. It. Tert. semel caeterique lat.

pertes vtriusque sexus spectat. vid. ad v. 1. Οὑτως εἰναι (s. μενειν, v. 8.) sc. ὡς ἐστι, nimirum αγαμ. s. καϑ' ἑαυτον, *sine coniugio*. Sic etiam lingua germ., nos *ita manere* velle dicimus, vbi, *pristinum vitae institutum* nos *retenturos esse*, declarare volumus. Egregie sententiam huius comm. illustrant loca, a *Grotio*, hic excitata, *Euripidis*:

Μια γαρ ψυχη, ἡς ὑπερ αλγειν
Μετριον αχϑος. —

et *Philippidis*:

Το Πλατωνος αγαϑον εστι τουτο, Φιδυλε,
Μη λαμβανειν γυναικα, μηδε τῃ τυχῃ
Δια πλειονων αυτον προβαλλειν πραγματων.

Cf. etiam Matth. 24, 19.

27. 28. Iam Paullus totius disputationis ambitum in summam colligit, quae inde efficitur. Δεδεσαι Rom. 7, 2. et λελυσαι h. n. de *matrimonio inito* et *nondum inito* adhibentur, ex solenni *vinculi*, quod homines constringat, similitudine, in quam matrimonium vocari solet. *Iamblich.* vit. Pythag. 11, 56. και καλεσαι την μεν αγαμον, κορην· την δε προς ανδρα δεδεμενην, νυμφην. Alium *Achill. Tat.* locum *Koppius* ad Rom. l. c. attulit. Hinc etiam λυσις i. e. q. χωρισμος, *diuortium*, quo sensu et Latini formulam: *soluere matrimonium*, vsurpant. Ζητειν, vid. ad 1, 22. Spectat vero δεδ. γυν. ad v. 10–16., λελ. απ. γυν. ad v. 8. 9. et 25. 26. Vtramque formulam non tam, vt fieri solet, interrogatiue enunciem, quam per εαν expediam (cf. v. 28), quod saepius in eiusmodi orationis contextu omittitur, vt Luc. 11, 5. ante πορευσεται, 19, 22. ante ηδεις, alibi. Verterim sic: *vbi adstrictus fueris mulieri, noli quaerere solutionem; vbi solutus a muliere, ne quaeras vxorem:* i. e. *si viuis in matrimonio, noli facere diuortium; sin vero matrimonii expers es, siue viduus euaseris, siue caelebs sis, noli inire matrimonium.*

28. Cauet nunc Ap., ne, cohortatione modo v. 27.

ἥμαρτες· καὶ ἐὰν γήμῃ ἡ παρθένος, οὐχ ἥμαρτε· θλίψιν δὲ τῇ σαρκὶ ἕξουσιν οἱ τοιοῦτοι·
29 ἐγὼ δὲ ὑμῶν φείδομαι. Τοῦτο δέ φημι, ἀδελ-

enunciata, iis, qui, miseriis instantibus parum territi, matrimonium tamen appeterent, scrupulum iniiciat, quasi matrimonium omnino pro re illicita declarauerit; quod, qui facerent, Apostoli tempore vtique fuisse, ex 1 Tim. 4, 3. satis apparet. Quod tamen Paullus, quae est vulgaris sententia, *his* potissimum h. l. occurrere voluerit, id mihi quidem a loci contextu alienum videtur. Και, pro ὁμως, *tamen, nihilosecius, licet a me monitus.* Γημῃς pro γαμησῃς vid. var. lect. Ἁμαρτανειν, quod vt hebr. חטא, et ar. خطئ, proprie est: *a scopo proposito aberrare*, metaph. hic et alibi sibi vult: *aberrare a legibus div.*, s. *peccare.* Θλιψις proprie est στενωσις, s. *pressio* ex rerum coarctatione oriunda; hinc *calamitas*, (maxime ob rel. chr.), qua et a Latinis homines *premi* dicuntur. Θλ. τῃ σαρκι vero, pro θλ. εν τ. σ., (vt exstat in nonnullis codd.), idque pro κατα την σαρκα, s. της σαρκος, *miseria externa*, (vt egestas, fuga, et i. g. a. incommoda, quae Gal. 4, 14. ὁ πειρασμος ὁ εν τῃ σαρκι vocantur), ex hebr. בשר, quod, vi oppos. πνευμα, רוח, saepius *externam conditionem* denotat. vid. *Koppii* exc. 9. ad Gal. p. 124. Φειδομαι (pro φειδοιμην αν), vt hebr. חמל, חום et חשך, *tutum praesto a calamitatibus*, adeoque *alterius miseria tangor.* Act. 20, 29. Rom. 8, 32. *Hesych.* Φεισεσθαι· ελεειν. Idem Φεισαι· ρυσαι, σωσαι. Sensus est: *adolescentes vero et virgines, nihilo secius matrimonium ineuntes, non tam legem div., quam potius consilium meum neglexisse dicendi sunt, quo ipsos a calamitatibus externis, coniugibus potissimum hoc tempore imminentibus, tutos et immunes praestare volebam.*

29–35. Ap. iam nunc vtrumque illud commatis 28.: θλιψ. τ. σ. ἑξουσ. et εγω δ. ὑμ. φειδ. sibi vberius explicandum sumit, et quidem illud v. 29-31., hoc vero v. 32-35.; ex quo quidem sententiarum nexu et illa constructionis varietas, cui in explicando hoc commate, per se spectato, locus est, dirimenda videtur. Τουτο δε (sc. περι της θλιψεως τῃ σαρκι), φημι vt λεγω δε τουτο, est ad vberiorem rei explicationem transeuntis.

φοὶ, ὁ καιρὸς συνεσταλμένος τὸ λοιπόν ἐστιν·

VARIAE LECTIONES.

29. ὅτι ante ὁ καιρὸς omitt. AB. 17. 23. 46. 67. 72. 73. Alii. Matth. a. c. al. 10. Ed. (etiam St. 3.) Vulg. Eus. Bas. Theodoret. Hier. Ambrst. Pel. Aug. Sedul. Sed habent ὅτι DEFG. 57. (c. al. 6.) Alii. Ed. Syr. Arr. — Verba τὸ λοιπὸν ἐστι diuersis modis efferuntur sic: ἐστι· λοιπον ἐστιν G. 67. ex emend. boern. Vulg. *tempus breuiatum est, et reliquum est*, Ambrst. ἐστι το λοιπον seu ἐστι· το λοιπον; AB. 17. 37. 44. 46. 68. 71. 73. 74. 80. Ed. Arm. Slav. Bas. Cyr. ἐστι λοιπον. D a pr. m. F. Chrys. alicubi ἐστι; omisso το λοιπον; 39. Sequentibus iungunt τὸ λοιπὸν s. το λοιπον ἐστι G. 67. ex emend. 68. 71. Alii. Ed. (etiam St. 3.) Arm. Vulg. It. Clem. Tert. (semel aliter.) Cypr. Hier. Pel. Alii lat. Item Aug. qui tamen alibi, cum Auct. de singul. cler. vtrique sententiae addit τὸ λοιπόν.

vid. ad 1, 12. Ὁ καιρὸς, pro ὅτι ὁ κ., vt nonnulli ex sueto dicendi genere supple-uisse videntur (vid. var. lect.). Συστέλλειν proprie est *vna mittere*; hinc, ex oppos. διαστέλλειν, *contrahere*, *coarctare*, e. g. vestem, linteum, etc. Sirac. 4, 34., et metaph., vbi de *hominibus* adhibetur, est *in angustias redigere*, s. *miserum tristemque reddere*, de *tempore* vero, *molestum*, *turbulentum et luctuosum efficere*. Cf. Macc. 1, 3. 6. 2, 6. 12. et 3, 5. 33. *Symm.* Ps. 72, 21. συνεστέλλετο ἡ καρδία μου. *Hesych.* συνεστάλη· πεφόβηται, ἐδειλίασε. Vid. praeterea *Jul. Poll.* onom. 3, 136. et 5, 123. *Steph.* th. l. gr. T. 3. p. 1007. et *Irmisch.* ad Herodian. 1, 6. 10. p. 202. sq. Sic etiam ap. Graecos συστολὴ respondens τῇ ἀνάγκῃ v. 26. (vid. loca in *Steph.* thes. l. c.) et ap. Latinos *contractio animi* de *tristitia* vel *aegritudine animi* vsurpatur. *Cic.* Tusc. qu. 1. 37. et Lael. c. 13. Alii vero, praeeuntibus *Syr.* et *Vulg.*, καιρ. συνεστ. de tempore *contracto* s. *breui* explicant, quia, quod contractum siue in plicas collectum sit, et breuius euadat, quo sensu, recte monentes, et Latini *dies noctesque contrahi* dicant, quas *breuiores euasisse* perhibere velint. Hinc posteriorem signif. ex etymologia et analogia probabilem quidem, priorem vero ex ipso vsu loquendi certam ideoque praeferendam iudicamus, nexu vtramque admittente. Τὸ λοιπόν, vbi ad superiora reiicitur, non tam est *ceterum*, quo sensu periodum inchoare solet, quam potius *reliquum temporis*,

ἵνα καὶ οἱ ἔχοντες γυναῖκας, ὡς μὴ ἔχοντες

et, induta vi aduerbiali, *postea* significat, quasi κατα το λοιπον μερος χρονου. 2 Tim. 4. 8. Matth. 26, 45. *Aristoph.* Plut. v. 780.; sequentibus vero vbi iungitur, notionem eius continet, *quod peragendum supersit*, quo tamen sensu, addito verbo εστι, haud amplius in N. T. legitur, cum loca ea, quibus Ap. per το λοιπον et ὁ δε λοιπον, *ceterum*, sequentia praecedentibus annectit (supra 1, 16. 4, 2. Phil. 3, 1. 4, 8. alibi), ex alio genere sint. cf. var. lect. Ἱνα, prouti iungitur, vel est *vt*, vel *quando*, ὁτε. vid. ad 4, 3. Και, in rebus s. exemplis pluribus enumerandis, et priori haud raro praemittitur, ad augendam sententiae vim. Εχοντες et μη εχ. γυν. pro γεγαμ. et αγαμ. omnino. Iam sunt, qui το λοιπον ad sequentia referentes, facta interpunctione hac: ὁ καιρ. συνεστ. sc. εστι· το λοιπον εστι, ἱνα κ. τ. λ. reddant sic: *tempus turbulentum iam adest*, (quod tamen aeuo Paullino vix adeo turbulentum iam adfuisse dixeris, vt eiusmodi consilio, quale sequitur, opus fuerit), vel *tempus, sc. pacatum, breue superest*, (nisi tum Ap. καιρος ειρηνης, vel simile quid addidisset), vel denique, *tempus, nimirum της θλιψεως v. 28. contractum, s. breui post futurum est;* (sed καιρ. θλιψ. συνεστ. quis non potius de temporibus turbulentis *mox praeterituris* intellexerit? ne repetam, Paullum et hoc sensu voc. θλιψ. vix omissurum fuisse); *quare nil amplius agendum restat* (το λοιπ. ε.), *quam vt, qui habent vxores, ita*, (h. e. aeque constantes) *se gerant*, (nimirum si ab ipsis diuelluntur), *ac si non habeant.* Sed praeter dubia ea, quae huic explicationi iam inseruimus, quaeque alio, e translatione verbi συστ. ad *temporis breuitatem* in incerto adhuc posita, (vid. supra) nobis suboriundo, augere potuissemus, praecipue attendi velimus ad nexum commatum nostrorum 29-31. tam cum proxime praeced. v. 28. quam cum seqq. 32-35, qui, si quid sentimus, melius procedit, vbi v. 29-31. non minus quam v. 32-35. per explicationem, non per cohortationem enunciatos putauerimus. Quare etiam nec iis adstipulari possum, qui, verbis ὁτι—εστιν parenth. inclusis, reddi volunt sic: *hoc autem dico, fratres*, (*quoniam quod remanet, breue est tempus* sc. του βιου), *vt et, qui habent vxores etc.* quae quidem interpretatio insuper a mente Paulli aliena videtur, quippe qui, eo minime conten-

ὦσι· καὶ οἱ κλαίοντες, ὡς μὴ κλαίοντες· 30
καὶ οἱ χαίροντες, ὡς μὴ χαίροντες· καὶ οἱ ἀγο-

VARIAE LECTIONES.

30. και οἱ αγοϱ. — κατεχ. Cypr. bis sic extulit: *et qui emunt, quasi non ementes ; et qui possident, quasi non possidentes.* perinde ac si legisset vel suppleuisset: και οἱ αγοϱαζοντες ὡς μη αγοϱ. και οἱ κατεχοντες ὡς μη κατεχ.

tus, dummodo coniuges christiani temporibus istis turbulentis constanter se gerant, eos potius a matrimonio ineundo auocare conetur, quo tutiores eos a calamitatibus reddat. Alii denique το λοιπον ad superiora reiicientes, verba ὁτι — εστι vno spiritu enunciari volunt, vt sensus prodeat vel hic: *tempus posthac* (το λοιπ.) *breue* (συνεστ.) *superest, quo exacto* (ἱνα pro ὁτε) *ii, qui habent vxorem* etc., cui interpretationi non haberem, quid opponerem, si καιϱ. συνεστ. satis certo ad *temporis breuitatem* referri posset, quam Paullum potius per solenne illud εγγυς εστιν ὁ καιϱος expressurum fuisse arbitrer; vel hic: *tempus posthac turbulentum* (καιϱος χαλεπος 2 Tim. 3, 1.) *futurum est, quo, qui vxores habent, pares erunt non habentibus*, nempe, quia quotidie in periculo versabuntur, ne alter alteri abripiatur. Sic et nos h. l. sumendum esse existimauerimus; quem tamen prophetiae ex Ies. 24. vel aliunde adumbratae loco haberi nolimus, cui Romanorum bello contra Iudaeos, quod, cum per plerasque vrbes Romanas magna Iudaeorum multitudo dispersa degisset, et ad Christianos haud parum pertinuerit, fidem factam esse perhibent. Quorsum enim prophetiae tribuamus, quae prouidentia Paulli sibi vindicat, vtpote quam fugere vix potuerit, odium Iudaeorum aliarumque gentium aliquando contra Christianos erupturum, qui, nouum sanctiusque vitae genus sequuti, a pristino more iudaico et superstitione pagana alienum, res nouas moliri ipsis viderentur.

30. Κλαιειν h. n. *tristem ac miserum esse.* Luc. 6, 21. μη κλαιειν igitur *hilarem atque felicem esse.* Eodem modo et χαιϱειν ac μη χαιϱειν explicanda sunt. cf. Hebr. 12, 2. Ps. 70, 5. Αγοϱαζειν proprie, interprete *Hesych.*, εν αγοϱᾳ διατϱιβεσθαι, *in foro versari* et *agere*, adeoque etiam, vt h. l., *emere*, שׁבר. Κατεχειν vel valet *obtinere, retinere* quae

31 ρόζοντες, ὡς μὴ κατέχοντες· καὶ οἱ χρώμε-

possidemus, vid. infra 11, 2. Hebr. 10, 23., vel κατεχ. commutatum est cum simpl. εχειν, possidere, vt κατεχοντες i. e. q. κεκτημενοι, quae frequens est mutua permutatio, v. c. in *Callim.* hymn. in lav. Pall. v. 72. et 74. ap. *Ios.* ant. 1, 7. 1. coll. 2, 7. 2. Cf. in vtramque significationem 2 Cor. 6, 10. et ad voc. καταχρασθαι v. 31.

31. Κοσμος h. n. *res externae*, *commoda et bona terrena*, v. c. opes, honores, etc. Matth. 16, 26. 1 Ioh. 2, 15. Iac. 4, 4. vid. ad Iac. 1, 27. Καταχρασθαι, quod etiam occurrit infra 9, 18., proprie quidem est *abuti*, (*Hesych.* καταχραται· κακως χραται.) sed haud raro quoque i. valet q. simplex χρασθαι. 3 Macc. 5, 22. *Plato*: ουκ ορθως καταχεχρηται δωρεα. Cf. etiam *Dionys. Hal.* 5, 15. *Isocrat.* paneg. 1. p. 8. ed. Mori. *Aesch. Socr.* dial. 1, 13. p. 8. 2, 34. coll. 35. p. 29. ed. Fischer. *Euseb.* h. e. 3, 14. Plura e *Iosepho* et *Philone* loca collegerunt *Krebsius* et *Loesnerus* ad h. l. Adi etiam S. V. *Schleusneri* spicil. sec. lex. Biel. p. 101. et *Koeleri* observv. p. 78. Sic et ap. Latinos *abuti*, interdum i. e. q. *vti*. cf. Cic. de nat. D. 2, 60 *nos sagacitate canum ad vtilitatem nostram abutimur*. coll. *Liv.* 27, 46. Mihi quidem Paullus ex praeced. κατεχειν in voc. χρασθαι similiter per καταχρασθαι enunciandum incidisse videtur. Quodsi vero κατεχειν emphatice adhibuerit pro *obtinere*, s. *semper habere*, et καταχρασθαι eum sensu pleniori pro *semper vti* sumi voluisse arbitrer. Similiter *Aelian.* v. h. 3, 13. 8. verbo καταχρ. *largiorem vsum* expressisse videtur, de gente Tapyrorum commemorans haec: ου μονον εις πομα καταχρωνται αυτῳ, αλλα και χρισματα εστιν αυτοις ὁ οινος, ωσπερ αλλοις το ελαιον. Sic et *Lysias*, a *Grotio* citatus; αργυριον κατεχρησατο, (sicut et Romani *abuti rem* dicunt, pro *vtendo consumere*), *absumsit pecuniam*; σχολην καταχρασθαι, *tempus insumere*. Cf. de hac vi praepos. κατα *Abresch.* lect. Arist. p. 278. *Semlerus* vero καταχρ. pro *abuti* retinens, reddit sic: *ea est temporis, quod instat, ratio, vt eos, qui huius seculi rebus non possunt non vti, discere tamen oporteat, iis minus studiose abuti*; quod tamen a reliquo loci tenore nobis quidem alienum videtur. Παραγειν, *transducere*, h. n. intransitiue pro παραγειν ἑαυτον, *transducere se*, *sc. in aliam formam*, i. e. *mutari*, *perire*, vt i. sit q. medium παραγεσθαι, 1 Ioh.

νοι τῷ κόσμῳ τούτῳ, ὡς μὴ καταχρώμενοι.

2, 8. 17. et *παρερχεσθαι*, עבר, Matth. 5, 18. 24, 34. 35. vid. ad Iac. 1, 10. et 2 Petr. 3, 10. Σχημα, a σχεω *habeo* pro εχω, vt sit ὡς τι s. τις σχεει s. εχει ἑαυτον, *quomodo aliquid s. aliquis sese habet*, i. e. *habitus et status externus omnino*, vnde ad cultum, gestum, incessum, formam ac conditionem externam corporis humani transfertur. *Hesych.* σχημα· πλασμα, ἱματισμος, διαθεσις, κομπος. Vid. etiam *Suid.* sub h. v. Adeo late vero hanc vocem patere ex etymol. expectare licet, et locis multis atque idoneis ex *Artemid. Aelian. Xenoph. Plutarch. Herodian.* aliisque collectis, demonstrarunt *Steph.* in thes. l. gr. T. 1. p. 1327. *Wetst.* ad h. l. *Elsnerus* ad Phil. 2, 7. (vbi haec vox occurrit), *Berglerus* ad Alciphron. epp. 1, 34. p. 140. et *Schwarzius* in commentt. critt. l. gr. p. 1292. sq., inter quae nostro ad verbum respondet *Philostr.* vit. Apoll. 8, 7. *και τι το σχημα του κοσμου τουδε.* *Krebsius* vero ad l. n. ostendere conatus est, σχημα τ. κοσμου τ. pleonastice positum esse pro simpl. κοσμος; quam quidem explicationem non solum locus 1 Ioh. 2. 17. sed etiam locus Ios. ant. 3, 12. 3. τῳ σχηματι της δουλειας εκολασε, mirifice confirmat, vbi σχημα της δουλ. simpliciter est *seruitus*. Neque plane aliena est a l. n. *decoris* et *ornamenti* notio, quam voci σχημα vindicauit *Valckenarius* ad *Eurip.* Hippol. v. 373. *Grotius* denique, (cui adstipulatur *L. C. Valckenar.*, prouocans ad loc. *Euripidis* in Ione v. 166. in hanc rem insignem), παραγειν το σχημα της σκηνης dici ratus, vbi scena inuertatur, aliamque plane ostendat faciem, et loquutionem nostram a theatro desumtam esse contendit. Nos in retinenda *habitus externi* significatione acquiescimus, qua vox *schema*, vt plures aliae, etiam in linguam lat. translata est. Cf. *Plaut.* prol. Amphitruon. v. 116. Tota vero sententia παραγει — τουτου tam ad continuum rerum humanarum fluxum omnino, quam ad praesentis Christianorum status immutationem referri potest. Vtrumque locum habet, vbi per exhortationem, posterius vbi per explicationem l. n. enunciaueris. Similiter *Boeth.* consol. philos. 2, 3. 17.

Constat, aeternaque positum lege est,
Vt constet genitum nihil.

Sensum iam constituo sic: *tempus posthac imminet luctuosissimum, quo ad calamitates aequo animo perferendas, vt obdurescamus quasi et humanitatem exua-*

παράγει γὰρ τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου.
32 Θέλω δὲ ὑμᾶς ἀμερίμνους εἶναι. ὁ ἄγαμος με-

mus, nilque miremur, necesse erit; quo vxoribus iuncti erga eas affecti esse debemus, iuxta ac si caelibes essemus, quo minus perturbemur, vbi alter ab altero abripiatur; quo in summa rerum inconstantia, tantum abesse debet, vt laetitiae seu tristitiae totos nos tradamus, vt hilares, nos tristes, tristes, nos hilares esse, nobis persuadeamus; quo denique res emtas, seu opes, non tanquam (semper) nostras spectare licebit, ne eas, mox forsitan aliis cedendas, doleamus: breui enim tempore mutabitur praesens Christianorum status. Sic igitur in hac calamitatum imminentium descriptione, simul ad eas fortiter perferendas *cohortatio* latet, ad quam *Semlerus*, cum veterum interpp. nonnullis, ἵνα v. 29. pro *vt* retinentibus, totum locum reuocare conatur. (vid. supra). Alii vero in explicando h. l. verba, si quid sentio, iusto pressius sequuntur. Sic *Grotius* v. 30. sic explicari vult: οἱ κλ. ὡς μη κλαιοντ. *non vacabit iis, qui in luctu erunt, sumere lugubria; insuper erit cur gaudeant ob ereptos amicos calamitatibus:* οἱ χαιρ. ὡς μη χαιρ. *sponsi et sponsae paria cum ceteris mala ferent, nec manebit eis gaudium.* etc. Similiter *Vorstius*, *Piscator*, alii, omnia praeter rem ad conditionem matrimonialem reuocant sic: *qui flent ob vxorem et liberos mortuos, tanquam non flentes haec patienter ferant, seque consolentur spe vitae futurae; qui gaudent ob vxorem ductam, et liberos natos, non gaudeant, breuitatem et vanitatem horum gaudiorum considerantes.* Sic fere etiam *Schulzius*, qui ceterum huc attulit locum egregium *Diog. Laert.* 6, 29. επηνει τους μελλοντας γαμειν, και μη γαμουντας, και τους μελλοντας καταπλειν, και μη καταπλεοντας, και τους μελλοντας πολιτευεσθαι, και μη πολιτευομενους, και τους παιδοτροφειν, και μη παιδοτροφουντας, και τους παρασκευαζομενους συμβιουν τοις δυνασταις, και μη προσιοντας.

32-35. Nexum ad v. 29. indicauimus. Θελω iterum pro θελοιμι. vid. ad v. 7. Αμεριμνος, quod in N. T. praeter h. l. etiam occurrit Matth. 28, 14. est *vacuus curis*, (vid. ad μεριμναν quod sequitur), vnde etiam ἡ αμεριμνια et το αμεριμνον *animus curis vacuus* ap. *Herodian*, 2, 4. 13. et 1, 6. 26. vbi *Irmisch*. In versione Al. haec vox, adnotante *Schleusnero*,

μεριμνᾷ τὰ τοῦ Κυρίου, πῶς ἀρέσει τῷ Κυρίῳ·
ὁ δὲ γαμήσας μεριμνᾷ τὰ τοῦ κόσμου, πῶς 33

non legitur, sed in *Symmachi* fragmentis Ps. 112, 7. sec. hebr. חטב, qui etiam verbo αμεριμνεω pro hebr. חטב vsus est Ps. 45, 8. Sap. 6, 16. 7, 23. Αμερ. ειναι vero h. l. *comparate* intelligendum est. Θελω—ειναι ad sensum igitur non differunt a phrasi εγω δε υμ. Φειδ. v. 28. Ὁ αγαμ. sc. παρθενος, *adolescens matrimonii expers*. vid v. 34. coll. v. 25. Μεριμνα, pro μονον s. μαλλον δυναται μεριμναν, i. e. *curam alicuius rei gerere*, i. q. πραγματευεσθαι, ζητειν, Φροντιζειν, μερμηριζειν, (vnde philosophi veteres, quorum prouidae curae iuuenes crediti erant, μεριμνηται olim dicebantur, quos vna voce μεριμνοΦροντιστας dixit *Aristoph.* nub. v. 101. vbi *Spanh.* nec non ad v. 92.). Cf. *Hesych.* s. vocc. illis, et s. μερμηραι, quas omnes cum μεριμναν composuit. Nemo vero των μεριμνωντων animi volutationem magis egregie descripsit *Virgilio*, Aen. 8. v. 19. sqq. Τα του Κ. sc. πραγματα, *res, quae ad pietatem et religionem*, et quidem h. n. *vel inter summas calamitates, constanter tuendam, pertinent.* (Nos: *die Angelegenheiten, die gute Sache Gottes, oder der Religion.*) Αρεσκειν, non solum *placere*, sed etiam (vt 10, 33. Gal. 1, 10.) ζητειν αρεσκειν, *studere, vt alicui placeamus*; ita vt αρεσκειν τ. Κυρ. sit: *componere se ad voluntatem Dei*, nimirum *in religione profitenda, factisque declaranda*; quod v. 34. explicatur per αγιον ειναι σωματι κ. πνευματι. Πως—Κυρ. vero, quasi praemissa formula τουτ' εστι enunciata essent, addita sunt ad explicanda verba μεριμν. τ. τ. Κυρ.

33. Comma hoc iungi debuit cum v. 32., alias et comma 34. dissecandum fuit. Τα του κοσμου sc. πραγματα, *res quae ad vitae praesentis in coniugio transigendae conditionem requiruntur*. Αρεσκειν τῃ γυναικι, *amorem vxoris, comparandis iis, quae ad vitae cultum pertinent, seruare, seruatumque augere*. Verissime *Menander* in eandem mentem

Το γυναικ' εχειν, ειναι τε παιδων, Παρμενων,
Πατερα, μεριμνας τῳ βιῳ πολλας Φερει. —

Reliqua vid. ad v. 32. Verto sic: *Vos anxiis curis liberos esse velim. Iam vero qui matrimonium non iniit, vnice religioni, in summis licet calamitatibus, profitendae et exercendae studere potest; qui vero matrimonium iniit, res huius seculi externas*

34 ἀρέσει τῇ γυναικί. Μεμέρισται ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος· ἡ ἄγαμος μεριμνᾷ τὰ τοῦ Κυρίου, ἵνα ᾖ ἁγία καὶ σώματι καὶ πνεύματι· ἡ δὲ

VARIAE LECTIONES.

34. De lect. varietate in verbis μεμερ. — παρθ. conspicua vid. Exc. V. — Praeterea post του Κυριου addunt πως αρεσει τῳ Κυριῳ 4. 57. (c. al. 3.) 73. Theoph. ed. et Matth. d. i. Aug. semel. cui tamen appendici vel concinnitas cum verbis πως αρεσει τῳ ανδρι vel v. 32. occasionem dedisse videntur.

non potest fere non curare, sed vt etiam ea, quae ad vitam in coniugio transigendam requiruntur, curet necesse est. Suppl. *hinc coniugii hoc tempore haud temere ineundi vobis auctor eram.*

34. Argumentum v. 32. 33. transfertur ad virgines. Και μεμ. και ἡ γυν. και ἡ παρθ. (sic enim legi velimus), vert. *eodem modo etiam nuptae et virginis diuersa est sors s. conditio;* ita vt ex triplici isto και primum pro οὕτω και (sc. ὡς ὁ αγαμος και ὁ γαμησας v. 32. 33.) alterum pro *etiam*, et tertium pro *et* sumamus, quamquam nobis non repugnantibus, και illud, secunda et tertia vice etiam per *cum, tum*, reddi potest, vt in verbis proxime sequentibus και σωμ. και πνευμ. Plura vero de horum verborum tam lectionis quam interpretationis varietate exhibebit Exc. V. Ἡ αγαμ. i. q. paullo ante ἡ παρθενος. Ἱνα, suppl. τουτ' εστι· μεριμνᾳ ἱνα etc., ita vt verba ἱνα — πνευμ. (aeque ac verba πως αρεσει τῳ Κυρ. v. 32.) addita sint ad formulam τα του Κυρ. vberius explicandam. Quo verborum mutuo nexu adductus etiam voc. ἁγια ad *virtutis studium* referre non dubito, (vid. infra.) parum veritus cum *Noesselto*, ne sic locus n. eo detorqueri possit, vt Paullus coniugium in vitio esse dicat, (quae omnino stultissima esset interpretatio, eius ipsius verbis v. 28. prorsus repugnans), nam vti omnia, quae v. 32-34. de μεριμναις coniugum et caelibum commemorantur, *comparate* intelligenda esse supra iam monuimus; sic etiam *eximii* et *singularis* notio, quam *Noesseltus* cum *Grotio* aliisque, ex propria voc. קדוש significatione retineri vult (vid. ad 1, 2.) ad *eximiam*, vbi in sensum inquisiueris, *virtutem* et *pietatem* demum recurrat, necesse est. Σωμα hic spectat ad *actiones corporis* vid. ad 6, 20. et Iac. 3,

γαμήσασα μεριμνᾷ τὰ τοῦ κόσμου, πῶς ἀρέσει
τῷ ἀνδρί. Τοῦτο δὲ πρὸς τὸ ὑμῶν αὐτῶν συμ- 35

2., vt πνευμα, i. e. h. n. νους, ψυχη, ad *animi sensus*; nisi ex solenni hominis partitione in σωμα και πνευμα haec verba pro ανθρωπω ὁλω s. ὁλοκληρω sumi malueris, vt *omnium virium in virtutis exercitio adhibendarum et exhauriendarum* notionem exprimant. Cf. 1 Thess. 5. 23. vbi *Koppe*. Praefero prius, vt ἁγ. τ. σωμ. ad *corporis castimoniam* spectet, in sequioris sexus hominibus praecipue laudari et praedicari solitam. Tunc quorsum Paullus, qui reliquas formulas prorsus non variat, verba μεριμνα τα τ. Κυρ., quae v. 32. additis: πως αρεσει τ. Κυρ. explicauerat, h. n. potissimum per ἱνα η ἁγ. κ. σωμ. και πν. exponere maluerit, manifestum est. cf. var. lect. Γαμησασα i. q. paullo ante γυνη. Reliqua explicata vid. ad v. 32. 33. Sensus est: *virgo libero satis animo praecipuoque studio intenta esse potest causae Domini, ita vt, vel inter atrocissimas calamitates, corporis castitate, ac mentis puritate, virtutis chr. praeceptis conuenienter viuat et sentiat*, vel: *vt adhibitis omnibus viribus* (pro quo et nos dicere solemus: *mit Leib und Seele*), *totam se tradat virtutis studio; nupta vero*, s. *coniux, quae domesticis ministeriis diligenter obeundis, mariti amorem sibi conciliare studet, parum intenta esse potest causae diuinae*; vnde Paullus iterum a Corinthiis dissuasi ipsis matrimonii causam repeti vult. Cf. cum l. n. *Stobaeus* serm. 22. p. 443. Θεανω ἡ Πυθαγορικη φιλοσοφος, ερωτηθεισα, τι πρωτον ειη γυναικι· το, τῳ ιδιῳ, εφη, ανδρι αρεσκειν. Anthol. 1, 13. 12. τοις δ' αγαμοις αφροντις αει βια. et 3. εχεις γαμον, ουκ αμεριμνος εσσεαι. Plura dabit *Wetst.*

35. Συμφερον, *vtilitas, commodum*, ad sensum i. q. καλον v. 1., ita vt τουτο — λεγω non differat ab εγω δε ὑμων φειδομαι v. 28. et θελω ὑμ. αμερ. ειν. v. 32. Sic etiam de caelibatus commodis legitur Matth. 19, 10. et infra 10, 23. συμφερειν ac οικοδομειν tanquam synonyma permutantur. Plura de hoc vocab. vid. ad 6, 12. Βροχος omnino *laqueus*, quo v. c. quis suspenditur, (*Suid.* το της αγχονης σχοινιον), quo nauis alligatur in littore et ancora firmatur, (*Etym. M.* ὁ εις τας αγκυρας ενημμενος και τα απογεια σχοινια δια το βρεχεσθαι.) et cuius vsus erat in bellis et obsidionibus, vbi hostes laqueo in-

φέρον λέγω· οὐχ ἵνα βρόχον ὑμῖν ἐπιβάλω,

iecto ad se pertractos capere solebant, (*Ios.* b. i. l. 7. c. 29. βροχον γαρ αυτῳ τις πορρωθεν περιβαλλων, εμελλεν επισπασειν. coll. *Phil.* de vit. Mos. l. 3. p. 691.) et, vt מוקש et παγις 2 Tim. 2, 26., in auibus ac feris irretiendis et capiendis, (*Eurip.* Herc. fur. v. 153. Herculem narrat leonem εν βροχοις captum occidisse, et *Plutarch.* in amator. p. 757. δολουντες, inquit, ορυγμασι και βροχοις λυκους και αρκτους. cf. *Potter.* ad *Lycophron.* p. 145. et *Polluc.* onom. 5. c. 4.) Plura dabunt *Wetst. Kypk.* et *Loesn.* ad h. l. Hinc βροχον επιβαλλειν h. n., similitudine ducta a re vel bellica, vel venatica, metaph. est: *vi cum astutia coniuncta inuitum ad aliquam rem adstringere*, vt i. sit q. ζωγρειν εν παγιδι 2 Tim. l. c. et ζυγον επιθειναι Act. 15, 10. Paullum vero, quae est nonnullorum interpp. sententia, metaphoram v. 27. inchoatam hic continuantem, vinculo coniugali opponere laqueum collo iniectum, vix crediderim, cum metaphora illa e genere prorsus alio sit. Προς — Κυριῳ pro verbis προς το ευσχημονειν και ευ παρεδρευειν τῳ Κυριῳ, *ad decentiae et piae omnino virtutis studium promouendum.* Nimirum ευσχημον, quod vi originis est *forma eleganti et bene composita praeditum*, (*Hesych.* ευσχημονες· εν σχηματι εν ορχησει ποιουντες.) hinc ad *morum bene compositorum honestatem* transfertur, (*Etym. M.* ευσχημων· ὁ κοσμιος και πειθομενος τοις νομοις.) ac iterum, vt ἁγ. τ. σωμ. v. 34., ad *castitatem externamque vitae honestatem* spectare videtur, a *virginibus* potissimum colendam, quas Paullus cum in proxime praecedd. et seqq. de his ipsis sermo sit, ac voc. huic oppositum ασχημονειν v. 36., *virginum* ratione habita, vsurpetur, et h. l. praecipue in animo habuisse putandus est. Vid. de h. v. *Schwarzii* comment. gr. ling. p. 610. et eiusd. notas ad *Olearium* de stil. N. T. p. 283. Quare *honestatem* illam, de qua hic sermo est, cum *Krausio* eo referre vix possum, *vt habeant vnde viuant, neque propter paupertatem, quam temporibus calamitosis nupti magis sentiant quam innupti, multa, minus digna, et pati et agere coacti sint.* Ευπαρεδρος vero, siue, coll. var. lect., ευπροσεδ. τῳ Κυρ. (pro παρα ε. προς τ. Κ. *apud Dominum*, suppressa praepositione, vtpote iam in ευπαρ. et ευπρ. latente), i. e. τοις του Κυρ. v. 32. 34. est *adsiduus in obseruandis virtutis praeceptis*, et i. q. ἁγ. τ. πνευμ.

ἀλλὰ πρὸς τὸ εὔσχημον καὶ εὐπάρεδρον τῷ Κυρίῳ ἀπερισπάστως. Εἰ δέ τις ἀσχημονεῖν 36

VARIAE LECTIONES.

35. ευπαρεδρον pro ευπροσεδρον leg. A B D E F G. 17. 23. a pr. m. 31. 37. 39. 46. 57. (cum 49.) 72. 73. 74. 80. al. 7. et Barb. 1. Matth. a. in marg. b. bis. e. bis. m. Ed. Clem. Eus. Bas. Cyr. Chrys. alicubi et in Matth. 7. Theodoret. bis. Damasc. Theophyl. (etiam in Matth. d. i.) Alii. — Verba και — απερισπ. omitt. codd. lat. ap. Hier. (ob translationis difficultatem, vt ille opinatur.) Ambr. Ambrst. *et praesente Domino non recedentes*; clar. germ.

v. 34., phrasi tamen, ni fallor, inde petita, quod, qui ex Iudaeis templum frequentabant, *Deo ipsi*, quem ibi potissimum praesentem perhibebant, *quasi adsiderent*. Cf. Luc. 2, 37. Απερισπαστως, (alias αδιαλειπτως), est: *absque vlla distractione*, siue ex multis grauissimisque negotiis, siue e curis et sollicitudine orinnda, (*Hesych.* αμεριμνως, αφροντιστως, ησυχως.) spectatque h. n. ad vim voc. ευπαρεδρ. magis augendam, et i. e. q. ανευ του μεριμναν τα του κοσμου. Quam quidem explicationem contra *Knatchbullum*, qui interpretatur: *sine violenta abstractione, nempe in verba mea; non vt vi aliqua vos traham in verba mea et cogam vos et volentes et nolentes in virginitate degere*, defenderunt *Bosius* in exerc. phil. p. 134. et *Raphelius*. *Kypkio* "videntur phrases Ap. alludere ad historiam a solo Luca, Paulli comite, narratam c. 10. v. 39. 40. το ευπαρεδρον obseruabat Maria παρακαθισασα παρα τους ποδας του Ιησου, το απερισπαστως negligebat Martha, quae περιεσπατο περι πολλην διακονιαν," nisi hoc iusto longius petitum dixeris. Sensus huc recurrit: *quae hactenus* (de matrimonio *virginibus* potissimum dissuadendo) *disserui, ad commodum vestrum, minime vero eo spectant, vt necessitatem vobis imponam, ex meo arbitrio agendi, sed vt decoro ac honestati semper studere, et indefessam in Deo colendo assiduitatem praestare possitis*. Similes sententias ex profanis scriptt. *Wetst. Kypk.* et *Loesn.* collegerunt tam ad l. n. quam ad Luc. 10, 40.

36. 37. Parentum causa Ap. addit, quando ab huius consilii norma recedentes, filiam alicui nuptum dare debeant. Τις, sc. πατηρ, quem Ap. hic potissimum alloquitur. vid. infra. Ασχημονειν, (futuri vim h. l. su-

ἐπὶ τὴν παρθένον αὐτοῦ νομίζει, ἐὰν ᾖ ὑπέρ-

VARIAE LECTIONES.

36. ασχημονει, omisso postea νομιζει, FG. — Pro γαμειτωσαν, quod omitt. Aeth., habent γαμειτω D a. pr. m. EFG. Syr. Arr. Slav. 5. boern. Aug. *si nubat*, Vulg. clar. germ. Slav. ed. clar. germ. Ambr. Hier. Ambrst. Sedul. Pel. Beda.

stinens), vel est *turpiter agere*, (Hesych. ασχημονει· ακοσμει.) vel, vt נִקְלָה Deuter. 25, 3. *ignominia affici*, vt ap. *Eurip*. Hec. v. 407. ασχημονησει τ' εκ νεου βραχιονος σπασθεις; vbi Schol. ασχημονησει per ατιμασθηναι interpretatus est. Plura dabit *Kypk*. Iam ει — νομιζει eo spectant, quod vereri potuerant parentes, ne commune sibi cum filia adferat dedecus, vel, si quid turpe pro sexus sui et aetatis fragilitate admiserit filia virgo, vel si, primos iam pubertatis annos supergressa, innupta remanserit; pro Rabbinorum sententia: *si filia tua sit* בוגרה (υπερακμος), *manumitte seruum tuum vt ipsi eum facias maritum*. Commode etiam comparari poterit, quod dixit Scriptor epistolar. sub nomine *Phalaridis* p. 362. ex ed. Lennepii; ἡ επι παιδι παρ' ωραν μηκυνομενη παρθενια διαβολην κτaται· πασι γαρ ανθρωποις αισχιστον δεδοκται παρα τους της φυσεως χρονους θυγατηρ οικουρουσα. Praefero prius, quia Paullus superstitiosae huic opinioni vix cesserit. Παρθενος pro *filia virgo*, quo modo παρθενος vsurpatur quoque ap. *Eurip*. Phoen. v. 1564. Iphig. in Aul. v. 714. *Sophocl*. Oedip. p. 183. et *virgo* a *Corn. Nep*. in Epam. c. 3. Cf. *Kypk*. Νομιζ. vid. ad v. 26. Ηι, pro γενηται. Ὑπερακμος, vt παρακμαζων ap. *Xenoph*. (vid. *Raphel*.) et ὑπερωρος ap. *Aeschin*. ep. 10. p. 126., ac nostrum *überreif*, tropo ab herbis seu arboribus, quibuscum homines comparare amant veteres, e posteriori verborum ει - νομιζει explicatione, est: *quae florem aetatis excessit*, i. e. *plus quam adulta est*, *exoleta*, (*Hesych*. ὑπερακμος: μεγας, *Suid*. ὑπερδραμων την ωραν.); e priori vero: *quae plenariam ad nuptias maturitatem nacta est*, ita vt connubium vehementer appetat. Vid. loca a *Wetst*. et *Kypk*. huc allata, praecipue *Eustath*. ad Il. α. p. 11, 31. Και - γινεσθαι q. εχων αναγκην v. 37., *vbi aliter fieri* (i. e. *vbi ignominia ista aliter auerti*) *nequit*, sc. *quam, vt eam elocet*, vrgente nimirum necessitate ex corpore seu animo puellae. Ὁ θελει (pro ὁ θελοι), ποιειτω pro εξουσιᾳ του ιδιου θελημ. v. 37.,

ακμος, καὶ οὕτως ὀφείλει γίνεσθαι· ὃ θέλει ποιείτω, οὐχ ἁμαρτάνει· γαμείτωσαν. Ὃς δὲ 37
ἕστηκεν ἑδραῖος ἐν τῇ καρδίᾳ, μὴ ἔχων ἀνάγκην,

nam haec res more Iudaeorum et Graecorum a patris auctoritate pendebat. Ap. vero non suadet, sed rem patris arbitrio permittit, quo minus hic της παρακμης filiae suae, et consilii apostolici praetextu abutens, eam temere elocet, haud amplius examinans accurata mentis trutina, an ignominiam, a filiae ingenio fortassis extimescendam, alio modo praecauere possit. Ουχ ἁμαρτ. vid. ad v. 28. Γαμειτωσαν ad filiam, et qui eam desiderat, referri debet. cf. var. lect. Ex abrupto dicendi genere, quo Ap. vtitur, apparet, eum non sine indignatione incontinentiae virginum istius aeui indulsisse. Verto sic: *quodsi vero pater existimet, se subiturum esse aliquid dedecoris propter filiam virginem, vbi pleniorem ad nuptias celebrandas maturitatem nacta connubium appetiuerit, neque dedecus illud, quod extimescit, aliter auerti posse videatur; liberum sit ei, re diligenter et proprio iudicio expensa, elocare filiam aut non elocare. Quicquid fecerit, non peccat. Matrimonio iungantur, per me licet.* Semlerus vero, vti totum hoc cap. non ad Christianos omnino, sed ad ecclesiae ministros refert, (vid. supra); sic etiam, in h. l. explicando, antistitum rerum chr. nonnullos, qui Corinthi, licet absque Paulli auctoritate, sacrarum virginum, quales apud Graecos Romanosque deprehenduntur, ordinem instituerint, ortis de hac re dissensionibus, ad Paullum scripsisse existimat, sententiam eum rogaturos; quibus iam respondeat sic, vt, in causa mediocri, neutrum omnino offendat, nimirum: non peccare eiusmodi virginem, si, relicto sacrarum virginum ordine, nubat, eamque, se non inuito, matrimonium inire posse. Quam tamen interpretationem, in summa licet, quam ex nostra v. 35. explicatione mutuari videtur, probabilitate, deficientibus sat certis de hac re historiae documentis, in medio relinquendam esse putauerim.

37. Ὃς δε sc. πατηρ vid. ad voc. τις v. 36. Ἑστηκεν, vt hebr. עמד 2 Reg. 23, 3. et lat. *perstare*, h. n. metaphora ab agonista s. bellatore, aduersario haud cedente, repetita, *perseuerantiae* in aliqua re tuenda

ἐξουσίαν δὲ ἔχει περὶ τοῦ ἰδίου θελήματος, καὶ τοῦτο κέκρικεν ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ, τοῦ τηρεῖν

conspicuae, ac inconsiderantiae et leuitati contrariae, notionem continet, cuius adaugendae causa additur voc. ἑδραιος, (pro ὡς εδραιος, i. e. ἑδραιως), quod ex propria *sedentarii*, seu sedem haud facile mutantis significatione, metaph. *tenacem propositi* indicat, alias τῳ ευχερει, (vid. *Kypkium* ad h. l.) h. n. vero τῳ νομιζοντι v. 36. oppositum. Vid. infra 15, 58. Col. 1, 23. *Hesych.* ἑδραιοι· σταθηροι, ασαλευτοι. — εδραιον· βασιμον, στερεον. Sic etiam *Phauorin.* Eodem sensu ap. *Stob.* serm. 1. ἑστως αμετακινητος inter se iunguntur. Εν τῃ καρδιᾳ vel, vt εν θυμῳ ap. *Homerum* et בלב ap. Hebraeos, redundat, vel propriae voc. ἑστηκεν significationi in metaphoricam transferendae inseruit, vt sit: *si quis* animo (h. e. eo animi proposito, του τηρειν την ἑαυτου παρθενον), *satis sibi constat*. Αναγκη h. n. est *necessitas quae ab aliis mihi imponitur, vis, coactio*. 2 Cor. 9, 7. Philem. v. 14. vbi τῳ· κατα αναγκην opponitur κατα ἑκουσιον. Cf. *Irmisch.* ad *Herodian* I, 4. 12. Μη εχων αναγκην igitur est: *si quis non pendet ab aliis*, (coniuge, filia, rel.); id quod iam verbis εξουσ. — ἰδιου θελημ.(pro θελημ. αὐτου), affirmatiue exprimitur. Nam εξουσιαν siue pro *libertate agendi*, (quae et Latinis *potestas* dicitur), Ioh. 10, 18. 19, 10. Act. 1, 7. Rom. 9, 21. siue pro *iure*, seu *licentia agendi*, infra 9, 4. 18. Matth. 21, 23. 2 Thess. 3, 9. siue pro *dominio* seu *imperio*, quod exercetur in aliquem Matth. 10, 1. 28, 18. Col. 1, 13. sumseris, et θελημα vel de *voluntate* omnino, vel de illo ipso voluntatis *decreto*, filiam suam innuptam seruandi, intellexeris; sensus semper est: *si quis potius pro libero animi arbitrio agere potest, neque* (si voc. ιδιου vrgeri malueris), *ab* aliena *voluntate pendet*. Και τουτο sc. του τηρειν κ. τ. λ. Κρινειν *statuendi* et *decernendi* vi sumendum est, cf. 2, 2.; *continuatiue* simul et *constantis* proposito notio in tempore praeterito κεκρ. lateat, quam *Gesnerus* in illo *Plinii* (ep. 1, 12. 10.) "*dixerat sane medico admouenti cibum: κεκρικα,*" sibi deprehendisse videtur, equidem non pro certo contendere ausim. Εν τ. καρδ. vid. supra. Τηρειν (sc. παρθενον) τ. ἑ. παρθενον, *innuptam* seruare *filiam virginem*. De posteriori voc. παρθ. significatione vid. ad v. 36., de

τὴν ἑαυτοῦ παρθένον, καλῶς ποιεῖ. Ὥστε 38
καὶ ὁ ἐκγαμίζων, καλῶς ποιεῖ· καὶ ὁ μὴ γαμίζων,
κρεῖσσον ποιεῖ. Γυνὴ δέδεται ἐφ' ὅσον χρόνον 39

VARIAE LECTIONES.

38. Pro recepto vtroque εκγαμιζων sunt qui simpl. γαμιζων substituant. Pro priori A B. 17. 23. 31. 46. Clem. Method. Bas. Pro posteriori ABDEFG. 17. 46. Clem. Bas. Fortassis vtrumque εκγαμ. correctioni debetur, qua, quamuis praeter rem, cautum volebant, ne γαμιζειν, gnataeque nuptiae cum propriis commutarentur. — Loco vtr. εκγαμ. habent εγγαμ. g. ap. Matth. (qui tamen codex saepius in talibus errat), Theodoret. — Priori εκγαμ. assuunt την ἑαυτου παρθενον A B D E. 17. 31. 37. 46. 71. ap. Birch. 73. Syr. Erp. (Syr. p. habet c. ob.) Arm. Ammoniac. Vulg. clar. germ. item Aeth. Clem. Bas. Optat. Hier. Pel. Ambr. Aug. semel. Ambrst. Gaudent. (ex glossem. otioso, verbo εκγαμ. h. n. additamento non indigente). — Totum comma omitt. c. ap. Matth. Repetitum ποιει fefellit scribam.

priori ad v. 25. *Semlerus* vero in his verbis de *filia in virginum ordine seruanda* cogitari mauult. Καλως ποιει, היטיב Ier. 4, 22., h. n. non tam: *legibus diuinis* (Iac. 2, 8.) quam potius *temporum rationi conuenienter*, s. *expedite agit*. vid. ad v. 1. coll. 26.

38. Disputatio vv. 36. 37. in summam colligitur. Και, *etiam* ὁ εκγ., non solum ὁ μη εκγ. Εκγαμ. vero et simpl. γαμιζειν est *nuptum dare*. Matth. 22, 30. 24, 38. Luc. 17, 27. Ὁ εκγαμ. iam est: ὁ πατηρ εκγ. seu vt plene *Theophrast.* char. eth. c. 23. εκδιδους αὐτου θυγατερα. vid. supra, et var. lect. Sensus est: *si quis filiam, connubium vehementius appetentem elocat, bene; si minus appetentem non elocat, magis etiam saluti ipsius prospicit;* (μακαριωτεραν ποιει αυτην. v. 40.). *Semlerus* vero sic: *pro rerum itaque diuersitate, etiam ille benefacit, qui filiam suam elocat,* (*ita ipse arbitror*), *sed et ille alius, qui eam non elocat,* sed nostris praecipue addicit, vt sit ex ordine virginum sacrarum, *suo in loco etiam melius facere potest.*

39. 40. Abit tota disputatio in sententiam suam de secundis nuptiis, ad quas viduae festinabant, in medium proferendam, quae et ipsa Rom. 7, 2. totidem fere verbis legitur. Γυνη, sc. ὑπαν-

ζῇ ὁ ἀνὴρ αὐτῆς· ἐὰν δὲ κοιμηθῇ ὁ ἀνὴρ αὐτῆς, ἐλευθέρα ἐστὶν ᾧ θέλει γαμηθῆναι, μόνον ἐν

VARIAE LECTIONES.

39. νομῳ post δεδεται omitt. A. (B ap. Wetst. non ap. Birch.) D a pr. m. 17. 67. ex emend. (Barb. 1.) Copt. Ammoniac. Aeth. Syr. p. c. ob. Arm. clar. germ. harl. ex emend. tol. Vulg. ms. Clem. Or. bis. Cyr. Tert. Cypr. Ambr. semel. Aug. Hier. alicubi. Vigil. Beda. Voc. fortasse ex Rom. 2, 7. huc translatum est.

δρος, *maritata.* Δεδεται sc. ανδρι, *marito adstricta tenetur, neque eum deserere debet.* De voc. δεδ. vid. ad v. 27., de sententia ipsa ad v. 10. 11. Νομῳ, si sana est lectio, (vid. var. lect.) pro κατα τον νομον. vid. *Koppe* ad Rom. l. c. Κοιμασθαι per euphemiam pro *mori* dicunt tam sacri quam profani scriptores, (infra 11, 30. 15, 6. 18. 20. 51. Matth. 27, 52. Ioh. 11, 11. Act. 7. 60. 13, 36. 1 Thess. 4, 13. 14. 15. 2 Pet. 3, 4. *Xenoph.* cyrop. l. 1. ὑπνου ουδεν εστιν εγγυτερον θανατῳ. coll. *Sophocl.* Electra v. 510. Epigramm. *Callim.* 10. T. I. opp. ed. *Ernesti* p. 284. vnde et sepulcreta veterum κοιμητήρια dicebantur. Cf. *Meurs.* in Lycophr. p. 206.) vti Hebraei שכב, (Deut. 31, 16. 32, 5. Ies. 14, 8. Cf. *Vorstii* phil. sacr. c. 6. p. 199. ed. *Fischeri*), et Rabbini ac Talmud. דמך teste *Buxtorfio* in lex. Rabb. f. 551. Eundem euphemismum etiam sequuti sunt scriptores latini. Cf. *Taubmann* ad *Plaut.* Amphitr. A. 1. Sc. 1. v. 148. et *Ludov. de la Cerda* ad *Virg.* Aen. 10. v. 745. Κοιμηθῃ igitur i. q. αποθανῃ Rom. l. c. Ελευθ. εστ. ᾡ θελ. γαμ. i. e. q. εξουσιαν εχει περι του ιδιου θεληματος ὡστε γαμ. ᾡ θελ. *Semlerus* vero, et hic de *coniugibus ministrorum* ecclesiasticorum agi ratus, quarum fortassis nonnullae alium maritum, qui minus esset his officiis publicis impeditus, eligere maluerint, apostolum h. v. illis ipsis *ministrorum coniugibus* dicere putat, post mariti demum mortem iis licere, *quemcunque alium voluerint* eligere; cuius tamen sententiae ne leuissimum quidem in verbis vestigium deprehendo. Μονον sc. γαμειτω s. γαμηθῃ. Saepius enim μονον ita ponitur, vt aliquid ex contexta oratione supplendum sit. Gal. 2, 10. 6, 12. 2 Thess. 2, 7. Εν Κυριῳ vel, cum *Tertulliano, Hieronymo, Arabe*, aliisque tam vetustioribus quam recentioribus, supplendum est οντι: *modo nubat Christia-*

Κυρίῳ· μακαριωτέρα δέ ἐστιν, ἐὰν οὕτω μείνῃ, 40

no; vel ὡς ἐν Κυρίῳ οὖσα, s. κατὰ τὸν Κύριον, ἀξίως τοῦ Κυρίου: *modo hoc faciat ratione religioni chr. conueniente* (Phil. 2, 29.), neque diuitiarum secundis nuptiis congerendarum, neque libidinosae voluptatis inde capiendae, neque aliarum rerum causa. Praefero posterius, quia Ap. ex mente priori, pro totius huiusce cap. dicendi genere ac tenore: μόνον ἀδελφῷ, scriptum fuisse putauerim. Auctor *Ignatianarum* vero rem informauit sic: *ne sine episcopo nuptiae fiant*, neque caerimoniae profanae admissae fuisse videantur. Sed, adnotante *Semlero*, iuris diuini nihil erat, vt episcopi quasi arbitrio fuerit agendum.

40. Μακαριωτέρα δέ ἐστι (pro ἔσται, *erit*, vt habet *Vulg.*) i. q. καλὸν αὐτῇ ἐστὶ v. 1. 8. 26., συμφέρει v. 35, κρεῖσσον ποιεῖ v. 38.: *tranquillior et felicior erit*, ἐὰν οὕτω μείνῃ, *vbi ita maneat*, sc. qualis est, innupta nimirum. vid. ad v. 26. Κατὰ τὴν ἐμὴν γνώμην, *secundum meam sententiam*, quam formulam satis graecam, ac obseruante *Raphelio* apud *Herodotum* et *Polybium* saepe obuiam, veteres haud raro enunciabant per ellipsin: κατά γε τὴν ἐμήν, s. vt *Plato* loquitur: ἐάν γε ἡ ἐμὴ νικᾷ. Δοκεῖν, *putare, existimare* se dicit Ap., quod satis *certum habebat*. (Nos eodem nexu et sensu: *ich sollte doch denken*, vel: *ich will doch hoffen*). Κἀγώ, suppl. *si quis alius*. Πνεῦμα Θεοῦ, vid. ad 3, 16. *Putauerim tamen nemine vestrum repugnante, et me frui spiritu diuino, ita vt inde et aliqua ad consilia mea auctoritas redundet.* Mens Paulli haec est: *et ego, si quis alius, pro spiritu div. mecum communicato, ea polleo eorum, quae ad religionem, vestramque salutem pertinent, scientia, indeque et recte consulendi auctoritate, vt consilii huiusce mei neque fidelitatem, neque salubritatem et grauitatem in dubium vocare audeatis.* His iam ita explicatis, quam parum praesidii ad defendendum ac tuendum caelibatum vitamque monasticam ex hoc cap. repeti possit, vix est quod vberius demonstremus.

Cap. VIII — X. fin. Agit Ap. hisce capp. VI., περὶ τῶν εἰδωλοθύτων. Mos scilicet erat gentilibus, vt ex animalibus, in Deorum honorem immolatis, partes tantum minutae aris cremandae imponerentur, reliquae vero, stipulata sacerdotibus rata parte, redderentur illis, qui

κατὰ τὴν ἐμὴν γνώμην· δοκῶ δὲ κἀγὼ πνεῦμα Θεοῦ ἔχειν.

victimam obtulerant, quique inde vel epulas sacras siue in ipsis templis, siue in aedibus priuatis instituebant, vel sordida avaritia adducti, seu summa paupertate coacti, carnem reliquam laniis in macellis diuendendam tradebant. 10, 25. 26. Cf. de epulis illis Iud. 9, 23. 3 Macc. 4, 16. *Ovid*. Met. 12. v. 154. *Plaut*. mil. glor. A. 3. sc. 1. v. 117. sq. *Virg*. Aen. 7. v. 174. *Gell*. N. A. 12, 8. *Herodot*. 1, 31. et *Menandrum*, qui in comoedia, cui titulus μεθη p. 115. conuiuiorum istorum sumtus ridet. Plura dabunt *Grotius* ad h. l. *Spencer*. diss. ad Act. 15, 20. lib. 2. de legg. Hebr. rit. et *Cudworth*. in libello, syst. intell. adiecto, de coena dom. §. 6. seq. Eundem morem etiam Corinthi obtinuisse, e v. 10. huius cap., et 10, 20. 21. satis apparet. Iam maxima incolarum pars erant ειδωλολατραι, e quorum numero noui Christiani discesserant. Multos igitur inter illos habebant et propinquos et amicos, quibus, salua religione, et porro familiariter se vti posse arbitrabantur. Sic ad eorum conuiuia inuitati apparebant vel in fanis vel in domiciliis habita, carnemque sacrificam in macellis venalem emere haud dubitabant. At vero cum ecclesia chr. mixta esset, partimque ex hominibus, qui olim Iudaeorum sacris adscripti fuerant, constaret, hi talem fratrum suorum consuetudinem, qua cultum idolorum approbari perhibebant, Num. 25, 2., aegre tulerunt, (vnde et App., vt Christianis ex Iudaeis gratificarentur, in synodo Hierosol. Christianis e gentilibus iniunxerunt απεχεσθαι ειδωλοθυτων, Act. 15, 29.). Verum Corinthii isti, nomine Christiani, intus graecanici philosophi, sicut istud de incestis, ita et hoc ad dialecticas quasdam disputationes trahebant. Liberaliorem quandam cogitandi et sentiendi rationem (γνωσιν) praetexentes v. 1., argumentati sunt fere sic: *idolum re ipsa non est; iam quod non est, id animum contaminare nequit; nihil igitur pecco, qui in templo epuler*. v. 4. sqq. Fortassis etiam, (quae *Storrii* est coniectura), ea pars Corinthiorum, quae Paullo et Apollo adhaerebat, per ipsum veritatis tuendae studium, vel per affectuum intemperantiam, vt in aliis, sic in eo etiam deflexit, vt huius partis exgentiles plu-

Περὶ δὲ τῶν εἰδωλοθύτων οἴδαμεν CAP. VIII,1

res, Paulli exemplo moti, non modo victimarum idolis mactatarum reliquiis venalibus vel suae vel ethnicorum domi vesci solerent, sed sacrificis etiam epulis in idoli cuiusdam delubro interesse non dubitarent. Quicquid autem fuit, altercationes hinc ortae sunt de quaestionibus, e contextae disputationis Paullinae natura prodeuntibus, his: 1., an Christiano fanum adire, ibique carne sacrifica vesci liceat? 8, 1.—10, 24. 2., num carnem a sacrorum cultu reliquam, eamque in macellis venalem, emendi Christiano potestas sit? 10, 25. 26. 3., Christianusne in amici profani aedibus, salua religione sua, eiusmodi carnem edere possit? 10, 27-30. de quibus tamen dirimendis ii, quorum nomine epistola Corr. ad Paullum confecta fuit, minime solliciti fuisse videntur pro γνώσει, qua se pollere perhibebant, certissime persuasi, haec omnia procul dubio ferri posse; quorum tamen sententiam Paullus (forsitan praeter omnem Corr. istorum, sibi solis in hac re confidentium, exspectationem), mitigandam sibi sumit atque corrigendam.

1-7. Ap. igitur, 1., *quaestionem priorem* examinaturus, orditur a refutandis argumentis eorum, qui se *fanum adire, ibique carne sacrifica impune vesci* posse, contendebant. *Primi* argumenti, ab ipsis prolati, pars generalior verbis περι — εχομεν v. 1., specialior v. 4-6. continetur, quarum illa inde a verbis ἡ γνωσις etc. v. 1 — v. 3. fin., vncinis circumscribendis, haec vero v. 7. ab Ap. remouetur. Alii vero aliter in constituendo verborum ac sententiarum nexu hic versantur. Sunt nimirum, qui commata priora sine omni parenthesi enunciari velint, vti *Bengelius* et *Semlerus*, quorum hic verbis περι δε τ. ειδ. a reliquis puncto apponendo seiunctis, reddidit sic: *Iam venio ad idolothyta. Non ignoro, nobis omnibus, qui sumus ex ordine ministrorum, cognitionis aliquam perfectionem tribui posse* etc. Sed ratio illa iusto concisior, et a reliquo vsu loquendi Paullino in hac potissimum ep. conspicuo (vid. ad 7, 1.) aliena; nec ea cum repetitione eorundem verborum v. 4., quae continuatae ibi orationis suspicionem infert, vix satis commode conciliari potest. Plerique potius interpretes nonnulla per parenthesin, cuius Paullum amantiorem esse constat, a reliquis separanda

ὅτι πάντες γνῶσιν ἔχομεν· (ἡ γνῶσις φυ-

censent; quorum *alii* Paullum v. 1. filum mediae orationis ac sententiae prorsus abrupisse, abruptum vero v. 4. connexuisse existimant. Ex horum numero sunt *Erasmus Schmidius*, *L. Bosius*, *Raphelius*, *Wolfius*, alii, ab ipso *Wolfio* laudati, et ex recentioribus *Griesbachius*, *Schulzius*, rel., qui initium parentheseos post verbum οἴδαμεν, finem vero post ὑπ' αὐτου v. 4. collocant, ita vt το· οἴδαμεν v. 1. Paullo occasionem praebuerit de γνωσει in transcursu aliquid commemorandi, sensusque constituendus sit sic: *de immolatitiis nouimus*, (*quoniam omnes scientiam habemus etc.*), *de esu itaque immolatitiorum nouimus, inquam, nihil esse idolum* etc. Sed quamquam optimum quemque scriptorem tam Latinum quam Graecum propter illa, quae parenthesi inclusa sunt, easdem voces repetere solere satis constat, (de quo vid. *Bosium* et *Wolfium* ad h. l.); formula tamen ista: περι δε τ. ειδωλ. v. 4. repetita, non solum *interruptum* contextum, sed etiam, ex alia verborum partitione, *continuatam* orationem indicare potest. vid. infra. Praeterea cum verbis illis tam v. 1. quam v. 4. plura per ὅτι annectantur, quae v. 4. in parenthesin redigi nequeant; nec minus v. 1. verba proxime sequentia ὅτι παντες γνωσ. εχ. a parenthesi eximantur, necesse esse videtur. Nec denique, si quid sentio, solum voc. οἴδαμεν satis idoneam de ipsa γνωσει copiosius disserendi occasionem Ap. suppeditasse putauerim. Sed in eo quoque falli videntur interpp. supra laudati, quod *Paullo* verba illa: ὅτι παντες, γν. εχ. vindicant. Quomodo enim Paullus, recte obseruante *Noesselto*, haec ipse scripserit: παντες γν. εχ., qui v. 7. tamen dicit: ουκ εν πασιν ἡ γν.? *Alii* igitur, *Wetstenius*, *Elsnerus*, *Noesseltus*, *Rosenmullerus*, *I. H. Schultzius* (in libello, cui titulus est: περι των ειδωλοθυτων. Stendaliae 1799.) rel., initium παρενθεσεως, ad finem v. 3. producendae, inde a verbis: ἡ γνωσ. φυσ. fieri malunt, ita vt verba praecedentia περι — εχομεν, orationem per se satis plenam efficientia, ipsorum *Corinthiorum* sententiam de idolothytis vescendi iure seu consuetudine excusanda, contineant, in literis, ad Paullum datis, his ipsis verbis expressam; qua, inde a verbis ἡ γν. φυσ. v. 1. — v. 3. fin., castigata, Paullus v. 4-6. illam Corinthiorum sententiam, v. 1. inchoatam, continuet, et ipsam

σιοῖ, ἡ δὲ ἀγάπη οἰκοδομεῖ· εἰ δέ τις δο- 2

v. 7. refellendam. Ap. igitur verba περι δε τ. ειδ. vix v. 4. ex v. 1. repetiturum fuisse arbitrer, nisi aliam huius sententiae, v. 1. inceptae, partem, alii v. 4. additae, per ὅτι bis expressum in ep. Corr. arcte connexam deprehendisset. Sic iam, admisso hoc sententiarum nexu, repugnantia illa inter v. 1. et 7. supra commemorata, prorsus depellitur; sic vocc. οιδαμεν et γνωσις parenthesi, in qua tam του ειδεναι quam της γνωσεως mentio fit, ansam sufficientem satisque idoneam praebuisse videntur; sic initium huius cap. respondet cap. 7, 1., vbi similia affert Ap., quae postea confutat; sic ὅτι aliud, sententiam sententiae iungens, ab alio non diuellitur, et omnis omnino oratio optime procedere videtur. Ne autem a reliquis locis 7, 1. 12, 1. 16, 1., in quibus verba περι δε των *ipsius Paulli*, nouam quaestionem adnectentis, esse deprehenduntur, alienum tibi videatur, eadem hic *Corinthiis* tributa esse quaestionem mouentibus, sicque Paullum praeter consuetudinem, spreto omni transitu, verbis ipsorum Corinth. commemorandis in mediam quasi rem iuisse; memineris velim, tum Paullum formula ista *de suo* addenda quodammodo supersedere potuisse, cum Corinthii eandem in tractando hoc argumento adhibuerint, tum addendo insuper proprio transitu, nexum cum 7, 40. parum in oculos incursurum fuisse, quem hunc esse censerimus: *videor autem et ego mihi diuinitus esse inspiratus, cuius igitur consilio confideré potestis* 7, 40.; "*ad* τα ειδωλοθ. *vero quod attinet, vera* γνωσει *fruimur ipsi* etc. 8, 1." quasi cauturos eos Ap. effinxerit, ne praeter rem multus sit in hoc argumento ventilando, neue ipsis contradicat. Iam ex his hucusque disputatis sententiarum nexum, qualem supra delineauimus, diiudicari velimus. Ειδωλοθυτον, *victima idolis mactata et immolata;* κατ' εξ. vero τα ειδωλ., Hebraeis זבחי מתים dicta, sunt *carnes e victimis paganorum residuae.* vid. supra. Cf. Act. 15, 29. 21, 25. Οιδαμεν, neque de eo intellexerim, quod *inter omnes satis constare* dicimus, quippe quo sensu non fuerit, quod Ap., vocabuli huius ratione habita, v. 2. περι του· ειδεναι loqueretur; neque per *nouimus* reddiderim, quod ταυτολογικον quid cum γνωσιν εχειν efficere videri possit; sed potius vtriusque difficultatis vitandae causa, vel οιδ. emphat. sumserim: *non gloriamur solum*

κεῖ εἰδέναι τι, οὐδέπω οὐδὲν ἔγνωκε, καθὼς

VARIAE LECTIONES.

2. δε minus prob. omitt. A B. 17. 46. 71. 73. 74. 80. Matth. f. Arm. Syr. p. c. ast. clar. germ. tol. Clem. Meletius ap. Epiph. Nyss. Damasc. Ambrst. — εγνωκεναι pro ειδεναι leg. A B D E F G. 17. 31. 37. 38. ap. Wetst. 46. 71. 73. Matth. f. clar. germ. (vtrumvis boern.) Clem. Nyss. Theodoret. alicubi. Damasc. cf. comment. — ουπω pro ουδεπω hab. A B. 17. 31. 46. 71. 73. Matth. f. et D E. ap. Mill. Clem. — ουδεν omitt. A B D a pr. m. F G. 17. 31. 46. 71. 73. Matth. f. Slav. 5. 8. Vulg. It. Clem. Nyss. Meletius. Theodoret. aliquoties. Tert. Cypr. Ambrst. Aug. Alii. cf. comment.

neque simulamus, sed vere conscii nobis sumus, s. *perspectum habemus, nos altioris indaginis scientia frui;* vel verbo οιδ. pro γινωσκομεν sumto, quae in N. T. satis trita est significatio, ὁτι, quod proxime sequitur, per *quia* vel *siquidem* reddens, sensum constituerim sic: *idolothytorum naturam satis perspectam habemus,* siquidem *nos omnes liberaliori omnino intelligentia praediti sumus.* Praefero prius propter v. 4., vbi ὁτι, quod eodem nexu ibi legitur, per *quia* reddi nequit. Παντες sc. ἡμεις, *quotquot his carnibus vesci non dubitamus.* Γνωσις, דעת, h. n. neque de cognitione vniuersa, neque de doctrinae s. literarum excellentia, sed de *recti conscientia*, vel potius de *liberaliori quadam intelligentia, ab omni, per gentes fusa, superstitione ac falsa religione aliena;* quod *recte ac sine officii negligentia fieri aliquid possit,* intelligenda est; quo sensu et hodie, non minus ac tum temporis, vocabulo *Aufklärung* vti ac abuti solemus. Ipse adeo Paullus, adnotante *Noesselto*, γνωσιν v. 7. et 10, 28. sq. de συνειδησει interpretatur, h. e. recti prauique intelligentia, vt in loco plane simili Rom. 14, 22. 23. πιστιν substituit, h. e. persuasionem de eo, quod rectum est. *Hes.* γνωσις· συνεσις, ειδησις, νοησις. Iam περι — εχομ. construxerim sic: οιδ. δε, ὁτι παντες γνωσ. περι τ. ειδωλ. εχομ. Verba autem: περι τ. ειδωλ., vel Paullus, vel epistolae Corinthiacae ad eum scriptae auctor in fronte periodi ponere maluit, quo magis in oculos incurreret nouum quod sequitur argumentum. Exteros vero scriptores quoque dicere γνωσιν εχειν et γινωσκειν περι τινος πραγματος exemplis ex *Heliod.* et *Aristid.* petitis *Elsnerus* demon-

δεῖ γνῶναι· εἰ δέ τις ἀγαπᾷ τὸν Θεὸν, οὗτος 3

strauit. Ἡ γνωσ. φυσ. pro αλλ' αὐτη ἡ γνωσ. s. ἡ γνωσ. μονη φυσ., *sed sola eiusmodi liberalior intelligentia, amore erga Deum destituta, inflare solet*, vel *facile nos inflat*. Est autem, bene monente *Noesselto*, φυσ. (de quo vid. ad 4, 6.) h. n., ex oppos. οικοδ., eorum, *qui, acquiescentes in eo, quod licere putant, sibi viuunt, non aliis, ea curant, quae sibi, non quae aliis prodesse videantur, inprimisque non cauent quae aliis offendiculo sint, atque exemplo suo auferunt, ad imitandumque alliciunt eos, qui recte se facere, non intelligentia sua, sed aliorum exemplo persuasi sunt.* Αγαπη de *amore in alios* ex nexu sententiarum proximo intelligi solet; sed ex v. 3., qui verborum nostrorum ἡ δε αγαπ. οικοδ. vberiorem explicationem exhibet, de *amore in Deum*, i. e. de *pietate omnino*, cogitandum esse videtur, sensu fere eodem. vid. ad v. 3. Οικοδομειν, sc. h. n. την οικοδομην του Θεου (supra 3, 9.) s. οικον πνευματικον 1 Pet. 2, 5. *aedificium ecclesiae et virtutis chr. amplificare et exornare*, h. n. *conferre aliquid ad vtilitatem aliorum quocunque modo, maxime docendo, cohortando, castigando, consolando etc.* et h. n. potissimum *cauendis iis, quae aliis offendiculo esse possint.* Cf. infra 10, 23 (vbi οικοδομει commutatur cum συμφερει), 14, 4. 17. 1 Thess. 5, 11. Simili ratione vsurpatur οικιζειν Sirac. 10, 3. et συνοικιζειν ibid. 16, 5.

2. Commate hoc, quod belle attendamus, sententia illa v. 1. ἡ γν. φυσ., vti comm. 3. altera: ἡ αγ. οικοδ. magis amplificatur. Δοκειν h. n. persuasionis cum *superbia* et *insolentia* coniunctae notionem continet, Matth. 3, 9. Phil. 3, 4. vt respondeat τῳ· φυσιουσθαι v. 1. *Si quis sapere sibi videtur*, eodem sensu et latine dicere possis. Ειδεναι, et εγνωκεναι (vid. var. lect.) vt aequali fere codicum auctoritate gaudere, sic etiam in contexta loci n. oratione bene procedere videntur, cum ειδεναι verbi οιδαμεν proxime praecedentis ratione habita a Paullo adhibitum esse, non omni veri specie careat, εγνωκεναι vero paronomasiam, (cuius Paullum amantissimum esse constat), quae iam in εγνωκε et γνωναι, et ipsis ad γνωσιν v. 1. referendis, cernitur, mirifice adiuuet, quare ex his ipsis verbis vocem εγνωκεναι susceptam esse putauerimus, cum vix quemquam suscipiendo verbo ει-

4 ἔγνωσται ὑπ' αὐτοῦ)· περὶ τῆς βρώσεως οὖν

δεναι paronomasiam illam imminuturum fuisse, probabile sit. Τι, pro μεγα τι, (*wunder was*), eximiam et praestantiorem intelligentiam indicat. Luc. 1, 66. Act. 8, 9. Ουδεπω ουδεν. Negantis particulae geminationem vehementius negare, satis constat. Iam ουδεπω — γνωναι, *nondum quicquam nouit, sicut oportet nosse*, sibi vult: *verum verae intelligentiae finem atque vsum negligit*; id quod v. 3. exprimitur per: ουκ εγνωσται ὑπο του Θεου. Quodsi vero vocem ουδεν suspectam habueris, (cui nobis quidem, ad τι relatae, praecipua vis inesse videtur), εγνωκε et γνωναι, sensu vix mutato, κατ' εξοχην pro *vera* γνωσει *frui* omnino sumi volunt.

3. Ει — Θεον, ex hebr. אהב יהוה, *si quis Deum pia et sancta mente colit*. vid. ad 2, 9. Mens Ap. ex nexu est: *si quis contra intelligentia, cum pietate erga Deum coniuncta, praeditus et ad proximi commodum promouendum sese commotum sentit*, vel, praeeunte *Noesselto*, cum Ap. de *aliorum* amore loqui perspicuum sit, ex dicendi genere praegnantiori, cuius exempla c. 2, 14. et 7, 36. in vocc. ψυχικος et παρθενος prostent, haec: *si quis non curat quae aliorum commodis seruiant, atque, in hac quidem causa, sic, vt exemplo suo vim inferat eorum animis faciatque vt alii sine recti conscientia tamen vescantur iis, quae sacra putent esse Diis, is ipse offendit Deum, cui curae sint animi humani* (v. 11.) *atque in causa est, cur ab aliis pietas in Deum negligatur, quo fit, vt ipse Dei amans dici non possit*. Quodsi quis contra *cauendo aliorum offendiculo* amans etiam est Dei, hic vere ab eo edoctus est, s. *ei recta demum atque vera diuina intelligentia potest tribui*. Sic officium ipsum eius cum commendatione coniunctum esset. Praefero tamen priorem rationem, vtpote ad maiorem dicendi perspicuitatem accedentem. Οὗτος vim orationis auget, vt הוא Gen. 3, 12. Εγν. ὑπ' αυτ. ex veteribus, quorum recensum exhibent *Wolfius* ad h. l. et *Suic.* in thes. eccl. T. 1. p. 762., multi reddunt: *a Deo cognitus est*, i. e. *probatur*; quae tamen signif. neque cum vsu loquendi verbi hebr. ידע (nam loca ista Gen. 18, 19. Ps. 1, 6. 31, 8. Prov. 12, 10. Hos. 8, 4. coll. Matth. 7, 23. 25, 12. Ioh. 10, 14. 15. 17, 3. 2 Tim. 2, 19. Rom. 7, 15.,

τῶν εἰδωλοθύτων· οἴδαμεν ὅτι οὐδὲν εἴδωλον

ad quae prouocant, recte iudicante *Koppio* ad Rom. l. c. ad hoc efficiendum prorsus non sunt idonea), neque cum l. n. contextu conciliari potest, quippe qui sententiam, sententiae v. 2. οὐδέπω — γνῶναι oppositam, requirat, quam et ipsam statim prodire videbis, vbi, pro Graecorum atque Hellenistarum more, verba neutra cum actiuis commutandi, (v. c. *Eur.* Phoen. 233. 1450. *Soph.* Aiac. 40. cf. *Zeune* ad Vig. p. 194.) γινώσκειν, ידע, *cognoscere*, pro הודיע *cognoscere facere*, s. *docere*, Ioh. 5, 42. Rom. 2, 18. coll. 19. 20. 21., adeoque γινώσκεσθαι נודע pro *doceri*, s. διδάσκεσθαι acceperis sic: *is a Deo edoctus* i. e. vera γνῶσει, s. *intelligentia vere diuina praeditus est*. Sic interpretes recentiores statuunt fere omnes, nihilque aptius huic loco esse potest, quidquid contra dixerit *Iac. Peircius*, (dies. sexta, quam adiecit *commentario in ep. Paulli ad Phil. et Col.* p. 62. sqq.), qui perinepte το· οὗτος ad Deum, ὑπ' αὐτου vero ad hominem refert, q. d. *si quis amat Deum, hic* sc. *Deus recte ab eo cognoscitur*. Sensum vv. 1—3. iunctim constituerim sic: "*Ad* εἰδωλοθυτα *quod attinet, in genere perspectum habemus, nos omnes liberaliori frui intelligentia, quam recte nimirum iis vesci liceat.*" (*Bene quidem per se; at vero*, vt paululum, antequam pergatis, hic subsistamus, *sola eiusmodi intelligentia*, *pietatis duce destituta*, *adeoque commodi alterius neglegentior, facile ita nos inflat, vt alios, eadem intelligentiae excellentia haud praeditos, contemnamus, neque adeo caueamus, quae animos ipsorum offendere possint. Iam si quis*, vt mentem meam copiosius illustrem, *sibi soli sapiens, intelligentiam suam gloriandi tantum, minime vero commodum aliorum promouendi materiam existimat, neque offendicula fugit, quae ab ipsis in agendi ratione ad intelligentiae istius normam conformata deprehenduntur, is quidem, vti a vero verae sapientiae fine, in sola virtute tam propria quam aliena in altius semper fastigium extollenda conspicuo, aberrat, ita summa iniuria rectam recti scientiam iactat, nec recte sapere putandus est. Quodsi vero quis liberaliorem intelligentiam suam, cum pietate erga Deum coniunctam, et ab aliorum animi probitate ac salute adiuuanda haud segregandam esse ratus, nullam ipsis*

ἐν κόσμῳ, καὶ ὅτι οὐδεὶς Θεὸς ἕτερος, εἰ μὴ

VARIAE LECTIONES.

4. ἕτερος omitt. A B D E F G. 17. 39. 46. 47. 67. ex emend. 73. Matth. f. i. Copt. Ammoniac. Aeth. Arm. Vulg. It. Cyr. Bas. Iren. Ambrst. Alii lat.

exempli ambigui periculosam imitationem prodit; is demum sapientia vere diuina gaudere putandus est, quippe quae perfectiorem animi indolem omnis sapientiae finem haberi velit).

4—6. "*Ad* βρωσιν των ειδωλ. *igitur, quod attinet,* (sic pergitis), *pro liberaliori, quam modo* in genere *praedicauimus, intelligentia nostra*, speciatim *etiam perspectum habemus*, ὅτι etc." Βρωσις ειδωλ. *Paullum* in repetenda formula περι δ. τ. ειδωλ. v. 1., adiuuandae perspicuitatis causa, pro simplici ειδωλ. surrogasse putauerim, cum *epistolae Cor. auctor*, formulam istam semel tantum adhibens, sic scripsisse videatur: περι δ. των ειδωλ. οιδ., ὅτι παντ. γν. εχομ. v. 1. και ὅτι ουδεν ειδωλον κ. τ. λ. v. 4. Ουν, et particulam hanc επαναληπτικην a *Paullo* hic additam esse, vt ad superiora se redire significet, res ipsa docet, et *Herodoti* quodam loco a *Raphelio* illustratur. Similem επαναληψιν habes 1 Ioh. 1, 3. coll. v. 1. Οιδ. vid. ad v. 1. Ειδωλον h. n. non tam ex propria *simulacri* significatione est *falsi numinis imago*, Hebraeis צלם, quam potius ex oppos. Θεος, et ex syn. λεγομενος Θεος v. 5., *deaster*, *idolum*, quo nomine per contemtum dii gentilium vocabantur, quippe qui simulacra tantum muta, vita et mente destituta, essent; quo sensu hoc voc. in tota hac disputatione sumitur. cf. v. 7. et 10. 19. Ουδεν vel significatione sueta cum ειδωλ., vel *vani* et *commentitii* sensu, quo paganorum Dii שקרים, רוח, הבלים, אלילים, nec non aptissime ad voc. nostrum ουδεν, שוא et עין Ies. 41, 24. ab Hebraeis vocabantur, cum εστι, quod in voc. ουδεν suppleri debet, iungendum est, sensu prodeunte hoc: *perspectum habemus*, nullum *paganorum Deum in mundo*, s. *rerum natura*, *vere esse*, vel, sensu eodem, *Deos paganorum*, *quales in mundo esse feruntur*, commentitios *et nonnisi figmenta*, vel, vt *Ios.* ant. 8, 13. 6. ait, ονοματα ὑπο Φαυλου και ανοητου δοξης πεποιημενα, *esse;* ita vt, ad augendam orationis vim, prae-

εἰς. Καὶ γὰρ εἴπερ εἰσι λεγόμενοι θεοὶ, εἴτε 5

VARIAE LECTIONES.

5. Post λεγομ. θεοι ex sqq. add. και Κυριοι D E. clar. germ. Ambrst. Pel. — της ante γης omitt. A B D E F G. 37. 46. 57. (c. al. 4.) 67. ex emend. 73. 80. Alii, Matth. c. al. 5. Ed. Or. Cyr. Chrys. (etiam in Matth. 2.) Dionys. areop. Theophyl.

dicatum, quod vocant, subiecto praemissum sit. Eodem sensu formula ουδεν ειναι etiam apud auctores profanos obuia est. vid. *Arrian.* diss. Epict. 2, 20. *Eurip.* in Androm. 641. Supplic. 425. *Sophocl.* Aiac. 1292. Antigon. 1328. Praefero equidem constructionem priorem, tum quia per se melius procedit, tum quia ad eam, quae in verbis proxime sequentibus: και οτι ουδεις Θεος etc. cernitur, propius accedere videtur. Fortassis etiam εν κοσμῳ respectu του Θεου, του εν ουρανοις, εξ ου ὁ κοσμος, και παντα εν τῳ κοσμῳ pronunciatum est, cf. v. 6., nisi ειδ. εν κοσμ. pro *idolo profano* sumi malueris, cum profanos saepissime nomine του κοσμου in N. T. maximeque ap. Ioannem insignitos reperiamus. *Elsnerus* vero paganorum Deos ideo hic ειδωλα et ουδεν vocari arbitratur, quia nonnisi *homines defuncti* fuerint, id quod magna locorum farragine demonstrare conatur, quo tamen Euhemerismo, quem vocant, ad Deorum naturam definiendam omnino transferuntur, quae tantum ad manes, inter lares, diuino cultu prosequendos, a Romanis haud raro relatos, pertinere, et a mente Paullina, cui *Iudaeorum* potissimum de idolorum natura opiniones obuersabantur, prorsus aliena videntur. cf. *Cic.* de N. D. 1, 42. ibique *Ill. Creuzer.* Και οτι ουδ. Θεος ἑτερ. sc. λεγομενος, s. των λεγομενων (v. 5.) suppl. εστιν s. μ. ἑ. *et quod nullus alius eorum, qui Deorum nomine veniunt,* re vera sit s. exsistat, *praeter vnum, quem nos Christiani solum colimus,* nisi cum *Schulzio* voc. ἑτερος hic otiari malueris (vid. var. lect.). Ceterum cf. loca, quae ex patribus *Suicerus* (thes. eccl. T. 1. p. 1009.) ex Rabbinorum scriptis *Wetstenius*, ex Iosepho *Krebsius*, aliique aliunde huc attulerunt.

5. Ειπερ, *si vel maxime.* vid. infra vers. Εισι. *Esse* hic dici Θεους λεγομ., non pro auctoris ep. Cor. persuasione, quippe qui paullo ante vllos esse negauerat, sed respectu gentilium, eorumque

ἐν οὐρανῷ, εἴτε ἐπὶ γῆς· (ὥσπερ εἰσὶ θεοὶ

de Diis pluribus persuasionis, vix dubitari potest. Λεγομ. Θεοι, prout λεγειν pro *putare* vel *vocare* sumseris, vel sunt Θεοι νομιζομενοι, *qui hominum existimatione Dii habentur*, vel *Dii a paganis serio, a nobis per abusum sic dicti*; apte ad illud *Philonis* de somn. ὁ μεν αληθεια Θεος εἱς εστι—οἱ δε καταχρησει γενομενοι πλειους. Cf. *Philo* de Cher. p. 122. B. οἱ δε λεγομενοι δεσποται δοξῃ μονον ου προς αληθειαν νομιζονται· αναγκῃ δ' ὡς ὑπηκοον και δουλον οὑτως ἡγεμονα εν τῳ παντι ειναι και κυριον. γενοιτ' αν ὁ τῳ οντι αρχων και ἡγεμων εἱς ὁ Θεος ᾡ λεγειν ην πρεπωδες, ὁτι παντα αυτου κτηματα. Ειτε—γης, בשמים ובארץ, i. q. v. 4. εν κοσμῳ, in *mundi vniuerso*, quod ab Hebraeis aliisque gentibus, pro manca ipsius notitia, sic distribui solebat; vnde et illa Deorum in coelestes (ουρανιους) et terrestres (επιχθονιους) distributio, ad quam l. n. alludit, oriunda est. Ὡσπερ, h. n., *quippe*. Εισι, vt supra. Θεοι πολλ. κ. κυρ. πολλ. alii, vt *Clericus*, ad *angelos* et *magistratus*, Deorum nomine in V. T. insignes, quos Paullus hic *re vera esse* concedat, referri volunt, ne verba ὡσπερ—πολλοι, vbi et ipsa, vt ειπερ—γης, ad Deos commentitios referrentur, inutilem et frigidam efficiant ταυτολογιαν; quod tamen prorsus non est, quod extimescamus, dummodo εισι et h. l. ad *gentilium* de pluribus Diis persuasionem retulerimus. Alii, sensu fere eodem per Deos et Dominos significari tantum volunt *doctores Iudaicos*, qui in Iudaeos tunc temporis, imposito legis iugo, dominatum exercuerint; quae tamen interpretatio ne vsu quidem loquendi satis firma videtur. Alii denique τους λεγομενους Θεους, per quos *homines in eminentia constitutos et obsequio colendos*, quos *esse* Paullus modo dixerit, intelligi volunt, hic addita limitatione, distribui putant in Θεους, i. e. in *Deos a Deo ipso sic appellatos* Ps. 82, 6. coll. Exod. 21, 6. 22, 6. 28. Ioh. 10, 34. sqq. Act. 23, 5. Gal. 4, 8., quibus vt Dei vicariis nomen Deorum hactenus iure quodam conuenerit, et Κυριους, Dominos duntaxat, quibus vel superstitio, vel adulatio hominum nomen istud tribuerit Ies. 42, 17.; quae quidem sententia, vt ad meras argutias descendit, ita cum reliquis, paullo ante allatis, ab huiusce loci contextu prorsus aliena est. Θεοι potius ex nexu iidem sunt qui οἱ λεγομ. Θεοι s. *deastri* paganorum modo commemorati, neque et ipsi a Κυριοις, *Do-*

πολλοὶ, καὶ κύριοι πολλοί)· ἀλλ' ἡμῖν εἷς 6

minis distinguendi, quippe quo nomine tam Dii quam Deae apud Graecos (vid. *Wesseling.* ad *Diod. Sic.* 1, 65. et *Palairet* obss. philol. p. 68.) et Latinos (*Iuuenal.* sat. 6. v. 529. *Valer. Flacc.* 3, 23.) vocari solerent. Ex eodem loquendi vsu, (inde repetendo, quod veteres, Deum seu Deos suos, regum terrestrium, quibus nil nouerunt nobilius, pede et modulo metiri, ideoque naturam ipsorum ad *potestatis* potissimum, *regiminis* et *dominii* notiones reuocare solebant), et hebr. בעל vtriusque sexus deastros Cananiticos, ab Israelitis adoptatos, (cf. *Selden.* de Diis Syr. 2, 1.) et in specie nonnunquam Herculem Tyrium (de quo vid. *Curt.* 4, 2. et *Arrian.* de exped. Alex. M. 2, 16. coll. Ill. *Creuzero* ad Cic. de N. D. p. 556.) 1 Reg. 19, 18. coll. *Cic.* in Verr. 4, 43. significat. Cf. *Michaelis* suppl. Neque tamen his a me dictis negatum volo, Θεους et Κυριους etiam vt *Deos maiorum* et *minorum gentium*, per se inuicem distingui posse. vid. ad v. 6. Cumulasse autem Paullus videtur vocc. Θεοι et Κυριοι, non tam ad ipsam Deorum gentilium πολυωνυμιαν omnino indicandam, (quae, quorsum hic spectaret, equidem non viderem), quam potius tum ad polytheismi, et in voc. πολλοι bis repetito latentis, notionem eo penitius exhauriendam, quo magis *vnius* Dei, a Christianis colendi notio in oculos incurreret, tum vt haberet, quibus τον Θεον πατερα, et τον Κυριον Χριστον opponere posset.

6. Αλλ' ἡμιν sc. εστι, i. e. ex perpetuo huius verbi, per comma proxime praecedens, vsu: *tantum abest, vt Deorum istam multitudinem curemus, vt nobis nonnisi vnus existat Deus, cultu nostro dignus:* non aliter, ac si scripsisset Ap.: κατα την γνωσιν ἡμων Θεος εστιν ει μη ἑις. Ἑις opponitur τοις πολλοις v. 5. Πατηρ h. n. pro *auctore* s. *creatore* accipiendum esse, nexus clamat. Plura de hoc loquendi vsu vid. ad Iac. 1, 17. Εξ ου, pro δι' ου, vid. quae seq. Τα παντα, *quae sunt, ne vlla quidem re excepta.* Hebraei השמים והארץ (vid. ad v. 5.), s. תבל וכל מלואה Ps. 24. etc. Και ἡμεις sc. ανθρωποι, quorum, vt creaturarum praecipuarum, quasi ad hymni Gen. 1. coll. Ps. 104. πρωτοτυπον, praecipua quoque ratio haberi solet. Εις αυτον, ex praef. ב, quod tam per εν et εις, quam per δια reddi potest, iterum pro δι' αυτου sc. εσμεν,

Θεὸς ὁ πατὴρ, ἐξ οὗ τὰ πάντα, καὶ ἡμεῖς εἰς αὐτόν· καὶ εἷς Κύριος, Ἰησοῦς Χριστὸς,

i. e. *vitam et facultates nostras ei acceptas referimus.* Alii ἡμεις εις αυτον pro αυτῳ εσμεν, *cultui eius addicti sumus*, accipiunt, permittente quidem vsu loquendi, repugnante tamen loci contextu, siquidem quod hic εις αυτον audit, paullo ante per εξ, et paullo post per δι' αυτου expressum legitur. Και ἑις Κυριος sc. ἡμιν εστι. Voc. Κυριος vero cum opponatur gentilium opinioni de Κυριοις πολλοις v. 5., quo nomine *Deos* appellabant, et h. l. *Deum* significare, ex legibus interpret. grammat. vix dubitari potest. Iis nimirum temporibus appellatio *Domini* adeo augusta erat, vt ne imperatori quidem Romano citra adulationem tribui posset. *Tac.* ann. 2, 87. *Suet.* Aug. 53. Quare Κυριος h. n. respondet hebr. אדני, *Deo* tribui solito; quippe penes quem summa omnium rerum potestas sit. Gen. 18, 3. 12. coll. Matth. 4, 7. 10. et centum aliis in locis. Vtrum vero auctor epistolae Cor. ad Paullum datae, et ii, quorum nomine haec enunciasse existimandus est, honorificum hoc Christi cognomen vel ex opinionibus Iudaeorum, qui, praecipue inde ab exilii Babylonici calamitate, in summa rerum suarum desperatione, *diuino* opitulatore et seruatore opus esse rati, Messiae, regni *diuini* regis, dignitatem et praestantiam ad pleniorem sensim ipsius *Dei* naturam admouebant, vel ex philosophorum Alexandr. placitis, ex quibus, auctore Philone, ὁ Θεος αγεννητος vt αιτιος spectabatur, ὑφ' ὁυ ὁ κοσμος νοητος, ὁ λογος vero, quem ad diuinam Christi naturam dilucidandam transtulit Iohannes, ev. 1, 1. sqq. vt αιτιος (εργαλειον, οργανον) δι' ὁυ ὁ κοσμος αισθητος creatus sit, Ioh. 1, 3. (cf. *S. V. Paulus* in ev. Ioh.) h. n. haurientes, verbis δι' οὗ – δι' αυτου Christum non minus ac τον Θεον pro *rerum omnium* creatore declarasse; an apte ad Horatianum illud 1 Carm. 1, 4.: *terrarum Dominos euehit ad Deos*, τον Κυριον τῳ Θεῳ, vt gentiles *Dominos*, ceu Deos gentium, *Deo* O. M., adiungentes, quasi ad Romanorum exemplum, qui nolentem Augustum ob *imperium Rom.* *ab ipso formatum* diuino *Domini* titulo ornare volebant (*Tertull.* apologet. 34.), in formula κυρ. δι' οὗ τα παντα (i. e. οἱ παντες sc. *Christiani*), tantum de *Christianorum* quasi *creatore* et

δι' οὗ τὰ πάντα, καὶ ἡμεῖς δι' αὐτοῦ.
Ἀλλ' οὐκ ἐν πᾶσιν ἡ γνῶσις· τινὲς δὲ τῇ 7

formatore, s. *nouae religionis*, per quam homines nouae quasi creaturae (Gal. 6, 15.) euadunt, *auctore*, εν ῳ, vt Paullus eodem sensu affirmat Col. 1, 16., τα παντα εκτισθη, quique hanc ob rem et εικων του αορατου Θεου et πρωτοτοκος πασης κτισεως appellatur, cogitasse putandi sint; id quidem in medio relinquendum videtur, quamquam posteriorem sententiam facilius procedere, vix est quod moneamus. Sensus vv. 5. 6. igitur huc redit: *si vel maxime, salua persuasione nostra, largiri velimus, re vera esse* (s. *existere*) *Deos istos paganorum, tam coelestes quam terrestres, quos nos quidem pro Diis falso sic dictis habemus*, (*multos quippe Deos, ac multos Dominos vocari constat*), *nos tamen Christiani vnum tantum Deum, vniuersi et praecipue hominum creatorem, et vnum Dominum I. C., hominum creatorum genitorem moralem, existere persuasum habemus.* Suppl. *iam vero cum omnino non sint idola; nec vlla peccati s. profanationis in nos suspicio cadere potest, vbi in templis idolorum epulemur.*

7. Ap. hanc qualemcunque defensionem paucis refutat. *At, licet* ὑμεις παντες, vos *omnes, quorum nomine proxime superiora ad me perscripta sunt*, γνωσιν εχητε v. 1. (ad quem Paullus hic sine dubio respexit); *minime tamen* εν πασι, s. πασι *omnibus* reliquis *Christianis, qui e paganismo ad rel. chr. transeuntes opinionem illam de Diis pluribus, a pueris animis suis impressam, protinus extinguere non poterant*, ἡ γνωσις, i. e. γνωσις τοιαυτη, *profundior et liberalior eiusmodi intelligentia, est, qua* vos *gaudetis, videlicet*, ουδεν ειδωλον εν κοσμῳ ειναι. Δε pro μαλλον. Συνειδησις h. n. *iudicium de aliqua re ferendum*, ita vt συνειδ. του ειδωλου, s. συνειδ. το ειδωλον ειναι τι, (10, 19.), sit illa ipsa *falsa opinio de idolis vere existentibus*, quae animis multorum Christianorum e paganis ex institutione prima infixa haerebat. Nos: *die Meynung, daſs an den Götzen doch wohl etwas sey.* Schulzius vero συνειδ. ex hebr. מַדָּע Eccl. 10, 20., quod Alex. ibi per συνειδ. reddunt, pro *notione obscuriori* (*eine gewisse dunkle Vorstellung eines Götzen*), sumi mauult, neque id male. Lectio τῃ συνηθειᾳ τ. ειδ., i. e. *pro pristina cum idolis familiari-*

συνειδήσει τοῦ εἰδώλου ἕως ἄρτι ὡς εἰδωλόθυ-
τον ἐσθίουσι, καὶ ἡ συνείδησις αὐτῶν, ἀσθενὴς
8 οὖσα, μολύνεται. Βρῶμα δὲ ἡμᾶς οὐ παρί-

VARIAE LECTIONES.

7. συνηθειᾳ pro συνειδησει hab. A B. 17. 46. 67. ex emend. 80. Copt. Ammoniac. vt videtur. Aeth. Syr. p. in m. Damasc. *scientia*, Ambrst. ed.

tate, s. *idola venerandi consuetudine*, (vid. ad 11, 16.), sensum fundit fere eundem. Ἑως αρτι, *hactenus*, vsque dum loco pristinae de pluribus Diis persuasionis, veram de vno Deo sententiam animis suis penitius infixerint. Ὡς ειδωλοθ. εσθ. plenius sic audire debuit: το ειδωλοθ. ὡς αληθινως ειδολ. εσθ. Συνειδησις h. l. vel superiori *iudicii* significatione retineri, vel, quod praetulerim, cum συνειδ. isto *falsi* iudicii sensu vix satis commode μολυνεσθαι dici possit, pro *conscientia*, s. *persuasione de eo, quod ex religionis chr. praeceptis licitum vel illicitum sit*, sumi potest, ita vt dilogia quaedam huic voc. h. n. inesse videatur. Ασθενης *nondum satis confirmata, fluctuans inter paganismum et christianismum*. Μολυνειν vt μιαινειν, σπιλουν, *polluere*, metaph. est *vitiare*, *vitiis quasi inquinare*, quia vitia in macularum cordi adspersarum similitudinem vocari solent, vnde et לב טהור ex oppos. est animus vitiorum labe carens. Apud *Ammian. Marcell.* 15, 2. polluere conscientiam is dicitur, *qui mente, male sibi conscia, turbatur, quem conscientia mordet.* Cf. Sirac. 21, 30. Sensus igitur est: *nonnulli potius, falsae de Diis pluribus opinioni, ex paganismo residuae, adsueti, hucusque idolothytis, ceu vere idolothytis, vescuntur sicque animus ipsorum, nondum satis in religione chr. confirmatus, admissi forsitan in se delicti conscientia perturbatur; vel: eo perducuntur homines isti, vt aliquid contra conscientiam committant.* Cf. ante omnia cum l. n. Rom. 14.

8. Comma hoc cum praecedentibus ita iungi solet, vt oppositum sit gloriolae eorum inter Corinthios, qui se, ob esum idolothytorum aliis praestare Deoque magis acceptos esse putarent, quod abiectis praeiudiciis purius colerent Deum; quam quidem vanam esse gloriolam Ap. iam nunc ostendat, negans, vllam inde praestantiae vel accessionem vel im-

στησι τῷ Θεῷ· οὔτε γὰρ, ἐὰν φάγωμεν, περισσεύομεν· οὔτε, ἐὰν μὴ φάγωμεν, ὑστερού-

minutionem oriri, siue aliquis conuiuiis intersit, siue non intersit. At vero cum comma nostrum cum verbis v. 1. περι — εχομεν et v. 4-6.; quae tamen Corinthiorum istorum esse perspeximus, vno eodemque tenore procedat, eandemque, vt cum Grammaticis loquar, personam sustineat, quae statim v. 9. in aliam, Corinthios meliora edocentem, abit, Paullusque hoc cap. iam bis Corinthios loquentes induxerit; nos quidem et huiusce commatis verba Corinthiorum esse, aliamque rationem, qua suam idolothytis vescendi consuetudinem defendere conabantur, continere putauerimus. Neque tamen prorsus nouum et a priori plane diuersum est argumentum, quod Paullus ipsis Corinthiorum verbis hic expressit, sed corollarii potius e priori, interiecta refutatione v. 7., deducti loco habendum et pariter ab argumento vv. 4-6., vt hoc ipsum a v. 1. diuulsum est, quia Paullus, perspicuitatis causa, singula disputationis Corr. momenta sigillatim prolata examinare atque refellere maluit, quam totius disputationis ambitum refutationi praemittere. Βρωμα h. n. ipse *comedendi actus* haud excepto tamen et *non* comedendi quasi actu, s. *abstinentia ab idolothytis*; vno verbo: *ciborum comedendorum et non comedendorum delectus*; nam in proxime sequentibus non solum per φαγειν sed etiam per μη φαγειν explicatur. Sic quoque λογος Ioh. 12, 48. pro rel. chr. a Iudaeis detrectata occurrit. Παριστ. τινα τινι, *sistere aliquem alicui*, vt προσαγειν 1 Petr. 3, 18., haud raro dicuntur ii, qui legatis, aliisque copiam et potestatem reges ac principes adeundi faciebant. Quod cum fieri non potuerit absque commendatione eius, cui aditum parare conabantur, hinc παριστ. etiam est *commendare*, *gratum et acceptum reddere*. Recte a *regibus* et ad *Deum* transfertur loquutio, quippe quem et ipsum Iudaei tanquam regem reueriti sunt, cuius palatium castrense fuit tabernaculum, magis augustum postea templum. Cf. Luc. 2, 22. *Arrian.* diss. Epict. 1, 16. αυτα επαινεσαι η παραστησαι. *Ios.* ant. 15, 7. 3. εξιοντι δε Μαριαμνη παραστησαμενη τον Σοεμον. Eodem sensu etiam *tradere* ap. Latinos reperitur; v. c. ap. *Cic.* ad div. 5, 2. Verr. 3, 12. Φαγωμεν sc. ειδωλοθ. Περισ-

9 μεθα. Βλέπετε δὲ, μήπως ἡ ἐξουσία ὑμῶν
αὕτη πρόσκομμα γένηται τοῖς ἀσθενοῦσιν.
10 Ἐὰν γάρ τις ἴδῃ σὲ, τὸν ἔχοντα γνῶσιν, ἐν

VARIAE LECTIONES.

9. Pro ασθενουσιν leg. ασθενεσιν A B D E F G. 17. 46. 67. ex emend. 80. al. 3. Clem. bis. Damasc.

σευειν, יתר, *abundare* sc. h. n. *beneuolentia diuina*, indeque *praestare aliis*, *aliquid praecipui habere*, ita vt περισσευομεν i. sit q. παριστάμεθα τῳ Θεῳ. Hinc etiam το περισσον Rom. 3, 1. vt מותר Cohel. 3, 19. est *praestantia*, *praerogatiua*. Cf. Matth. 5, 20. Rom. 3, 7. Ὑστερειν, *posteriorem esse*, h. n. *dignitate christiana*, adeoque i. q. ου παριστασθαι τ. Θ. Sensus est: *ciborum delectus nos Deo magis caros et acceptos reddere nequit; neque enim, si vescimur idolothytis, aliis, non vescentibus, praestamus, neque, si non vescimur, deteriores sumus Christiani;* suppl. *ergo nihil refert, nec vllo modo peccatur, siue epulis sacrificialibus accumbamus, siue minus.*

9-13. Ad quae Paullus: per se quidem hanc rem inter αδιαφορα referendam esse, sed magna ipsis opus esse cautione, ne infirmiores exemplo suo ad peccandum sollicitent, sicque peccent ipsi. Βλεπετε, *cauete*. Matth. 24, 4. Εξουσια (vid. ad 7, 37.) h. n. *libertatis*, sc. idolothytis vescendi, *vsus*, vel potius, si effectum spectaueris, *abusus*. Ἀυτη vim orationis auget, vt οὗτος v. 3., *illa ipsa licentia, de qua adeo gloriamini.* Προσκομμα vt προσκοπη et σκανδαλον proprie est *offendiculum*, vel obstaculum aliquod in via positum, in quod si quis impingit, cadere aut cespitare debet; hinc, metaphora a via petita, cum qua vita hominum et agendi ratio comparari solet, obstaculum in huiusce vitae tramite positum est omne id, *quod peccandi occasionem alicui praebet*, et h. n. potissimum *occasionem, carnes Diis oblatas, repugnante conscientia, comedendi.* Rom. 9, 32. 33. 14, 13. 20. 2 Cor. 6, 6. 1 Pet. 2, 8. Ασθενουσι sensu i. q. ασθενεσι (vid. var. lect.), γνωσεως *vestrae expertibus*, quorum συνειδησις ασθενης v. 7. commemorata est.

10. Ap. rem exemplo illustrat. Γαρ, *exempli gratia*, vt Rom. 7, 2. alibi. Ὁ εχων γνωσιν, *qui se melius edoctum existimat*. vid. ad v. 1. Ειδωλειον *Erasmus* aut *locum*

εἰδωλείῳ κατακείμενον, οὐχὶ ἡ συνείδησις αὐτοῦ,

simulacrorum, aut *sacram mensam* significare existimauit, quod in templo paganos conuiuatos non meminerat. Rectius alii *templum* idoli intellexerunt, sic dictum vt Βακχειον, Αστερταιον, Ηραιον, Αθηναιον, Ασκληπειον, Ποσειδωνειον, etc., quod ex 1 Macc. 1, 47. et 10, 83. satis patet, vbi Nebucadnezar vasa templi Hierosolymitani depo-suisse dicitur εν τῳ ἑαυτου ειδωλειῳ. cf. Esr. 1, 7. Sic etiam *Alb.* gloss. gr. p. 126. ειδωλειον per οικος ειδωλοις sc. ἱερος, et *Suid.* per ὁ ναος των ειδωλων reddiderunt. Nolim tamen cum *Beza* contendere, Αp. ex fidelium consuetudine maluisse ειδωλειον dicere, quam νεως s. ἱερον, quae sc. nomina gentilibus vsitata fuissent. Non est sane vox ειδωλειον in contemtum *idolorum* excogitata, quippe qua et profani vtantur. *Plutarch.* (discr. adul. et am.) haec adducit verba *Sophoclis*: ηδη τα Τροιας εισορων ειδωλεια δεδοικας. vid. *Kypk.* in h. l. Κατακεισθαι, quod plene saepe scribitur επι κλινων κατακ., dicuntur *in lectulo cubantes*, s. morbo constricti, s. somno se dantes, s. vt h. l., *cibum capientes*, vnde et conuiuae κατακειμενοι dicuntur. Luc. 5, 29. Marc. 2, 15. In eundem sensum reperitur etiam ανακεισθαι Matth. 22, 10. 19. Luc. 7, 37. quod Graeci elegantiores tantum adhibent de statuis ac donariis huic illiue Deo dedicatis. vid. Intt. ad *Thom. M.* sub h. v. Συνειδησις h. l. vt 10, 29. per metonymiam *ille ipse, qui habet conscientiam honesti ac turpis.* Οικοδομ. significatum adeo rarum hic habere videbatur, vt locum ipsum in mendo cubantem medela indigere nonnulli putauerint. Sic *Tanaqu. Faber.* ὁδοποιηθησεται, *in viam inducetur*, nec non *Trillerus* εικοτως ειθισεται, *conuenienter* s. *similiter adsuescet*, quae verba, si literis maiusculis scribantur, alteri illi οικοδομηθησεται prope accedere existimat, legendum esse coniecerunt. Sed, vt taceam difficultates vtramque coniecturam aliunde prementes, et receptam lectionem habere, quo se optime tueatur, infra demonstrandi locus erit. Alii, deleto in fine commatis interrog. signo, sic vertunt: *nequaquam conscientia illius, qui infirmus est, emendabitur, dum idolis immolata comedet*; ita vt verba εις το τα ειδωλοθυτα εσθιειν posita sint pro εν τῳ εσθιειν. vid. 9, 18. et Hebr. 2, 17.; nisi tum Paullus, ne post κατακειμ. aliquid deesse, post οικοδ. autem verba εις — εσθιειν quasi redundare videantur, sententiarum consequutionem

ἀσθενοῦς ὄντος, οἰκοδομηθήσεται εἰς τὸ τὰ εἰ-

instituerit sic: εαν — κατα-κειμενον, και (τω σω παρα-δειγματι χρωμενος) εσθιει και αυτος τα ειδωλοθυτα, ουχι — οικοδομηθησεται. Alii denique, tam lectione οικοδ., codicum auctoritate satis firma, quam interrogatione in enunciando hoc commate seruata, οικοδ., vt lat. *exaedificare*, verbum μεσον esse putant, in quo sola rei cuiusdam *amplificandae* et *absoluendae* notio tenenda sit, siue prudenter siue inepte id fiat. Prouocant pro sequiori huius verbi significatione tuenda ad bina potissimum loca haec: *Ios.* ant. 16, 6. vbi Herodes ad coërcendum fastum filiorum Mariammes Antipatrum honoribus euexisse narratur, non quod omnia in illum conferre vellet, sed potius εις νουθεσιαν την εκεινων οικοδομων αυτον, *vt ad castigationem illum incitaret.* Alter *Plauti* est, in Trinum. act. 1. sc. 2. v. 95.

— — — dare te in manus
Argentum amanti homini
adolescenti, animi impoti,
Qui exaedificaret *suam inchoatam ignauiam.*

Hinc *Erasmus Schmidius* verbi vim satis edisserit sic: *sicut enim aedificium, addita subinde materia conueniente et superingesta, extollitur et absoluitur; ita infirmus, qui hactenus esu idolothytorum abstinuit, tuo exemplo adductus, et ipse non verebitur iis vesci, sed huic rei sensim adsuescet, eamque pro peccato amplius non habebit: adeoque cum careat illa vestra, quam iactitatis*, γνωσει, ὁτι ειδωλον εν τω κοσμω ουδεν, *sensim* τα ειδωλα *in mundo aliquid esse statuet, eaque colere tandem assuescet:* alii vero, vt *Grotius*, *Kypkius*, *Valckenarius*, rel., sensum verbi magis, quam metaphoram in eodem latentem spectantes, modo reddunt: *confirmabitur*, modo *impelletur.* Sed οικοδ. in isto *Iosephi* loco, quod *Kypkius* iam vidit, de ipso Antipatro *in statum meliorem euecto* intelligi potest, nec vsquam in N. T. in deteriorem sensum accipitur. Quare equidem *Wetstenio* adstipulor, qui οικοδ. h. l. *ironice* vsurpatum esse existimat: *Egregie aedificas scilicet!* (Nos: *das heisse ich mir eine schöne Erbauung!*) *Tantum abest, vt aedifices, quod officii tui est, vt destruas ipsum.* Consentit etiam *Storrius* (notit. hist. p. 31. not. 55.) "Videntur nempe Paullini et Apollonii, in epistola ad Paullum data vsi fuisse his verbis: ἡ συνειδησις του ασθενους οικοδομηθησεται εις το τα ειδ. φαγ., quibus signi-

δωλόθυτα ἐσθίειν; καὶ ἀπολεῖται ὁ ἀσθε- 11
νῶν ἀδελφὸς ἐπὶ τῇ σῇ γνώσει, δι' ὃν Χριστὸς

VARIAE LECTIONES.

11. βρωσει pro γνωσει ex *Chrysost.* laudat *Mill.* addens: *quam lectionem Chrysost. notat et Theophylactus.* Sed obseruante *Matth.* istam appendicem: ὁ δε χρυσοστομος επι τῃ βρωσει λεγει neuter cod. *Theophylacti* agnoscit, cum tamen vterque auctoris aetate scriptus sit. *Theophyl.* legit γνωσις; interpretatur enim τελειοτης. Nec aliter *Oecum.* Quod autem vterque ad h. l. in scholiis suis mentionem facit βρωματων, id nullo modo valet ad defendendam lectionem βρωσει. *Theodoret.* diserte explicat γνωσει. Videtur itaque aliquid humani passus esse magnus ille *Chrysostomus.* Vterque quidem cod. *Chrysost.* 2. et 7. ap. *Matth.* habet γνωσει, pro quo *Montefalc.* edidit βρωσει p. 176. A.; sed paullo post tamen in vtroque etiam legitur: ουδε γαρ ειπεν, επι τῃ σῃ τελειοτητι. ουδε επι τῃ σῃ γνωσει, αλλ' επι τῃ σῃ βρωσει.

ficare volebant, se suo exemplo alios etiam corrigere posse vt idolothytis vesci haud recusent. Haec igitur verba repetere videtur Ap., sed ita, vt doceat, quam egregia scilicet correctio sit, quam externa solum actione metiantur, ob id ipsum perniciosa, quod interno sensui, quamuis imbecilli et falso, non respondeat; ipsam vero conscientiam et sensum (συνειδησιν) non continuo emendari, si modo exprimatur actus vescendi." Ειδωλοθ. εσθιειν iterum, vt supra, pro pleniori: ειδ., ὡς ειδ., εσθ. sumserim.

11. Comma hoc, prout οὐχι ante ἀπολειται suppleueris, vel minus, tam cum, quam sine interrogatione enunciari potest. Ἀπολειται, *miser redditur*, (quem et nos *perdi* dicimus), quia, Paullo ipso interprete, σκανδαλιζεται v. 13. et συνειδησις αὐτου τυπτεται v. 12. s. μολυνεται. v. 7. vid. ad 1, 18. Επι h. n. pro δια, vt causam efficientem significet. Matth. 4, 4. Phil. 3, 9. alibi. Sic apud *Maxim. Tyr.* diss. 27. §. 6. βιοτευειν επι τῳ οινῳ, vbi videndus *Marklandus.* cf. etiam *Bergler* ad *Alciphron.* p. 204. In voc. γνωσ. vero hic de *scientia exemplo et factis publice declarata,* s. de γνωσει cum βρωσει *coniuncta* cogitandum est (vid. var. lect.). Δι' ὃν (vel ὑπερ ὃν Rom. 14, 15.) Χρ. απεθ. ex mente Paullina sibi vult: *cuius vice Christus, sacrificii instar, mortem subiit,*

12 ἀπέθανεν; Οὕτω δὲ, ἁμαρτάνοντες εἰς τοὺς ἀδελφοὺς, καὶ τύπτοντες αὐτῶν τὴν συνείδησιν

ita vt iam nunc a peccatorum suppliciis immunis sit; quo vti summum cuiusuis hominis pretium, sic etiam criminis istius, exemplo suo aliquem ad peccandum seducendi, summa turpitudo exprimitur. Verterim sic: *e. g. si quis te, liberaliori intelligentia praeditum, in templo idolorum accumbentem conspexerit; nonne pro animi dubitantis, an idem sibi liceat, infirmitate, adhibita ipsi per exemplum tuum egregia scilicet correctione, (cuius te pudere deberet), et ipse idolothyta ceu vere idolothyta comedet? nonne sic infirmus Christianus, quem fratris loco habere debes, quemque Christus adeo amauit, praecipitis scientiae tuae exemplo miserrimus redditur, sc. quia dubia et reluctante conscientia vescitur idolothytis, paulatimque de christianismo secus sentire incipiens ad omnem gentilismi superstitionem relabitur?*

12. Ὀυτω, sc. *pernicioso vestro idolothytis vescendi exemplo.* Ἁμαρτανειν εις τινα, vt חטא cum ל, quod Alexandrini haud raro per αδικειν interpretati sunt, Gen. 42, 22. Ier. 37, 17.; est: *iniuria afficere aliquem, violare officia alteri debita,* et h. n. *officium vitandi exempli, aliis perniciosi.* Τυπτειν συνειδ., quod *Bengelius* satis inepte ad iumentum lassum verberibus vrgendum refert, sibi vult: *efficere, vt aliquis conscientia turbetur,* quo sensu et nos conscientiam alicuius *vulnerari*, s. *mordere* dicimus. Non differt igitur a μολυνειν την συνειδ. v. 7. Eodem modo apud Alexandrinos et Graecos τυπτειν de re quauis vsurpatur, quae animum alicuius vehementer commouet et perturbat, (Prov. 26, 22. 1 Sam. 1, 8. *Herodot.* l. 1. ενταυθα ακουσαντα Καμβυσεα το Σμερδιος ουνομα, ετυψε ἡ αληθηΐη των τε λογων και του ενυπνιου.) et ad hanc ipsam repentinam et *vehementiorem* animi commotionem, qualem conscientia perturbata haud raro efficit, metaphoram, in voc. τυπτειν latentem, vnice retulerim. Εις Χρ. ἁμαρτ. *Christum ipsum laedendis Christianis iniuria affici*, alii ex nexu Christi cum cultoribus suis vt capitis cum reliquo corpore, alii ex migrato vitandi cuiusuis scandali praecepto a Christo dato, aliique aliunde explicare conantur; nisi haec omnia anxie quaesita nobiscum dixeris. Quidni

ἀσθενοῦσαν, εἰς Χριστὸν ἁμαρτάνετε. Διόπερ 13
εἰ βρῶμα σκανδαλίζει τὸν ἀδελφόν μου, οὐ
μὴ φάγω κρέα εἰς τὸν αἰῶνα, ἵνα μὴ τὸν
ἀδελφόν μου σκανδαλίσω.

ᵃ Οὐκ εἰμὶ ἐλεύθερος; οὐκ εἰμὶ ἀπόστολος; Cap. IX, 1

ᵃ Οὐκ εἰμὶ ἀπόστολος; οὐκ εἰμὶ ἐλεύθερος;

VARIAE LECTIONES.

1. Vulgo praecedit ἀποστ., sequitur ἐλευθ., sed inuerso ordine exhib. AB. 5. 10. 17. 37. 46. Syr. Erp. Copt. Aeth. Arm. Vulg. flor. Or. Tert. Ambrst. Aug. Pel. Cassiod. Beda. probb. Grotio, Bengelio, Beza, et in textum suscipientibus Griesbachio, (non item in prima N. T. edit.), Knappio, Vatero. cf. comment.

ex v. 11. de *laesi amici in amico* crimine cogitemus, vel potius, in verbis singulis sigillatim expendendis prorsus non haerentes, haec in vniuersum grauiter dicta putemus, vt verba δι' ὃν Χρ. ἀπεθ. v. 11., quo luculentius appareat, quanta reprehensione dignum sit, *animum moresque alicuius corrumpere.* Sensus est: *Quodsi fratrum conscientiam vulneratis, i. e. exemplo vestro in causa estis, vt reluctante conscientia aliquid faciant; non leuiori reprehensione digni habendi estis, ac si Christum ipsum iniuria affeceritis, i. e. atrocissimum crimen summa reprehensione dignum in vos admisistis.*

13. Βρωμα, vt v. 8., *comedendi actus.* Κρεα h. n. non tam de *carne sacrifica,* sed potius de *carne quauis* intellexerim, ita vt Paullus, animi ardore et indignatione quadam correptus, erupisse putandus sit in sententiam hanc: *quare cum fieri possit, vt meo carnis sacrificae comedendae exemplo fratrem ad peccandum sollicitem; equidem omni omnino cuiusuis generis carne in perpetuum abstinere malim, quo certior sim, me nunquam fratris comedendis carnibus in vitia peccataque inducti fuisse auctorem.*

Cap. IX. Ap., commate 13. c. 8., vbi exempli sui mentionem fecit, adductus, iam per totum hoc caput in eo est, vt, quod contendit c. 8., multis nimirum rebus, quamuis ad ἀδιαφορα

οὐχὶ Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν Κύριον ἡμῶν, ἑώ-

referendis, vitandi scandali causa abstinendum esse, Corinthiis exemplo suo magis demonstret, siquidem et ipse in rebus multo grauioris momenti ab vsu iuris sui abstinuerit, ne religioni impedimentum obiiceret. Quod autem Paullus in hac disputatione a *dignitate apostolica sibi vindicanda* v. 1-3. orditur, quam et in seqq. data occasione vrgere non omittit; eius rei causa inde petenda est, quod fuerunt, qui hanc ipsam dignitatem in dubium vocarent. vid. v. 2. Hinc etiam in sententiam suam per interrogationes potissimum, aduersariorum conuiciis, si quid iudico, oppositas enunciandam incidisse videtur. Ad loci n. lectionem quod ante omnia attinet, ingenue fatemur, vulgarem, ex qua praecedit ἀπόστολος sequitur ἐλεύθερος, nobis quidem firmiorem videri tum codicum numero atque auctoritate, tum aliqua difficultate e parum adcurata verborum consequutione oriunda; siquidem vocc. ἀποστ., ἐλευθ. per gradus descendunt, quae inuerso ordine rectius ascendere dicuntur; verbaque mox sequentia οὐχὶ — ἑώρ. e lectione vulg. cum vocab. *remotiore* ἀποστ. iungi debent, quod ex altera illa *prope* adstat. Quare non video, qui factum sit, vt lectio expeditior in impeditiorem, cuius speciem prae se fert, transmutaretur. Habet insuper et vulg. lectio, quibus se probet penitius eam introspicientibus. Praeterea enim, quod in diiudicando scribendi genere, quo in epistolis conficiendis vtimur, non omnia cum puluisculo ita excutere solemus, vt singularum sententiarum vestitum ad summam verborum adcurate disponendorum ἀκρίβειαν reuocemus, mirum habere vix possumus, Paullum *apostolicae dignitatis* prius, quam *liberae conditionis* suae mentionem facere, cum quia id ipsum: num vere sit *apostolus*? ab aduersariis, quibuscum ipsi hic res est, in dubium vocabatur, ita vt ὁ ἀπόστολος menti ipsius prius obuersaretur, quam ὁ ἐλεύθερος; tum quia ex *apostoli* demum dignitate et *viri liberi*, qualem Paullus hic intelligi vult, indoles prodibat atque ornamentum; quo etiam factum esse crediderim, vt in sequentibus primum de ἀποστολῇ v. 2., deinceps de ἐλευθερίᾳ v. 4. sqq. distinctius ageret, ex quo sententiarum, vlterius prosequendarum, ordine, tuendae

ῥακα; οὐ τὸ ἔργον μου ὑμεῖς ἐστε ἐν Κυρίῳ;

receptae lectioni nouum, quamquam leuioris momenti, praesidium succrescere videtur. Hinc iam verba ουκ ειμ. αποστ.; sensu arcte iungimus cum ουκ ειμ. ελευϑ.; quasi scripsisset Paullus: ουκ ειμ. απ. και δια τουτο και ελευϑ.; Ελευϑ. vero h. n. *qui sui iuris est, ac potestatem habet agendi quod libet*, qui v. 4. 5. εξουσιαν εχειν dicitur. vid. ad 7, 39. Sensus, praeeunte *Semlero*, est: *nonne ego, cum apostoli auctoritate polleam, mei ipse iuris sum, nullis aliis subiectus, a quorum mandatis pendendum mihi, a quibus venia sit exspectanda, victum accipiendi ab aliis* etc. *Krausius* vero ελευϑ. ad Ap. *libertatem cum ethnicis conuiuandi et in templis idolorum promiscue cibos comedendi* trahi vult; sed priorem explicationem ab argumento v. 4. maiorem commendationem habere, quis quaeso non videat? Iam Paullus auctoritatem illam apostolicam, qua se pollere affirmauit, sibi tuendam et probandam sumit tam ex conuersione sua diuinitus facta, quam ex apostolatus sui fructibus. Illud exprimit per: ουχι — ἑωρακα; quia fuisse videntur, qui Paullum magno interuallo putarent distare ab illorum auctoritate, qui fuissent ipsius Christi socii, v. 5.; quibus tamen se nec in hac re inferiorem esse contendit, cum et ipse omnino Christum viderit, etiamsi non humilem in his terris versantem, at gloria tamen diuina conspicuum. cf. 15, 8. et 2 Cor. 12, 1. seqq. (De re ipsa vid. Act. 1, 22. et 26, 15.) Hoc vero declarat sic: ου το εργον — Κυριῳ; i. e. *nonne ego vos ad rel. chr. perduxi*; quo simul fortassis petere voluit eos, qui Paullum conuersionem Corinthiorum absoluisse, et vnquam ad eos rediturum esse negantes, sese ipsis doctores obtrudebant. cf. c. 4. Et ab aliis scriptoribus *opus alicuius esse* dicuntur ii, *qui, quae habent, siue dignitatem, siue, vt h. l., scientiam, et i. g. a. ipsi debent*. Cf. *Philo* d. leg. ad Caj. p. 554, 14. εμον εστι του Μακρωνος εργον Γαϊος. *Seneca* ep. 34. *Assero te mihi, meum opus es.* Vid. etiam *Scalig.* ad *Manil.* I. 772. Εν Κυριῳ, quod addit Ap., alii hoc comm. cum εργον, v. 2. vero cum αποστολη iungunt, vt εργον εν K. ibi operis *spiritualis*, *s. ad cultum diuinum spectantis*, hic vero αποστολη εν K. apostolatus *christiani*, s. *a Christo Paullo demandati* notionem exprimat; nisi tunc εν Κυριῳ a vocc.

2 Εἰ ἄλλοις οὐκ εἰμὶ ἀπόστολος, ἀλλάγε ὑμῖν
εἰμι· ἡ γὰρ σφραγὶς τῆς ἐμῆς ἀποστολῆς ὑμεῖς
3 ἐστε ἐν Κυρίῳ· ἡ ἐμὴ ἀπολογία τοῖς ἐμὲ

ἐργον et αποστολη iusto longius remotum esse, et v. 2. vel otiari dixeris. Alii εν Κ. cum εστε iungunt in sensum hunc: *opus meum estis Domino adiuuante;* ita vt pro modestia Paullina, res muneris sui ad Deum referente, adiecta sint; neque id male. Maiorem vero vim sententia Paulli foeneratur, vbi in vtroque comm. ὑμεις εν Κ. sc. οντες iunctim reddideris, ita vt sensus huius comm. sit: *quod doctrinae chr. cognitione imbuti estis, id mihi acceptum refertis.* Nam *in Christo esse* significare *Christianum esse*, neminem fugit.

2. Ει — ειμι, *quodsi vel maxime* (ει) *ex aliorum sententia et existimatione* (αλλοις) *apostolus habendus non sim* (nam in Palaestina haud dubie fuerunt Petri iusto studiosiores sectatores, qui Paulli auctoritatem parum videntur commendasse, vid. prolegg.), *vos tamen* (αλλαγε), *quibus satis me apostolum probaui, hanc dignitatem mihi deberi persuasi estis, vel saltem esse debetis.* (De part. αλλαγε vid. ad 4, 15.) Σφραγις (verbale ab aor. 2. εσφραγον verbi σφραττω *munio*), vt חתם, proprie est *sigillum* Apoc. 5, 1. 2. alibi, et *annulus signatorius*, vt ap. Alex. Cant. 8, 6. Ier. 22, 24. *Herodot.* 1, 195. *Sophocl.* Elect. v. 1226. *Aelian.* v. h. 12, 30. *Hes.* σφραγις· και ὁ εν δακτυλιῳ λιθος, η σημαντρον. *Suid.* σφραγις· το επισημαινον δια χαρακτηρος τα φυλαττομενα. Hinc metaph. *omne quod alicui rei fidem facit, documentum.* Rom. 4, 11. Cf. *Krebsii* obss. Flav. p. 293. Ὑμεις εστε εν Κυριῳ sc. οντες, i. e. τουτο, ὁτι ὑμεις εν Κυρ. εστε, s. το ειναι ὑμας εν Κυρ., σφραγις εστι της εμ. αποστ. Sensus igitur est: *vos, quos ad amplectendam rel. chr. perducere mihi contigit, loco sigilli estis, literis, quae muneris apostolici diuinitus mihi demandati testes sunt, imprimendi.* (*Ihr seyd das Siegel unter meinem Apostel-Diplome*, s. *Creditiue.*) vel, remota metaphora: *vestra ad doctrinam chr. conuersio certissimum apostolatus mei documentum est.*

3. Ανακρινειν et απολογια sunt voces e foro petitae, qualibus Paullum delectari docuit *Al. Morus* ad N. T. p. 133. 155. quibusque Ap. de industria vsus esse vide-

ἀνακρίνουσιν αὐτή ἐστί. Μὴ οὐκ ἔχομεν ἐξου- 4

tur, vt obiter notaret arrogantiam eorum, qui apostolatum eius in dubium vocabant, quasi iudices sederent de hac causa cognituri, vid. ad 4, 3. 4., et coram quibus dignitatem suam apostol. defendere coactus sit. Act. 22, 1. 25, 16. alib. *Phauor.* ἀπολογία λέγεται ὅταν τινος κατηγορῆ τις και ἀπολογειται ὁ κατηγορουμενος. Ἀυτη εστι, ad vim sententiae augendam in periodi finem reiecta videntur. Verterim: *sic*, (prouocans nimirum ad vestram conuersionem per me effectam), *causam meam defendere soleo contra eos, qui mihi detrahunt.* Melius vero *Grotius* haec ad sequentia quam ad praecedentia referri ratus, vertit sic: *qui sibi id arrogant, vt de meis actionibus iudicent, eis respondeo quae sequuntur.* Doctores nonnullos Corinthiorum, γνωστικους illos scilicet, Paullo obtrectasse putat, tanquam minus intelligenti, quanta esset hominis sapientis libertas, quibus iam nunc ostendat, se id recte intelligere, sed vsum libertatis circumscribere prudentiae et dilectionis finibus. At vero vti huiusce obtrectationis in proxime praecedentibus ne vlla quidem mentio facta est, ita etiam hac interpretatione totius per hoc caput disputationis scopus quasi loco suo mouetur.

4-6. Ap. potius, post vindicatam sibi dignitatem apostol., iam nunc *iura* et *priuilegia*, inde ad se redundantia paucis enumerat. Εχομεν hic et in seqq. refer ad solum Paullum, saepius de se tanquam de pluribus loquentem. Φαγειν κ. πιειν, *ali et sustentari* omnino Matth. 6, 25. 31. non exclusa vel του ευφραινεσθαι, s. *lautius et hilarius viuendi* notione, 15, 32. Luc. 12, 19., *sumtu* nimirum *ecclesiarum*, vt alii facere solebant Luc. 10, 7.; siquidem non inter Iudaeos solum, sed etiam per omnem antiquitatem moris fuit, vt doctores rel. publice constituti et circa institutionem aliorum satis occupati, victum acciperent a cunctis, qui suppeditare et possent et vellent. Alii vero *libertatem edendi et bibendi sine discrimine omnia, vel Iudaeis vetita*, intelligi malunt, ita vt Ap. ad argumentum c. 8. et ad 6, 12. respexerit; quae tamen interpretatio a nexu cum v. 5. prorsus abhorret. Sensus potius est: *nonne ego et socii mei vti possimus eadem facultate, quá fruuntur alii, vt victum nobis et cultum de communi praestari iubeamus?*

5 σίαν φαγεῖν καὶ πιεῖν; μὴ οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν ἀδελφὴν γυναῖκα περιάγειν, ὡς καὶ οἱ

VARIAE LECTIONES.

5. Pro αδελφην γυναικα hab. αδελφας γυναικας Arm. Hier. e graecis codd. γυναικας G. Clem. semel, vt videtur. *mulieres*, boern. Tert. Auct. de singul. cler. Hilar. Hier. e latinis, vt videtur, codd. Ambrst. ed. Sedul. (qui in graeco *sorores*, non mulieres, legi narrat.) *vxores*, Heluidius. Cassiod. cf. comment.

5. Περιαγειν quo et Alex. h. n. hebr. העביר Ez. 37, 2. 46, 21. et הוליך Amos 2, 10. 2 Macc. 4, 38. 6, 10. reddiderunt, est *in comitatu circumducere.* Sic *Demosth.* p. 958. 15. ed. *Reiske:* τρεις παιδας ακολουθους περιαγεις. et *Polyb.* ex Theopomp. p. 1376. ed. *Gronov.* Amst. 1670. 8. και περιηγοντο μεν δυο και τρεις τους εταιρευομενους. Γυν. αδελφην licet recte legi; ex vnanimi codicum consensu, et recte de *vxore christiana* intelligi vel ex contexta oratione satis certum sit; in patrum tamen sat multorum scriptis locus noster ita effertur, quasi modo γυναικας, omisso αδελφ., modo αδελφας, haud addito γυν., modo iunctim γυναικας αδελφας legerint (vid. var. lect.). Quicquid autem legerunt, s. legendum esse coniecerunt, plurimi tamen locum nostrum vel de vna aut pluribus *sanctis* mulieribus, *quae audiendae doctrinae causa apostolos*, vt olim Christum, *sequutae sint*, vel de singulari aut pluribus mulieribus *opulentis*, *apostolis*, iuxta morem iudaicum, *omnia ad vitae vsum necessaria suppeditantibus*, s., vt *Hieronymi* verbis vtar, *de sua substantia ministrantibus*, intelligi volunt, prorsus non cogitantes, illas publico sumtu, de quo tamen manifeste hic sermo est, minime sustentatas esse, et, a Paullo περιαγεσθαι, vix dici potuisse, cum περιαγειν longe aliud sit, quam vt de mulierum istarum studiis capi possit; has vero Paullum vel ob id ipsum in mente non habuisse, cum ad tales mulieres prouocans, quae, sine sumtu ecclesiarum, de suo apostolis suppeditarent, plane causa sua cecidisset. Omnibus diligenter perpensis, in contemtum matrimonii tandem veram lectionem alicubi corruptam fuisse, vix dubitari potest. Cf. *Suic.* th. eccl. T. I. p. 810. sq. et *Semler.* in h. l. Nos eo minus, γυν. αδ. de *vxore christiana* intelligendum esse, dubita-

λοιποὶ ἀπόστολοι, καὶ οἱ ἀδελφοὶ τοῦ Κυρίου, καὶ Κηφᾶς; ἢ μόνος ἐγὼ καὶ Βαρνάβας οὐκ ἔχομεν 6

mus, cum eandem dicendi formulam eodem sensu iam deprehenderimus c. 7, 15., quo et h. l. sumendam esse nexus clamat, et cum apostolos fere omnes, et inter hos etiam τους αδελφους του Κυριου, (de quibus adi, si placet, proleg. nostra ad ep. Iacobi), et Petrum in matrimonio vixisse, ex locis patrum sat multis, a *Suicero* l. c. p. 729. collectis, satis constet. Neque domi-sedas easdem semper fuisse, sed Petrum vxorem suam itinerum comitem habuisse, (quod Petrus ipse haud obscure indicat 1 ep. 5, 13. vid. comment. nostr. ad h. l.) quae et coram ipso ad mortem ducta sit, idemque et alios apostolos eo potissimum consilio fecisse, vt vxorum opera ad matronas conuertendas vti possent, praeter alios *Clem. Al.* l. 3. et 7. ex traditione refert. Ceterum crescere videtur oratio ab *apostolis* Paulli collegis, ad *fratres Domini* de sacra quasi stirpe natos, et ab his ad *Cepham* coetus apostolici principem Gal. 2, 9.; quare duplex illud και ante αδ. τ. Κ. et ante Κηφ. ex hebr. ו per *adeo*, s. *praecipue* extulerim. Sensus est: *an hi soli id ius proprium habent, vt coniugem christianam, id quod plures sumtus ecclesiis imponit, in comitatu circumducere possint?*

6. Tertiam quandam Ap. nunc addit εξουσιαν του μη εργαζεσθαι, eamque ex prioribus vltro prodeuntem; sed aliquo modo variat orationem, alias enim, pro tenore in vv. 4. 5. conspicuo, sic pergere debuit: μη ουκ εχομεν εξουσ. κ. τ. λ. Βαρναβας, comes Paulli, et in praedicando euangelio συνεργος. Act. 11, 30. 12, 25. 13, 1. sqq. 14, 12 sqq. 15, 2. sqq. Εργαζεσθαι est *victum quaerere arte s. opera manuaria*, vid. ad 4, 12.; μη εργαζ. igitur h. n., quo de doctoribus agitur, est: *suppeditantibus aliis manuum labore abstinere*, s. *in otio viuere*, *ita tamen*, *vt omne otium soli religionis chr. propagandae negotio impendatur.* Sensus est: *num forsitan inde, quod ego et Barnabas iure nostro, sumtibus alienis in otio apostolico viuendi, non vtimur, colligitis, nobis solis ius illud non competere, vel saltem nos ius nostrum non intelligere? Intelligimus sane, sed etiam intelligimus, quanto vtilius sit, eo iure non vti.* v. 12. 15. Act. 18, 3. 20, 34. *Vulgata* vero, quam

7 ἐξουσίαν τοῦ μὴ ἐργάζεσθαι; Τίς στρατεύεται ἰδίοις ὀψωνίοις ποτέ; τίς φυτεύει ἀμπελῶνα, καὶ ἐκ

sequitur *Augustinus*, nec non *Hilarius* et *Ambrosiaster*, praeeunte *Tertulliano*, quin immo peritissimus ille *Erasmus*, affirmatiue verterunt: *aut solus ego et Barnabas non habemus potestatem, hoc faciendi? illa hoc operandi?* At vero, quis graece vel latine dicat: Cepham hoc *operatum esse*, vt circumduceret vxorem? Saltem verbis του εργαζ. addi debuisset τουτο. Nec denique omissio vocis μη, cum vnanimi codicum, qui eam tuentur, consensu, conciliari potest. *Semlerus*, quae est sagacitas eius, *Tertullianum*, pertinaciter latinum, neque codicem graecum in consilium adhibentem, *haud* pro *hoc* scribere debuisse suspicatur, ita vt eum fefellerit compendium scribendi.

7—14. Iam Paullus εξουσιαν illam, aliena benignitate viuendi v. 6. commemoratam, additis *argumentis* sibi vindicat, quorum *primum* e vitae quotidianae exemplis, et consensu gentium desumsit v. 7. Στρατευεσθαι, צבא, h. n. sensu proprio *stipendia facere* s. *mereri*, Luc. 3, 14. 2 Tim. 2, 4. Antiquiores versionis *Lutheri* biblicae editiones hic habent: *wer reiset jemals auf seinen eigenen Sold?* at recentiores notioni verbi graeci propius accedunt sic: *wer reiset jemals* in den Krieg *auf seinen eigenen Sold?* Ὀψωνιον, vt προσοψιον et προσφαγιον, proprie *quoduis edulium* (οψον), *quod emitur* (ωνεομαι) *vt edatur cum pane*, vt pisces, carnes, olera, et i. g. a. Iam vero milites antiquitus et *frumentum* accipiebant in singulos menses, et *stipendium* ad coëmendum victum, qui praeter panem erat necessarius. Quod quidem *stipendium militare* eximie dici solebat οψωνιον, *frumentum* vero vocabatur σιτηρεσιον, vt exstat ap. *Xeoph.*, *Demosth.* al. i. e. *Harpocrat.* interprete: το διδομενον εις τροφην. Hinc οψων. per synecd. hic omnino est μισθος στρατιωτικος. Luc. 3, 14. Cf. *Lydii* syntagma de re milit. p. 23. reliquosque scriptores laudatos a *Wolfio* in Cur. phil. T. I. p. 601. Sensus: *quis vnquam militat suis stipendiis?* Loquitur vero Paullus de serioris aeui militandi more; nam priscos Graecos Romanosque omnino *suo* aere ac sumtu pro *suis* aris ac focis dimicasse, neminem fugit. Αμπελων, *vinetum* ab αμπελος *vitis*, vt

τοῦ καρποῦ αὐτοῦ οὐκ ἐσθίει; ἢ τίς ποιμαίνει ποίμ-
νην, καὶ ἐκ τοῦ γάλακτος τῆς ποίμνης οὐκ ἐσθίει;
Μὴ κατὰ ἄνθρωπον ταῦτα λαλῶ; ἢ οὐχὶ καὶ 8

VARIAE LECTIONES.

7. Pro εκ του καρπου leg. τον καρπον A B C D. a pr. m. F G. 17. 46. boern. tol. flor. harl. Vulg. ms. Beda. ex emend. cum prior constructio inusitata sit. vid. comment.

virgetum a *virga*. Εκ καρπου ουκ εσθιει. Constructio verbi εσθιειν cum genitiuo rarissima est, (vid. *P. Moll.* ad *Long.* p. 72.) at vero cum addita part. εκ adeo inusitata, vt *Stephanus* (thes. T. I. p. 1909.) iure dubitet, an vllibi praeter h. l. deprehendatur. Satis recte tamen ex ellipsi hebr. suppletur τι vel μερος τι εκ του κ., vt et nos: *wer isst nicht von der Frucht?* (cf. var. lect.) Exemplorum vero in h. v. propositorum triadem bene elegit Ap., vt demonstraret, dignos esse apostolos, quibus victum suppeditent ecclesiae, cum studia doctorum chr. cum laboribus militis, vinitoris et pastoris, vt et ipsae ecclesiae cum vinea et grege comparari soleant. 2 Cor. 10, 3. 6, 7. 1 Cor. 3, 6. Ioh. 10, 11. alibi. In fine commatis deest exemplorum applicatio haec: *neque adeo est, quod Apostoli propagandae religioni chr. operam suam nauent, nisi ecclesiae ipsis subministrent, quae ad victum cultumque requiruntur.* Discere vero qui cupierit, quanta fuerit olim liberalitas fidelium in clericos, ita vt vel inuidiam crearet imperatoribus christianis, is *Iustinianum* hic adeat.

8-10. Quod hominum vnanimi agendi consensu sancitum dixerat v. 7., Ap. iam et diuinae legis auctoritate, a qua *alterum* repetit argumentum, magis confirmat. Μη part. interr. Κατα ανθρωπον λαλειν, et ανθρωπινον λεγειν vt hebr. אמר כדרך בני אדם, s. על דברת בני אדם; et lat. *humane loqui* ap. *Propertium*, pro vario contextu modo est, *ex opinione et sueta dicendi atque agendi ratione hominum*, adeoque *populariter* aliquid proponere (κατα το εθος των ανθρωπων λαλειν), Rom. 6, 19. modo pro more *hominum imbecillium, et facile a vero aberrantium* loqui (κατα την ασθενειαν τ. α. λ.) Rom. 3, 5. modo denique, vt et h. l., sola *auctoritate humana*, exemplis, opinionibus, moribus etc. nixa, adstruere aliquid, deficiente tamen auctoritate diuina ex s. bibliis petenda, (κατα την διανοιαν

9 ὁ νόμος ταῦτα λέγει; Ἐν γὰρ τῷ Μωσέως

τ. α. λ.) quo sensu ex oppos. νομ. et h. n. tenendum videtur. Λαλειν et λεγειν, ex hebr. אמר, *demonstrare* et *praecipere*. Νομος, תורה pro *lege Mos.* vid. v. 9. cf. ad Iac. 1, 25. Ταυτα vtraque vice tam ad exempla v. 7. prolata, quibus simile quoddam v. 9. affertur, quam ad sententiam v. 6. propositam, doctores aliena benignitate ali debere, referri potest. Praefero prius. Verterim: *num putatis me sententiam meam sola auctoritate humana, moribus et exemplis nixam, adstruere posse? accedit et diuina legis Mos. auctoritas.*

9. Εν — γεγραπται reddi potest vel sic: *scriptum est*, s. *legitur in leg. Mos.*, ita vt haec verba ad solennem redeant V. T. loca allegandi formulam γεγραπται γαρ, quae etiam in codd. nonnullis hic legitur; vel ita: *praescriptum* s. *iussum est in leg. Mos.*, vt Marc. 10, 5. 12, 19. Luc. 2, 23. 10, 26. 1 Ioh. 2, 12. 13. 14. Sic etiam apud exteros scriptores legitur, v. c. *Aelian.* v. h. 13, 24. εγραψε Λυκουργος. 6, 10. Περικλης νομον εγραψεν. (Et nos praecipiendi sensu verba *Vorschrift*, *Vorschreiben*, adhibere solemus). Vtraque ratio tam ex legum literis mandari solitarum notione omnino, quam ex vsu loquendi verbb. כתב et כתוב satis bene procedit. Praefero h. n. posteriorem, quippe qua sententiae vis augeri videatur, praecipue cum locus qui sequitur, Deuter. 25, 4. e genere *legum* deprehendatur. Αλοαν, siue ex forma vetere, a poëtis custodita, αλλοιαν (vnde πατραλοιας, μητραλοιας 1 Tim. 1, 9.), proprie quidem, *Hesych.* interprete, i. e. q. τυπτειν (cf. *Hemsterh.* ad *Iul. Poll.* Onom. p. 1346.), hinc vero αλοαν, דוש Deut. l. c. Ies. 41, 15. et דרך Ier. 51, 33. siue *triturare* dicuntur tam homines, qui frumentum in area expansum baculorum s. τριβολων ope aristis expromunt (*Etym. M.* αλοαν τυπτειν και το θρυπτειν επι της ἁλω σιτου) quam, vt h. l., boues, qui pedibus calcando, vel rhedam aliquam (מורג) clauis ferreis instructam super frumentum in area sparsum trahendo, grana ex aristis eliciunt. (*Ammon.* το επι τη ἁλω πατειν και τριβειν τας σταχυας.) Exemplum eiusmodi triturae e *Xenoph.* (oec. 18, 2. sqq. ed. *Zeun.*) attulit *Raphel.* Plura dabit *Wetsten.* Cf. de hoc Orientis more: C. *Schoetgen.* antiquitates triturae et fulloniae p. 42. *Surenh.* βιβλ. καταλλ. p. 535. *Paulsen* de

νόμῳ γέγραπται· οὐ φιμώσεις βοῦν ἀλοῶντα. μὴ τῶν

agricult. Orr. et *Russel* natural hist. of Aleppo p. 50. Φιμουν vt κημουν, (quod hic exhibent codd. nonnulli), חסם, proprie *os obturare capistro*, a φιμος (idque a φιω *claudo*), *capistrum*, quo ferarum ora obstruuntur, et obligantur, ne edant aut mordeant, hebr. מתג Prov. 26, 3. et מחסם Ps. 39, 2. *Hes.* Φιμοι· δεσμευει, εμφραττει, αγχει, επιστομιζει. *Idem:* Φιμος· δεσμος, κημος, επιστομιον. *Alberti* gloss. N. T. p. 127. κημωσεις· Φιμωσεις. *Aquila* et *Theodot.* מתג Prov. 26, 3. per κημος reddunt, vbi *Symmach.* voce Φιμος vsus est. Iam h. n. Φιμ. ad *boues* spectat, messem pedibus exterentes, quos lex Mos. fiscellis capistrari vetat. Inter gentes vero frequentatam fuisse boum capistrationem, vel ex prouerbio illo patet, quod praeter alios affert *Suid.* βους επι σωρω· επι των αλοωντων και δια Φιμου εσθιειν κωλυομενων. De re ipsa adi *Bochartum* in Hieroz. P. I. l. 2. c. 40. p. 401. sqq. vbi ex omnis generis antiquitate ostendit, quibus modis boues ab esu granorum frumenti prohiberi consueuerint. Iam, obseruante *Krebsio*, legis illius *Ios.* ant. 4, 8. 21. rationem reddit hanc: ου γαρ ειναι δικαιον ειργειν τους συνειργασμενους του καρπου και περι την γενεσιν αυτου πονησαντας. coll. simillimo *Philonis* loco de carit. p. 711. a *Loesnero* huc allato. Cf. etiam *Michaelis* ius Mos. §. 130. Neque tamen Paullus in hacce lege Mos. argutatus est, vbi illam in vsum suum conuertit quaerendo: μη τ. βοων (μονον) μελ. τ. Θεῳ, η δι' ημ. παντ. λεγει; (sic enim priora commatis seq. verba huc trahenda existimo), *vtrum Deus boum tantum, an hominum praecipue* (παντως Act. 28, 4.) *ratione habita hanc legem tulit? i. e. num hac lege aequitas tantum erga pecudes neque potius simul erga homines commendatur?* Plura enim eiusmodi praecepta iustitiae et mansuetudinis omnino exempla haberi debent, et ad hominum agendi rationem transferenda. Sic etiam Iudaeos hancce legem interpretatos esse, apparet ex *Baua Mezia* f. 88. *Si de boue, de quo in vita seruando praeceptum tibi datum non est, tamen praeceptum datum est de obturatione oris eius; nonne aequiori iure colligitur de homine, de quo in vita seruando praeceptum tibi datum est, etiam de ore eius non obturando praeceptum tibi datum esse?* Similis etiam est *Philonis* de sacrif. sententia haec: ου γαρ υπερ

10 βοῶν μέλει τῷ Θεῷ, ἢ δι' ἡμᾶς πάντως λέγει; δι' ἡμᾶς γὰρ ἐγράφη, ὅτι ἐπ' ἐλπίδι ὀφείλει ὁ ἀροτριῶν

των αλογων ο νομος, αλλ' υπερ του νουν και λογον εχοντων· ὡστε ου των θυομενων φροντις εστιν, αλλα των θυοντων, ἱνα μηδεν παθος κηραινωσι. et *Philostrat.* vit. Apollon. 8, 30. qui Apollonium narrat de edicto Phraotae, Indorum regis, leones mansuefaciendos verberibus caedi prohibentis, ita iudicantem: τουτο δε ουχ υπερ των λεοντων ειπεν, ου γαρ επι θηριων αγογης σπουδαζομεν· αλλ' ηνιαν επι τους τυραννους διδους, η χρωμενους ουκ αν εκπεσειν ηγειτο του ξυμμετρου. Plura e Rabbin. scriptis *Lightfoot.* in hor. hebr. ad Ioh. 6, 28., aliique aliunde ad l. n. attulerunt.

10. Ex eodem fere genere esse deprehenditur Paullina, quae sequitur, legis istius ad hominum agendi rationem accommodatio. Lectio recepta, loco verbb. επ' ελπιδι του μετεχειν, a *Griesb.* in textum susceptorum, exhibens: της ελπιδος αυτου μετεχειν επ ελπιδι, quam et ipsam, vbi a verbis vltimis επ' ελπιδι, vtique suspectis, recesseris, Vir Doctiss. in ed. 1. N. T. in textu seruauit, quaeque nobis quidem, si quid iudicamus, per codd. firmior videtur, sic fere explicanda est: Δι' ἡμας, nostra causa, non *apostolorum*, vt quidam voluerunt, sed *hominum* causa omnino, i. e. *vt humanitatem et aequitatem inde addiscant.* Γαρ, h. n. *sane, profecto.* Act. 16, 37. Ioh. 9, 30. Phil. 2, 27. cf. *Periz.* ad *Ael.* v. h. 8, 21. Εγραφη, vid. ad v. 9. Επ' ελπιδι, prima vice expressum, non cum *Bengelio* ex hebr. לבטח explicandum est, quod *securitatis* notionem infert, sed vel est *sub spei quasi conditione* Rom. 8, 20., vel i. e. q. εν ελπιδι s. δι' ελπιδα Matth. 24, 5. Marc. 3, 5. alib. *spe ductus* sc. *futuri victus excolendi.* Αροτριων et αλοων: in vtroque supplendum ανθρωπος, nam non boues solum, sed etiam homines αλοων dicuntur, (vid. ad v. 9.). Ελπιδος μετεχειν, *victu sperato frui.* Sic ελπις per metonym. pro *re sperata ipsa* saepius adhibetur. Rom. 8, 24. Gal. 5, 5. Col. 1, 5. Επ' ελπιδι vero in fine comm. repetitum, si genuinum est, verterim *post spem,* quam nimirum inde ab arationis et sationis tempore alebat. Quae quidem part. επι significatio, quam in dubium vocauit *Krebsius* in Lex. Schoettgen. p. 242; locis N. T. et veterum scriptt. satis certa est. Act. 11, 19. coll. 8, 1. Phil. 2, 27. Hebr.

ἀροτριᾶν, καὶ ὁ ἀλοῶν, ~ ἐπ' ἐλπίδι τοῦ μετέχειν.

~ τῆς ἐλπίδος αὐτοῦ μετέχειν.

VARIAE LECTIONES.

10. επ ελπιδι του μετεχειν, omisso sequente επ' ελπιδι, hab. A B C 10. 17. item absque του 71. Syr. vtr. (Syr. p. habet rec. in m.) Erp. Copt. Arm. Or. Eus. Cyr. επ' ελπιδι αυτου μετεχειν Slav. 5. επ. ελπιδι της ελπιδος αυτου μετεχειν Slav. ed. (sed Slav. 8. vt rec.) της ελπιδος αυτου επ' ελπιδι μετεχειν. 31. της επ' ελπιδος αυτου μετεχειν. 46. *in spe fructus percipiendi*, Vulg. Pel. Beda. *in spe participandi*, Aug. *spei suae* (αὐτου) *fructum percipere*, It. Ambrst.

9, 17. *Aelian.* v. h. 4, 5. επ' αρχεμορῳ. *Xenoph.* d. rep. Lac. 13, 7. επι τουτοις, *post* hos. *Idem* hist. gr. 4, 4. 9. ἡμερα επι τῃ νυκτι ταυτῃ. Plura ap. *Kypk.* obss. s. T. 2. p. 55. et *Schleusn.* in lex. N. T. Vt vero Ap. voc. ελπις, sic etiam voc. επι h. l. duplici sensu adhibere potuit. Sensus totius loci, quem inde a verbis ὅτι επ' ελπ. haud incommode per ὡς, οὕτω, resolueris, vocc. αροτριων et αλοων ad *hominem* (γεωργον) relatis, huc redit: *profecto hominum causa lex illa lata est, quippe ad quos relata altioris indaginis fundit sententiam hanc: vti aratori arandum est,* sub spe, *fore, vt ager fructus ferat, quibus, suo tempore collectis, ad vitam sustentandam frui possit; sic etiam triturator, frumentorum* speratorum *particeps fieri debet,* (post spem *illam diu non abiectam*, i. e. *postquam inde ab arationis tempore sola messis* spe *contentus fuerat*). Quod autem Ap. ad rustica illa, arationis potissimum et triturae negotia legem illam transferat, eius rei causa in ipsius legis, vtrumque negotium commemorantis, tenore quaerenda est; vnde non minus ad religionis doctorem, cuius opera et ipsa cum agricolae opera comparari solet, quam ad operarium quemuis facillime fieri poterat translatio. Neque tamen, quamuis aptissimus hic cernatur verborum dilectus, ex quo aranti nonnisi ελπις, trituranti vero το μετεχειν της ελπιδος, tanquam praemia proponuntur, hinc ad institutionis apostolicae *initium*, mercedis tantum *spem* excitans, et *consummationem*, ipsam *mercedem* tribuentem, descenderim, sed, ne argutari videar, in sola potius *congruae mercedis laborum comitis* notione in vniuersum tenenda substiterim, ita vt omnia redeant ad illud I. C. effatum: αξιος ὁ εργατης του μισθου

11 Εἰ ἡμεῖς ὑμῖν τὰ πνευματικὰ ἐσπείραμεν,

αὐτοῦ. Luc. 10,7. coll. 2 Tim. 2,6. Eundem fere sensum etiam lectio a *Griesb.* in textum recepta fundit, dummodo post ὁ ἀλοῶν ex proxime superioribus cogitando addideris: ὀφείλει ἀλοᾷν. (cf. var. lect.). *Schulzius*, quem sequutus est *Krausius*, ἀλοᾷν non homines sed boues tantum dici posse, praeter rem statuens, verba ἀροτριῶν et ἀλοῶν ad bouem refert sic: *nostra causa scriptum est, bouem arantem spem futurae mercedis alere, triturantem vero speratae mercedis ipsius compotem reddi debere*, ita vt l. n. ad epexegesin praecepti illius Mos., rationem addentem, cur bobus triturantibus os obturandum non sit, redire videatur. Sed, praeterea quod hac epexegesi vix opus esset, nonnisi ex dicendi genere poëtico *bouem spem alere* dici posse putauerim. Dixeris forsitan, Apostolo, epexegesin illam addenti iam *doctores* illos, mercedem iure quodam suo *sperantes* obuersatos esse, ad quos eam translatam vellet, indeque factum esse, vt spei alendae facultatem vel bobus tribueret; praetereaque omnem fere antiquitatem, nondum penitius intelligentem, quam immenso post se interuallo homines animalia relinquant, nobiliorem his indolem tribuere solitam fuisse, vnde serior aetas plures dicendi rationes retinuerit; sed vereor, ne haec omnia ad effugia anquisita redire videantur, praecipue cum, quae proxime praecedunt: δι' ἡμᾶς εγράφη, accommodationis praecepti Mos. *ad homines* exspectationem iure excitent. His iam ita disputatis, vix est, quod in refutanda *Clerici* et *Bocharti* sententia diutius moremur, qui legis de boue non capistrando sensum proprium plane reiicientes, solum sensum symbolicum *ex mente Mosis* tenendum esse statuunt, ita vt bos triturans ad operarium quemuis, vel, quae est *Bocharti* sententia, ad ipsum *ecclesiae doctorem* spectet, siquidem, (eodem magis pie quam docte adnotante), sapientia diuina prorsus indignum sit, tale quid boum, proprie dictorum, caussa praescribere. Audax sane metaphora, neque ipsa cum stilo legumlatoribus proprio, et legum Moss. indole, supra demonstrata, vllo modo concilianda.

11. Pergit Ap. ad argumentum *tertium*, quo se dignum esse demonstrat, qui ecclesiae sumtibus sustentetur, idque e rei ipsius natura petitum, siquidem *exigua* tantum *commoda*, facta cum

μέγα, εἰ ἡμεῖς ὑμῶν τὰ σαρκικὰ θερίσο-

longe grauioribus emolumentis, ex institutione sua ad Corr. redundantibus, ex ipsorum benignitate adipisci possit, cum tamen operarii, e lege Mos. supra allata, *eorundem* fructuum domino accrescentium participes facti sint; sicque simul praeceptum illud Mos. v. 10. a bouibus ad operarios translatum, ab his ad ecclesiae doctores transfert. Πνευματικα sc. αγαθα, in genere sunt, *quae ad πνευμα s. animum emendandum spectant*, adiuncta, quae in voce πνευματος, opposita τῃ σαρκι, semper latet, *praestantiae* maiorisque *dignitatis* notione, (cf. b. *Koppii* exc. 5. ad Gal.) i. e. *religionis chr. beneficium*. Σαρκικα vero, alias βιωτικα, vi oppos. sunt *beneficia ad corporis sustentationem et externam conditionem pertinentia*, latente vicissim in hac voce *leuitatis* et *vilitatis* notione, (vid. *Koppe* l. c. exc. 9.) i. e. h. n. *didactrum*, s. *alimenta a magistris sibi deposcenda*. Similiter τα πνευματ. et σαρκ. sibi opponuntur Rom. 15, 27. Σπειρειν, desumta metaphora a verbis αροτριαν et αλοαν v. 10., pro διδασκειν, quo sensu haec vox et praeter hunc nexum obuia est, cum totum institutionis negotium in agriculturae similitudinem vocari soleat. Matth. 13, 19. Marc. 4, 14. 15. Ioh. 4, 36. vid. etiam ad v. 7. Neque tamen repugnauerim, vbi, salua metaphora, σπ. per *distribuere* hic reddere malueris (2 Cor. 9, 6.), quo magis respondeat τῳ θεριζειν, quod indidem ad *mercedem a magistro pro docendi opera reportandam* translatum est. Ioh. 4, 38. 2 Cor. 9, 6. Gal. 6, 7. 8. Iob. 4, 8. Prov. 22, 8. *Stobaeus* serm. 10. et *Aeschyl.* Pers. v. 822. sqq. Μεγα, pro θαυμαστον, et suppl. μητι μεγα εργον εστι; *num id est aliquid magnae rei?* Nos: *ist es denn etwas so Großes?* Sic elliptice occurrit 2 Cor. 11, 15. et, adnotante *Kypkio*, ap. *Plutarch.* discr. adul. et am. p. 64. ουδεν, εφασαν, μεγα· *Theogn.* in sentent. sub init. σοι μεν τουτο θεα σμικρον, εμοι δε μεγα. Plenius *Eurip.* in cert. Tragoed. v. 401. τον λαβοντα των λογων καλας αφορμας, ου μεγ' εργον ευ λεγειν. Cf. *Hemsterhus.* ad *Luciani* Nigrin. c. 1. T. 1. ed *Reitz* p. 39. Verterim: *quid mirum esset, si, beneficia ad animum per rel. emendandum spectantia vobiscum communicantes, a vobis ea tantum quae ad huiusce vitae necessitatem pertinent, postulare vellemus?* (θερισομεν pro θελοιμεν θεριζειν).

12 μεν; Εἰ ἄλλοι τῆς ὑμῶν ἐξουσίας μετέ-
χουσιν, οὐ μᾶλλον ἡμεῖς; ἀλλ᾽ οὐκ ἐχρησάμε-
θα τῇ ἐξουσίᾳ ταύτῃ· ἀλλὰ πάντα στέγομεν,

12. *Quartum*, quod sequitur argumentum cum v. 11. arcte cohaeret sic: *quodsi vero alii magistri iure suo, poscendorum a vobis alimentorum, vtuntur, quanto magis arbitremur hoc nobis licere, qui vere πνευματικα vos edoceamus?* Αλλοι sunt, qui de veris, sunt etiam qui de falsis apostolis intelligant, qui aliunde Corinthum venerint, ibique haeserint, opibus Corinthiorum adiuti. Praefero posterius, tum quia, quod *Chrysostomus* iam vidit, Paullus se veris apostolis vix opposisiturus fuisset, tum quia ex 2 Cor. 9, 20. elucere videtur, minus probos intelligendos esse ministros, auctoritatis quodam nimbo abusos. Εξουσια h. n. vel *illud ipsum* denotat, *quod τῃ εξουσιᾳ, s. imperio alicuius subiectum est*, siue sit *ditio*, siue sint *opes* et *facultates*, (ουσια, περιουσια.) Luc. 4, 6. 23, 7.; vel *licentiam agendi*, s. *ius* significat, Matth. 21, 23. Act. 26, 10. alibi; ita vt εξουσια ὑμων i. sit q. εξουσια εις ὑμας, eodem modo, quo εξουσ. πνευματων Matth. 10, 1. et εξουσ. πασης σαρκος Ioh. 17, 2. adhibetur pro εξουσ. εις πνευματα, et εις πασαν σαρκα, atque ab Hebraeis v. c. חמסי *violentia mea* dicitur, *qua ab aliis afficior*. Praefero posterius, vt huiusce voc. loquendi vsus sibi constet per totum hoc caput, cf. v. 4. et 18., et intelligo *ius magistrorum in Corinthios, sumtibus ipsorum viuendi*. Μετεχουσιν q. χρωνται. vid. quae proxime sequuntur et v. 15. Ου μαλλον ἡμεις; sc. *pari iure seu aequitate vtamur*, qui multam et continuam, bona vere spiritualia vobiscum communicandi operam in vos contulimus. — In reliqua huius vers. parte, quam in recens comma coniici maluissem, Ap. declarat, cur hoc iure non vsus sit. Ουκ εχρησ.. pro ουκ εθελον χρασθαι. Τῃ εξουσ. ταυτῃ sc. εις ὑμας. vid. supra. Αλλα παντα sc. κακα s. παθηματα, *mala, molestiae atque labores* ex vltro sibi denegato vsu iuris, quod ipsi, tanquam ecclesiae doctori in Corinthiorum opes competebat, oriundi. Στεγειν proprie est *tegere*, quod et ipsum e στεγειν originem traxit, vnde et τεγος, τεγη et στεγη *tectum, domus*. *Hes.* στεγει· κρυπτει, συνεχει. Hinc sunt qui vertant: *omnia silentio quasi*

ἵνα μὴ ἐγκοπήν τινα δῶμεν τῷ εὐαγγελίῳ τοῦ Χριστοῦ. (Οὐκ οἴδατε, ὅτι οἱ τὰ ἱερὰ ἐργα- 13

tegimus nec in querelas erumpimus, quod, quae *aliis praestatis, nobis non praestiteritis*. Quia vero eorum, quae tecta latent, nullo desiderio afficimur, alii sic reddi volunt: *continemus nos* sc. *ab iis, quae alios offendere possint*. Denique etiam transfertur ad id, quod tegmen seu onus quoddam incumbens *sustinet*. Sic, *Kypkio* obseruante, *Plutarch*. symp. l. 1. qu. 9. aquam marinam dicit facilius ferre natantes, και στεγειν τα βαρη, vbi τω στεγειν opponitur ενδιδοναι, *cedere*. *Polyb*. l. 17. c. 21. στεγειν την της Φαλαγγος εφοδον. *Hes*. στεγει· βασταζει, ὑπομενει. Hinc metaph. est *tolerare*. 1 Thess. 3, 1. 5. vt ap. *Themist*. orat 22. de amicit. τον ου στεγοντα ὑβριν et *Philon*. in Flacc. μηκετι στεγειν δυναμενοι τας ενδειας. ita vt sensus eo redeat: *se omnes sustinuisse*, s. *tolerasse molestias atque labores*. Sensus quidem semper fere idem, sed nobis posterior significatio hic prae caeteris arridet. Ἰνα μη εγκοπην δωμεν τω ευαγγ. pro ἱνα μη εγκοπτωμεν το ευαγγ. quod, ex tropo in verbis latente, sibi vult: *ne religionis quasi arborem incidamus*, quo nimirum *languescat et marcescat*; sine: *ne viam, qua ingreditur Religio, incidamus* s. *perfodamus*, (vt fieri solet tempore belli, ne hostes praecurrant), *ita vt vlterius progredi non possit*; i. e. *ne impedimentum obiiciamus propagandae religioni chr*. Huic vocabulo oppositum est προκοπτειν, *praesecare* s. *praecidere*, sc. extremas palmitum seu ramorum partes, vel, quo laetius altiusque excrescant, vel, quo expeditius sit iter; vnde, tropo remoto, *incrementorum capiendorum* s. *proficiendi* significatio remanet. Paullus vero, iure isto vsus, tam iis, qui fortassis non habebant, vnde talem mercedem persoluerent, quam iis, quibus sic lucri tantum cupidus videri potuerit, facile impedimento esse potuisset, quo minus rel. chr. amplecterentur.

13. 14. Apostolo iam copiosiorem causarum, cur iure suo, poscendorum alimentorum, non vsus sit, explicationem in animo habenti, cf. v. 15. sqq., *mandatum Christi*, a disciplina sacrificiali Iudaeorum haud alienum, tanquam *quintum*, pro defendendo iure isto,

ζόμενοι, ἐκ τοῦ ἱεροῦ ἐσθίουσιν; οἱ τῷ θυσιαστηρίῳ προσεδρεύοντες, τῷ θυσιαστηρίῳ συμμε-

VARIAE LECTIONES.

13. παρεδρευοντες pro προσεδρευοντες exhib. A B C D E F G. 17. 46. Eus. Damasc. Procop. semel.

argumentum occurrit, quod addere non omittit, priusquam pergat in causis explicandis, cur iuris sui vsum sibi ipse denegauerit. Quare cum talis a nobis deprehenderetur sententiarum nexus, vel verba αλλ — Χριστου v. 12., vel commata 13 et 14., parentheseos signis circumscribenda esse iudicauimus. Ουκ οιδατε; *num nesciant* hoc vel illud, Ap. saepius quaerit ex iis, quos omnino *bene id scire* dicere vult, vnde aliquid demonstraturus sit. Τα ἱερα sc. χρηματα in N. T. sunt omnia ea, quae ad *cultum Dei externum*, eumque inprimis *leuiticum* ap. Iudaeos pertinebant. Cf. *Xenoph.* venat. 5, 25. *Lysiam* p. 229. vbi τα ἱερα *vasa* dicuntur, aliaeque *res sacrae*, *in templo repositae*. *Suid.* ἱερον redd. per ἁγιον, τῳ θεῳ ανατιθεμενον, qui et ἱερος pro ευσεβης adhiberi dicit. Hinc ἱερα εργαζεσθαι, alias ῥεζειν, pro quo Hebr. dicunt עבד עבודה, quod LXX per εργαζεσθαι εργον reddunt Num. 3, 7. 8, 11. sqq., respondet lat. *sacris operari*, s. *sacra obire*, ita vt οἱ τ. ἱερ. εργαζ. non minus atque οἱ τῳ θυσιαστ. προσεδρ. mera sit periphrasis *sacerdotum*, quos *Ioseph.* c. Ap. l. 1. τῃ θεραπειᾳ του Θεου προςεδρευοντας vocat. Εσθιειν pro ζῃν *omnino* vid. v. 14. Sensus est: *inter vos omnes satis constat, sacerdotes viuere ex templo*, i. e. *ex iis*, *quae in templo offeruntur*, *vt sunt victimae*, *decimae*, *primitiae et oblationes omnino*. Alii το ἱερον ad victimas restringunt, vt εξ ἱερου εσθιειν i. s. q. εσθιειν εκ θυσιων c. 10, 18.; sed το ἱερον num. sing. hoc sensu me vllibi legère haud memini, praetereaque Ap. εξ ἱερων eo magis scripturum fuisse arbitrer, cum idem voc. eodem numero proxime praecedat. — Iam eadem sententia aliis verbis repetitur. Ὁι etc. suppl. και ουκ οιδατε ὁτι οἱ etc. Θυσιαστηριον vel proprie *ipsa ara*, vel meton. *victima*, *quae in ara offertur*. Hebr. 13, 10. Προσεδρευειν vel παρεδρευειν (vid. var. lect.) τινι, lat. *assidere alicui rei*, i. e. *semper occupatum esse in aliqua re peragenda*, exsulante propria *sedendi* notione. Hinc etiam προσεδρια

ρίζονται; οὕτω καὶ ὁ Κύριος διέταξε τοῖς τὸ 14
εὐαγγέλιον καταγγέλλουσιν, ἐκ τοῦ εὐαγγελίου

assiduitas, s. *perseuerantia in aliquo negotio*. 3 Macc. 4, 15. *Aristot.* pol. l. 8. c. 4. προσηδρευον ταις Φιλοπονιαις. *Hes.* προσεδρευειν· σχολαζειν. Cf. *Schleusneri* spicil. 2. lex. *Biel.* p. 154. Προσεδρευειν igitur τω θυσιαστ., quod Hebr. 7, 13. per προσεχειν τω θυσ. nec minus ap. *Ios.* ant. l. 11. c. 8. et *Porphyr.* de abstin. l. 2. per προσιεναι τ. θ. exprimitur, sibi vult: *perpetuo curare officia ad altare*. Sic etiam hoc verbum ad sacerdotes Iudaeorum transfertur a *Diod. Sic.* Ecl. 1, 40. ἱνα λαμβανοντας αξιολογωτερας προσοδους απερισπαστοι συνεχως προσεδρευωσι ταις θεου τιμαις. et *Ios.* c. Apion. 1, 7. τῃ θεραπειᾳ του θεου προσεδρευοντας. Συμμεριζεσθαι est *diuidere inter alios*, *ita tamen*, *vt rerum diuidendarum ad me pars redeat;* ergo i. q. simpl. μεριζ. praepositione sensum non augente. Sed haerere etiam possis in praepos. συν, verba τω θυσ. συμμ. sumens sic: μεριζονται συν τ. θυσ. i. e. οἱ ἱερεις και το θυσιαστ. (*personae* quasi vim sustinens), μεριζονται sc. τα δωρα s. τας θυσιας. Plene sic μεριζ. cum accus. phrasin habet *Appian.* bell. Pun. p. 12. ed. *Toll.* 1670. ληιζομενῳ τε παντα και διαρπαζοντι και μεριζομενῳ τοις συνουσιν. Elliptice vero *idem* bell. civ. l. 5. p. 1179. ἡ μεριουμενος επανελθοντι. Verterim: *vna cum altari victimas inter se partiuntur*, s. *altaris socii sunt in diuidenda victima*, (*sie gehen mit dem Altare zu gleichem Theile*), i. e. *partem accipiunt victimarum oblatarum*, tam iis, qui inter profanos sacrorum curam in templo agebant, quam sacerdotibus et Leuitis apud Iudaeos, (ad quos proxime hunc locum spectare putauerim), vel ex lege Mos. Lev. 7, 6. Deut. 18, 1. salarii loco adiudicari solitam.

14. Ὁ Κυρ. διετ. sc. Matth. 10, 10. coll. Luc. 10, 7. Οἱ το ευαγγ. καταγγ. est periphrasis *apostolorum*, periphrasi sacerdotum v. 13. opposita. Ζῃν εκ s. απο τινος tam de *cibis*, quam de *negotiis*, ex quibus aliquis viuit, dici potest. Sic ζῃν εξ εργασιας ap. *Themist.*, ζῃν απο βοσκηματων ap. *Aristot.*, ζῃν απο του συκοφαντειν ap. *Demosth.* aliasque apud alios dicendi formulas occurrere *Kypkius* ostendit. Apostoli igitur dicuntur ζῃν εκ τ. ευαγγ. s. εκ του διδασκειν το ευαγγ., quatenus ipsis, pro hac traden-

15 ζῆν.) Ἐγὼ δὲ οὐ κέχρημαι οὐδενὶ τούτων. (οὐκ ἔγραψα δὲ ταῦτα, ἵνα οὕτω γένηται ἐν ἐμοί·

VARIAE LECTIONES.

15. ου κεχρημαι ουδενι pro vulg. ουδενι εχρησαμην hab. ABCDEFG. 17. 37. 46. 57. (cum 49. 71.) 73. item 80. Damasc.

dae rel. opera, *vitae necessaria de communi suggeri* debebant.

15 — 18. Iure apostolico, subministrantibus aliis viuendi, sic argumentis satis confirmato, Ap. iam, vlterius persequuturus quae v. 12. delibauerat, *causam*, cur eodem non vsus sit, ex pio ad augendae dignitatis suae vere apostolicae studio deductam, subnectere non omittit. Ante omnia *rem ipsam*, cuius causam explicandam sibi sumserat, v. 15. praemittit verbis his: εγω δε ου κεχρ. ουδ. τουτ. quae ad alimenta et munera referri solent sic: *non vsus sum vlla re vestra ad vitae meae sustentationem.* Sed ipsorum alimentorum et munerum nulla in praecedentibus mentio facta est. Quare haec verba vel ad argumenta, quibus εξουσιαν suam, Corinthiorum sumtibus viuendi v. 7-14. defendit, vel ad iura ista v. 4. 5. 6. commemorata retulerim vel sic: *non vsus sum vllo argumentorum hucusque commemoratorum pro obtinendo iure meo, alieno sumtu viuendi;* vel *ne vllo quidem iurium istorum, quibus mercedem exigere possim, vsus sum;* quasi scripsisset Ap. ουδεμιᾳ κεχρ. τουτων vel εξουσιων, vel ενδειξεων της εξουσιας. Neque tamen erat, quod Paullus haec vlterius h. l. persequeretur, cum eodem consilio eandem sententiam iam vberius explicasset v. 12., ad quem hic relegendum formulae ου κεχρ. ουδενι v. 15. cum ουκ εχρησαμ. v. 12. similitudine, quasi ablegatos vult lectores. Priusquam vero Ap. causam ipsam, cur de iure suo decesserit, in medium profert, Corinthios ὡς εν παροδῳ *praemonendos* censet, ne argumenta pro iure isto, sumtibus ipsorum viuendi, obtinendo a se prolata et vberius explicata in eam partem accipiant, ac si ius illud, quod hucusque haud obtinuerit, in posterum tamen persequi velit. Quare ουκ — κενωσῃ ( ) includenda censuimus. Ουκ εγρ. δε ταυτα, *neque tamen eo consilio haec scripsi*, sc. de iuribus apostolicis, argumentisque quibus nituntur, ἵνα οὕτω (i. e. κατα την εξουσιαν

καλὸν γάρ μοι μᾶλλον ἀποθανεῖν, ἢ τὸ καύ-
χημά μου ἵνα τις κενώσῃ.) Ἐὰν γὰρ εὐαγ- 16
γελίζωμαι, οὐκ ἔστι μοι καύχημα· ἀνάγκη γάρ

μου) γενητ. εν εμοι (pro simpl. εμοι, ex hebr. בי היה pro לי) vt mihi in posterum praestentur, quae aliis: καλον μαλλον (pro καλλιον εστι s. ηυχομεν Rom. 9, 5.) malim s. honorificentius esset αποθανειν vel mortem (siue Ap. mortem omnino, siue ex nexu speciatim mortem prae fame intellexerit), subire, i. e., vbi, quae Paullus animi quodam ardore correptus pronunciauit, ad suetam dicendi popularitatem reuocaueris, summum infortunium omnino, s. summas egestatis molestias perpeti malim, (vid. supra 8, 13. Rom. l. c. coll. Matth. 26, 24.) η—κενωσῃ, pro simpl. η το καυχημα μου κενουν s. κενουσθαι, quam irritam facere, s. fieri gloriationem meam, i. e. gloriandi materiam, sc. quod, reliquis apostolis sumtu publico viuentibus, ego solus omnium de meo viuo. Ex oppos. μισθος et αναγκη vero in voc. καυχημα tenendus esse videtur solus sensus peculiaris dignitatis s. praestantiae eo adauctae, quod neque muneris necessitate coacti, neque lucri cupiditate allecti, sed solo officii sensu interno perculsi aliquid, vel vltra legis scriptae normam, peragendum censuimus. De voce κενουν vid. ad 1, 17.

16. 17. 18. Sequitur iam causa, cur de iure suo decesserit, eaque ex illo ipso καυχηματι, modo descripto, repetita, quod tamen, vti ex apostolatus munere per se spectato ad se redundare v. 16. 17. negat, ita ex gratuita religionis institutione vnice a se percipi v. 18. affirmat. Εαν—καυχ. pro αυτο το ευαγγελιζεσθαι (s. το ευαγγ. μονον) ου παρεχει μοι καυχημα, si id vnum tantum ago, quod et alii faciunt, vt rel. chr. more sueto aliis tradam, (non aliunde accedente alius meriti dulcedine cf. v. 18.); minime vel inde gloriandi materiam nanciscor. (Nos: daſs ich Apostel bin, giebt mir noch kein Verdienst). Αναγκη γ. μ. επικ. Possit quidem αναγκη per se de vehementiori intelligi impetu interno, (innerer Andrang), quo Ap. in euangelium praedicandum ferebatur, quem non sine aegritudine (ουαι) opprimere potuisset; obstantibus tamen huic explicationi verbis: ει δε ακων sc. ευαγγελιζωμαι, cum animus in aliquam rem propensus atque procliuis vix simul ab ea-

μοι ἐπίκειται· οὐαὶ γάρ μοι ἐστὶν, ἐὰν μὴ εὐαγ-
17 γελίζωμαι. (Εἰ γὰρ ἑκὼν τοῦτο πράσσω, μισθὸν

dem alienus fingi possit. Quare αναγκη, postulantibus sic verbis οικονομιαν πεπιστευμαι, rectius de *necessitate ex munere apostolico ipsi pro voluntate diuina demandato oriunda* intelligitur Iud. 3. quam quidem Ap. sibi επικεισθαι dicit, quia cuiusuis officii ratio in *oneris alicui imcumbentis* similitudinem vocari solebat, (*Phauor.* επικειται· το βαρεως επιτιθεται.) vnde et dicendi ratio επιτιθεναι βαρος, s. ζυγον hoc sensu frequentatur. cf. Matth. 11, 29. 23, 4. Act. 15, 10. 28. Hebr. 9, 10. Ουαι δε μοι εστι, *vae autem mihi esset*, quod ex constructione paullo insolentiore, quali etiam הוי Ies. 1, 4. 5, 8. 11. occurrit, sibi vult: *poenae certissimae mihi metuendae essent*, εαν μη ευαγγ. *si munus apostoli, mihi mandatum, negligere sustinerem.*

17. Comma hoc, et ipsum vncinis a nobis circumscriptum, sententiae v. 16., praecipue notionis της αναγκης amplificationem et vberiorem declarationem transeundo exhibet, qua cauere conatur Ap., ne *omnis* euangelii praedicatio ex *sola* αναγκη, apostolis imposita, deriuetur. Ἑκων, ακων, pro quo Francogalli dixerint (*bongré malgré*), sunt voces ex intima Graecia petitae, neque eae alibi in N. T. obuiae, nisi quod forma fem. ἑκουσα Rom. 8, 20. legatur. Vtraque est particip. verbi ἑκω, et sic ἑκων, alias ἑκουσιος, *venientem*, et, cum verba veniendi haud raro et aliquam *libertatis* notionem admixtam habeant, *vltro venientem*, i. e. *lubentem*, εθελοντην, εθελουσιον omnino, vt ακων s. plene αεκων, quam formam *Homerus* adhibet, alias ακουσιος, *non sponte sua venientem*, i. e. *inuitum* et quasi βιασθεντα significat. Simili modo ab ελευθω *venio*, ελευθερος est *liber*, proprie vero *qui libere it, quorsum velit.* Cf. *Valckenar.* in h. l. Iam pro consilio Ap., paulo ante significato, *omnino quidem*, inquit, ει ἑκων τουτο (sc. το ευαγγελιζεσθαι) πρασσω, *si sponte s. lubens volensque hoc praedicandi euangelii negotium curo atque obeo*, τῃ αναγκῃ haud opus est, sed μισθον εχω sc. το πρασσειν τουτο, i. e. *sed negotium illud per se spectatum pro mercede aestimo.* (Sic εχειν et in N. T. obuium est, Matth. 14, 5. 21, 26. 46. Marc. 11, 32. Act. 20, 24. Phil. 2, 29. *Hes.* εχει· αξιοι). Interpretes vero, quos inspexi, vnanimi con-

ἔχω· εἰ δὲ ἄκων, οἰκονομίαν πεπίστευμαι.) Τίς 18

sensu, μισθον εχω ex possidendi verbi εχειν significatione reddunt per: mercedem habeo, s. nanciscor; vnde, si quid iudico, longe plurimae promanarunt difficultates, quibus locus noster obnoxius perhibetur. Ει δε ακων pro αλλ' ει και ακων sc. τουτο πρασσω, sed, si vel inuitus hoc negotium obeo, ita vt μισθον, s. voluptatem mercedis loco habendam, inde haud percipiam; suppl. quae, in eiusmodi contextu, inuito, ipsius auribus parcentes, cogitando addenda relinquere, et quibus, scribendo talia enunciantes, reticentiae signa appingere solemus: nihilosecius peragendum est, οικονομ. πεπιστ. pro πεπιστ. γαρ κατ' οικονομιαν, i. e. τῃ οικονομιᾳ, concreditus sum euangelio praedicando, quae est inuersio solennis pro ἡ οικονομια γαρ πιπιστευται μοι, Rom. 3, 2. Gal. 2, 7. 1 Thess. 2, 4. 1 Tim. 1, 11. Tit. 1, 3. (quo sensu etiam leguntur ap. *Ios.* ant. 20, 8. την προστασιαν του εθνους πιστευθεντες. *Achill. Tat.* l. 5. τῳ την Φυλακην την εμην πεπιστευμενῳ. *Diog. Laert.* l. 7. c. 1. πιστευθεντος την εν Περγαμῳ βιβλιοθηκην. et ap. alios alia. cf. *Kypke.*) *nam euangelii praedicandi cura fidei meae concredita est, ita vt iam nunc vrgente αναγκῃ faciendum mihi sit, quod* pro μισθῳ *habere ac libenter facere debui.* Nos ex eadem dicendi breuitate: *thue ichs ungern, — es bleibt mir nun ein Mal übertragen.* De voc. οικονομια pro *munere apostolico* Col. 1, 25. vid. supra ad 4, 1.

18. Commate hoc Ap. denique καυχημα illud ex gratuita religionis institutione vnice a se percipi affirmat (vid. ad init. v. 16.) Τις ουν, inquit, μοι εστιν ὁ μισθος; in qua quidem quaestione voc. μισθος, in quod Ap. ex eadem voce v. 17. adhibita, et e vocab. οικονομια ibidem obvio, eodemque του μισθου, et oeconomo persoluendi, notionem facile mouente, incidisse putandus est, eminentiore καυχηματος v. 16. significatione sumi debet, quae non tam addito articulo ὁ, quam formulae nostrae μοι εστιν ὁ μισθος, cum formula εστι μοι καυχημα, quae eodem nexu v. 16. occurrit, similitudine, et toto omnino sententiarum nexu manifesto informatur. Quid? quod, si vel rei ipsius naturam spectaueris, (dummodo sententias Ap., ex populari philosophandi et dicendi genere expressas, non ad scholae subtilitatem exigendas et ad viuum resecandas statueris), notio του καυχηματος ab ae-

οὖν μοί ἐστιν ὁ μισθός; ἵνα εὐαγγελιζόμενος

tatis adeo remotae scriptore, facile cum του μισθου indole commutari potuit, quatenus καυχημα illud, s. gloriandi materia, i. e. obsequium erga vltimas boni verique in nobismet ipsis positas leges, quas *duces* sequi debemus, voluptatis cuiusdam puritatem s. μισθον quemdam, indiuulsum saltem *comitem* habet, qui, vti vsque redibit, si vel furca eum expellas, sic ex ipsarum legum istarum dictamine ne expelli quidem debet; ita vt effectus, quod saepius fit, pro causa, vel, si malueris, comes pro duce positus esse videatur. Sensus igitur constituendus est sic: *quae cum ita sint* (ουν), sc. cum gloriandi materiam, s. peculiarem quamdam dignitatem, qua reliquis apostolis praestare videar, ex euangelii praedicatione per se spectata, eaque ex muneris necessitate mihi incumbente, prorsus repetere non possim v. 16.; *quaenam igitur mihi est dignitas*, quae non item et collegis meis debeatur? scilicet haec: ἱνα ευαγγ. αδ. θησ. τ. ευαγγ. Possis etiam, aptissime ad l. n. contextum verba τις ουν μοι ὁ μισθος; emphasi ad voc. μοι reuocata, reddere sic: quaenam igitur est dignitas illa, quam *mihimet ipse acceptam refero?*" vnde nouum tum, pro tuenda eminentiori voc. μισθος significatione, modo a nobis prolata, repeti possit praesidium. Cum tamen idem voc. μοι, et eadem formula μοι εστι v. 16., licet eodem nexu, sine hac emphasi tamen, vsurpari videantur; iure etiam dubito, an hic potissimum admittendae huic emphasi locus sit. Ἱνα h. n. ειδικως pro ὁτι Ioh. 15, 8. 17, 3. 1 Ioh. 3, 1. 23. *Sophocl.* Aj. Flag. v. 316. μηδεν μεγ' ειπης· ουχ ὁρας ἱν' ει κακου. Cf. Glassii philol. s. p. 544. ed. *Dath.* De constructione huius part. cum coniunctiuo vid. ad 4, 6. Ευαγγελιζομενος resolv. per ἑως ευαγγελιζομαι, *dum in praedicando euangelio versor*, s. per καιπερ ευαγγελιζομενος sc. ᾡ εστιν εξουσια του φαγειν και πιειν v. 4. (vid. infra version.). Αδαπανον dicitur, *quod sumtu caret*, s. *expers impensarum.* In explicanda vero phrasi αδαπ. τιθεναι το ευαγγ. in duas partes abeunt interpretes. Alii, *Grotium* sequuti, τιθεναι sensu eo, quo *beneficium locare* dicitur, alii, iique longe plurimi, τιθεναι ex hebraismo, quo שום pro עשה adhibetur, et graecismo, quo sexcenties ap. graecos, tam vinctae, quam

ἀδάπανον θήσω τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ,

solutae orationis scriptores τίθημι pro ποιῶ vsurpatur, (quod *Alberti*, *Kypk.* et *Loesn.* magna exemplorum ad h. l. collectorum farragine confirmarunt), pro *facere* accipi volunt, ita vt Paullus, *se euangelium gratuitum fecisse*, i. e. *gratis praedicasse* dixerit. Sed prior illa significatio, a *Grotio* prolata, ex vsu loquendi *graeco* nondum satis firma, et a l. n. contextu prorsus aliena est. Altera vero verbi τιθέναι significatio, satis firma illa quidem per se, hoc nexu tamen duritie laborare videtur vix ferenda. Nam quis quaeso graeci, s. latini, et cuiusvis alius idiomatis adeo ignarus est, vt ferre possit dicentem: ἑαυτοῦ ἀδάπανον τιθέναι το ευαγγ., s. *se euangelii praedicationem impensarum expertem reddere*, qui nil amplius exprimere velit, quam ἑαυτον δωρεαν ευαγγελιζεσθαι το ευαγγ., s. *se gratis euangelium tradere?* qua quidem formula ipsa, vel a Christo in tractando hoc argumento vsurpata Matth. 10, 8. et Paullus vsus est 2 Cor. 11, 7. quamque eum etiam h. l. adhibiturum fuisse arbitrer, si, praeter propriam euangelii gratis tradendi notionem, nullam aliam, eamque metaphoricam simul in mente habuisset. Quare equidem, cum huiusce dicendi formulae ratio aliunde petenda videatur, verbum τιθέναι sensu eo acceperim, quo compositum παρατιθέναι *cibis apponendis* proprium est, quanquam et simplex τιθέναι sic adhiberi vel ex Homerico isto τιθεν-το δε δορπον, *apponebant coenam* satis constet. Forsitan etiam Paullus in enuncianda hac dicendi formula hebr. שׂוּם et הֵשִׂים respexit, quod eadem ciborum appo-nendorum significatione legitur Gen. 24, 33. 43, 31. 32. 1 Reg. 21, 6. 28, 22. 2 Reg. 12, 20. alibi. Voc. αδαπ. vero ad *cibos* potissimum impensarum expertes transferri posse, tam per se, quam vel inde apparet, quod *Hesych.* αδαπανον dicat το ὕδωρ, quippe quo sine impensis frui possimus; ita vt Paullus talem hic se fingat quasi οικονομον, qualem Iesus in parabola, *ciborum in tota familia dispensatorem*, ὃς το σιτομετριον και την τροφην διδωσι τῃ θεραπειᾳ Matth. 24, 45. Luc. 12, 42. Denique vero dicendi genus in toto hoc capite conspicuum hanc interpretationem mirifice adiuuat, siquidem Paullus totus in eo fuit, vt, licet potestatem habeat sumtibus ecclesiarum *edendi* et *bibendi* v. 4., ac licet vinitores

εἰς τὸ μὴ καταχρήσασθαι τῇ ἐξουσίᾳ μου ἐν

ex fructibus, pastores ex lacte gregis, et sacerdotes ex victimis comedant v. 7. 13., ita vt et ipse, tanquam euangelii nuntius, ex euangelio *viuere*, s. *victum sibi comparare* potuerit v. 14.; se tamen, pro *oeconomia* sibi mandata v. 17., instar boni rerum div. oeconomi, (qui et ipse, voc. a verbo τιθεναι petito, διαθετης alias vocatur), *fructus* s. *cibos spirituales distribuere* v. 11. maluisse, declararet. Nonne hinc, et proxime fortassis ex voc. οικονομια v. 17., facillima erat ciborum apponendorum ad tradendam doctrinam Christi translatio haec: *licet euangelii nuntius vobis sim* (ευαγγελιζομενος), *tantum tamen abest, quod est meritum meum, de quo glorior, vt ex mandato Christi* v. 14., *vos mihi victum suppeditetis, vt, vltra mandati istius normam*, ego vobis *sine sumtu vestro praestantissimos euangelii cibos apponere et* μη καταχρησασθαι τῃ εξουσιᾳ μου εν τῳ ευαγγελιῳ, *i. e. de iure meo victum a vobis postulandi* (εξουσια), *quod mihi, durante mea euangelii praedicatione* (εν ευαγγελιῳ), *in vos competit, decedere malim*. Scilicet εις το μη καταχρ., quam constructionem hebraicam esse vix monere attinet, non tam per ἵνα, quam ex proxime praeced. per και ἵνα vel ὅτι resolui velim; καταχρ. vero, vt supra 7, 31. pro simpl. χρασθαι h. n. acceperim; εξουσια denique iungi quidem possit cum εν τῳ ευαγγ., vt sit εξουσ. εις το ευαγγ. *ius in euangelium, inde sc. viuendi* v. 14.; sed cum εξουσια μου iam per se de iure Ap., Corinthiorum sumtu viuendi, commode intelligi queat, equidem verba εν τῳ ευαγγελιῳ pro εν τῳ κηρυττειν το ευαγγ. vel ἑως ευαγγελιζομαι sumi malim, vt respondeant proxime praecedenti ευαγγελιζομενος. Resoluerim sic: και ὅτι (οὑτως) εν τῳ ευαγγελιζεσθαι (s. καιπερ ευαγγελιζομενος) μη χρασμαι τῃ εξουσιᾳ μου (εις ὑμας). cf., quam praemisimus, version. — Sic iam mihi quidem ordo sententiarum vv. 16-18. constituendus esse videtur. Ex vulgari autem interpretatione, quam ex recentioribus S. V. *Schulzius* tuendam verbisque textus graeci accommodandam sibi sumsit, et qua v. 17. non minus quam v. 18. ad καυχημα illud v. 15. vlterius explicandum refertur, vox ευαγγελιζ. v. 16. ex hebr. בשורה 2 Sam. 4, 10. pro *docere rel.*, *praesente tamen pecunia soluta*, αναγκη pro *necessitate*, non solum ex *munere* sed etiam e *mercede*

τῷ εὐαγγελίῳ. Ἐλεύθερος γὰρ ὢν ἐκ πάν- 19

accepta oriunda, et το' ουαι pro *poenis ciuilibus*, ab iis, qui mercedi haud satisfaciant, luendis, sumi; v. 17. vero ad το καυχημα Paulli, de mercede non postulata, trahi solet ita, vt ἑκων i. sit q. alias δωρεαν, *gratis*, et μισθος non differat a καυχηματι v. 15., sensusque prodeat hic: *quodsi enim doctrinam chr.* accepta mercede *trado, hoc minime est, vnde gloriari possim; sic enim agendum est vrgente necessitate*, (*tam ex munere quam* ex persoluta mihi mercede *oriunda*), *et instantibus* poenis ciuilibus *secus agentibus metuendis. Quodsi vero* gratis *hoc facio, gloriandi materiam nanciscor; sin minus, et tum faciendum est, quod officii ratio postulat, cum euangelii praedicandi munus mihi mandatum sit* et s. p. At vero cum αναγκη propter verba οικον. πεπιστ. v. 17. de sola necessitate ex *munere* intelligi debeat; ευαγγελιζ. quoque ad praedicandi euangelii *munus per se spectatum*, et το' ουαι ad poenas *neglecti muneris omnino* sustinendas, acceptae mercedis nullibi notione admixta, referantur, necesse videtur. Verba vero ἑκων, praecipue ακων, absolute posita, vix *spretae vel acceptae mercedis* notionem exprimere possunt, cum, pro ingeniorum diuersitate, vicissim et is, qui mercedem acceperit ἑκων, qui non acceperit ακων aliquid peragere recte existimari possit. Neque a sententiarum nexu haec interpretatio commendationem habere videtur; siquidem Paullum, si iam v. 17. id egisset, vt de euangelii annunciatione sine victu inde accepto gloriaretur, sententiae ει δε ἑκων τουτ. πρασσω, μισθ. εχω, sententiam ει δε ακων, μισθ. ουκ εχω, oppositurum, neque v. 18., praemissa quaestione, nouae sententiae exspectationem excitante, repetiturum tantum fuisse arbitrer, quod v. 16. iam commemorauerat. *Alii* v. 17. reddi volunt sic: *si volens, adeoque adhibitis omnibus animi corporisque viribus doctrinam Christi trado, mercedem habeo*, (quam alii a benignitate div., alii a recte factorum conscientia, alii denique aliunde repetunt); *sin minus, nihilosecius eam tradam necesse est*, etc. ita vt μισθος v. 17. a μισθῳ v. 18. gradu differat. Sic fere etiam Schol. cod. A. ap. *Matth.* p. 229. Sed tunc, quorsum spectet totum hoc comma, et quomodo cum v. 16. connectendum sit, et cur Paullus τω' μισθον εχειν non op-

των, πᾶσιν ἐμαυτὸν ἐδούλωσα, ἵνα τοὺς πλείο-

posuerit το' μισθον ουκ εχειν, equidem non assequor. *Semlerus* denique verba v. 17. et 18. distingui vult sic: ει δε ακων οικονομιαν πεπιστευμαι, τις ουν μοι εστιν ο μισθος; *si vero inuitus quasi, non lucri spe ipse prouocatus eam prouinciam gero, quam fidei meae committi passus sum, quae tandem hic esse potest merces mea?* Sed neque erat, quod Paullus formulae modo praemissae: ει τουτο πρασσω, vllam vel adeo plenius sonantem: ει οικονομιαν πεπιστ. opponeret; neque part. ουν, verbis sic distinctis, satis bene procedit; neque significatio, voci ακων substrata, satis firma videtur (cf. quae contra S. V. *Schulzium* ad vocc. ἑκων et ακων modo annotauimus).

19-23. Vti Ap. vv. 2—18. quaestionis, ουκ ειμι αποστολος; v. 1., ratione habita, iure suo apostolico vitandi scandali causa decessisse gratisque doctrinam chr. docuisse ostendit; sic iam nunc, ad alteram quaestionem ibidem subsequentem ουκ ειμι ελευθερος; respiciens, nouum istius συγκαταβασεως exemplum, in docendi methodo conspicuum, addit hoc: *se, licet ex omni parte liber sit, ac nemini obnoxius, in tradenda tamen rel. chr. serui instar hominum ingeniis et moribus inseruiisse, quo plures redderet Christi asseclas.* Γαρ h. n. est part. trans. Ελευθερος ων pro καιπερ ελευθ. ειμι. vid. ad v. 1. Εκ παντων sc. ανθρωπων, *obnoxius nemini*; πασιν εμαυτ. εδουλ. *in seruitutem tamen omnium memet ipse redegi*, quod v. 22. exprimitur per τοις πασι γεγονα τα παντα, et 10, 33. per παντα πασιν αρεσκω, i. e. *vti seruus nullum laborem nullaque incommoda defugiens, domini ingenio inseruire et vel molestissimos ipsius mores perferre debet; sic et ego aliis aliorum moribus inseruire studui*, ἱνα τους πλειονας *vt plures* (sc. quam secus agendo fieri potuisset), i. e. *quam plurimos* (παντως τινας v. 22.) κερδησω, (pro quo v. 22. ex alia quidem metaphora sed sensu eodem dicitur σωζειν, quod et h. l. codd. nonnulli habent), *ad religionis chr. disciplinam adducerem.* Formula vero κερδαινειν, *lucrari*, quae tamen absque propria adhibitae simul *astutiae*, κερδεος, s. *Hes.* interpr. τεχνασματος, notione, sumenda est, h. n. residua est ex commento veterum, quippe qui cultu div. non tam hominibus, quam Diis commoda quaedam succrescere, eorumque honorem et maiestatem adaugeri rati, quem-

νας κερδήσω. Καὶ ἐγενόμην τοῖς Ἰουδαίοις ὡς 20
Ἰουδαῖος, ἵνα Ἰουδαίους κερδήσω· τοῖς ὑπὸ νό-

libet proselytum vt lucrum s. quaestum, quem ipse Deus fecisset, spectare solerent. cf. Matth. 18, 15. 1 Pet. 3, 1. Simili sensu *Heliodor.* 4, 18. ἵνα ἐκ παντων μονους αλληλους κερδησωσι; vt et nos lingua german. *lucrifacere* dicimus eum, cuius animum nobis conciliamus, conciliatumque ad nostram sentiendi et agendi rationem suscipiendam procliuiorem reddimus. Sunt ceterum, qui comma 19. ad disputationem proxime praecedentem referri malint ita, vt ελευθερος, habita seruorum ratione, quibus veteres liberos educandos tradiderint, ad *immunitatem a gratuita aliorum institutione*, δουλευειν vero ad *operam manuariam* spectet, quam Ap. ad victum cultumque sibi comparandum haud detrectauerit, sensu hoc: *licet officii mei ratio minime postulet, vt cuiquam religionem chr. gratis tradam; operam tamen seruilem mei nutriendi causa non recusaui, quo plures gratuita institutione in partes meas traherem:* nisi tum, quae sequuntur v. 20., nexu idoneo destituta, et ex abrupto, vt aiunt, addita videantur.

20-22. Amplificatur δουλεια ista, in quam semet ipse redegisse modo professus erat. Και, h. n. *exempli gratia*, quanquam et pro partt. δια τουτο et γαρ sumi possit. Τοις Ιουδαιοις, *in commodum*, s. *in gratiam Iudaeorum*, nimirum ἵνα Ιουδ. κερδ. Ὡς Ιουδ. εγενομην pro ειμι: *inter Iudaeos Iudaei personam sustineo;* (nos: *gegen Juden mache ich den Juden*), i. e. *more iudaico viuo.* Τοις ὑπο νομον sc. ουσι vel, vt plenius legitur Gal. 4, 21. θελουσιν ειναι. Est vero ειναι ὑπο τινα, s. quod Attici praeferunt ὑπο τινι, pro quo interdum et ὑ. τινος occurrit, *alicuius imperio subiectum esse*, vt Iudaei, seruorum instar legi Mos. mancipati Rom. 6, 14., eidemque tamquam seuero paedagogo subiecti erant. Gal. 3, 25. 4, 2. Neque tamen τους ὑπ. νομ. ad *proselytos*, neque ad *Christianos* nimirum eos, qui legis Mosaicae auctoritatem adhuc agnouerint, referri velim. Proselytos enim, quos vocant, *iustitiae* non video cur a Iudaeis distingui voluerit Ap.; proselytis *portae* vero, quippe qui non vniuersae legi Mos. adstricti tenerentur, vix congruit των ὑπο τον νομον periphrasis; iamiam Christiani denique amplius lucrifieri, s. ad rel. chr. conuerti non poterant.

μον, ὡς ὑπὸ νόμον, μὴ ὢν αὐτὸς ὑπὸ νόμον,

VARIAE LECTIONES.

20. Verba μη ων αυτος ὑπο νομον add. A B C D E F G. 10. 17. 31. 37. 46. 71. 73. 80. Syr. p. Sahid. Arm. Vulg. It. Cyr. Chrys. (etiam in Matth. 2. 7.) Damasc. Nestorius. Or. int. (non gr.) Ambrst. in textu. Beda. Aug. praeterea addens alicubi: αλλ' ὑπο χαριν, teste Millio. probb. Bengel. Mill. Knapp. Vater. reprobb. Wetst. Matth. al. Verba omnino sunt ambiguae auctoritatis, quae et Griesb. probabiliter tantum textui adiicienda censuit, et rectissime id quidem, cum obseruante Matth., quos modo adduximus, libri, et ipsi fortasse e Vulg. corrupti, contra tot codd. graecos vix valere possint, istudque μη ων αυτ. ὑπ. νομ. ad similitudinem v. 21. forte effictum esse, suspicari liceat, quamquam etiam, argumentatione inuersa, additamentum nostrum probabilitatem ex v. 2., simillimum simillimo nexu exhibente, mutuari, praetereaque ob ὁμοιοτελευτον proxime praecedens omissum esse videri possit.

Quare τους ὑπο τον νομον vel cum τοις Ιουδαιοις prorsus eosdem esse putauerim, ita vt haec verba ad magnam illam Iudaeorum de legibus Mos. opinionem, (quae in pronuntiando voc. Ιουδαιων animo Ap. praecipue obuersabatur), eo penitius exhauriendam adiecta videantur; vel, inter ipsos, *Pharisaeos* potissimum intellexerim, vt legis Mos. longe tenacissimos. Ὡς ὑπο νομον, suppl. εγενομην ὡς ὑπ. νομ. sc. αυτος ων. *Erga Iudaeos, legis Mos. tenaciores, ita me gero, ac si et ego huic legi me adhuc adstrictum sentiam* (καιπερ) μη ων αυτος ὑπ. τ. νομ. (si sana est lectio, vid. var. lect.) *cui tamen haud amplius obstrictus sum.* Sed in summa licet de lege Mosis per religionis chr. oeconomiam abrogata persuasione, Paullum tamen non fugit, Iudaeos legem istam magni adhuc facientes, facilius nouam Christi doctrinam admissuros esse, vbi Mosi suus seruaretur honos. Hinc ad Iudaeorum vitae externae indolem rediens, v. c. Timotheum circumcidi iussit, vota suscepit, susceptaque persoluit, a cibis lege Mos. vetitis abstinuit Act. 16. 1. sqq. 21. 17. sqq., et praecipue totam institutionem suam, exemplis et oraculis V. T. in subsidium vocandis, ad ingenium Iudaeorum accommodauit (cf. ep. ad Gal. et Hebr.), ne religio chr. a iudaica prorsus abhorrere videretur. Hoc est illud ὡς Ιουδαιον et ὡς ὑπο νομον ειναι.

ἵνα τοὺς ὑπὸ νόμον κερδήσω· τοῖς ἀνόμοις ὡς 21
ἄνομος, (μὴ ὢν ἄνομος Θεῷ, ἀλλ' ἔννομος Χρι-
στῷ), ἵνα κερδήσω ἀνόμους. Ἐγενόμην τοῖς 22

VARIAE LECTIONES.

21. Loco Θεῷ et Χριστῷ exhib. Θεοῦ et Χριστοῦ A B C D. a pr. m. E F G. 7. 17. 26. 31. 37. 42. 46. a pr. m. 67. ex emend. 73. Ed. Copt. Arm. Syr. p. Vulg. It. Or. gr. et lat. Isidor. Cyr. Chrys. (etiam in Matth. 2.) Damasc. Theoph. (etiam in Matth. 2.) Oec. alicubi. Psellus. Ambrst. Nestorius. Vigil. Avitus vienn. Hier. Aug. Pel.

21. Ανομοι, באין תורה, ex v. 20. pro οἱ μη ὑπο νομον οντες, qui Rom. 2, 12. 14. οἱ νομον μη εχοντες dicuntur, i. e. *ethnici*, *legem Mos. haud curantes*, (*Theodoret*. οἱ εξω του νομου πολιτευομενοι), quorum igitur in gratiam ὡς ανομος *quasi et ipse eas non curaret*, a ritibus Moss. abstinuit, cibis lege Mos. vetitis vsus est, et i. g. a. Ne autem ανομος ex solenniori significatione hic pro *violatore legum div.* accipiatur, Ap. in parenthesi addit: se tamen haberi nolle pro ανομῳ Θεῳ, i. e. pro παντελως ανηκοῳ των θειων νομων, (vt *Basil. M.* in Ies. habet), cum se omnino profiteatur εννομον Χριστῳ, i. e. *legi a Christo latae*, s. *doctrinae ab eo traditae obstrictum, eidemque obedientiam erga Deum postulanti*. Sic εννομος etiam legitur ap. *Aelian*. v. h. 2, 22. εννομωτατους γενεσθαι και Μαντινεας ακουω. *Hes*. εννομον· ενθεσμον. Paronomasiam vero efficere ανομος et εννομος, quis non viderit? (cf. var. lect.).

22. Ασθενεις, vt αδυνατοι Rom. 15, 1. sunt *doctrinae chr. adhuc imperitiores*, tam ex Iudaeis quam ex ethnicis (vid. supra ad 8, 11. 12.) quorum in gratiam Ap. εγενετο ασθενης, i. e. *quorum captui sese accommodauit*, e. c. αδιαφορα, quibus illi offenderentur, sedulo vitando, religionis disciplinam ad vitae communis vsum et sermonis quotidiani popularitatem reuocando, lacte, non βρωματι et στερεᾳ τροφῃ, nouitios alendo, etc. Τοις πασι (sc. Ιουδαιοις, ανομοις, ασθενεσι), γεγ. παντα, vel ευτραπηλος, (sensu tamen bono), μυριας τροπας τραπομενος, προς παντας ευαρμοστος, παντοιος γεγονα, (quas dicendi formulas *Raphel*. *Kypk*. aliique ex Graecorum scriptis ad h. l. collegerunt), i. e. *in omnes me mutaui formas, prout postulabat conditio eorum, quibuscum ver-*

ἀσθενέσιν ὡς ἀσθενὴς, ἵνα τοὺς ἀσθενεῖς κερ-
δήσω· τοῖς πᾶσι γέγονα τὰ πάντα, ἵνα πάν-
23 τως τινὰς σώσω. Τοῦτο δὲ ποιῶ διὰ τὸ εὐαγ-

VARIAE LECTIONES.

22. Pro παντως τινας leg. παντας D E F G. Syr. Erp. Aeth. Vulg. It. Clem. Tert. Hier. Ambrst. Pel. Aug. Nestorius. Pacian. Ennodius. Beda. τους παντας. 17. Or. (semel παντα) παντως τινα. Lect. 5. Matth. d. ψ, χ. 7.

23. παντα pro τουτο hab. A B C D E F G. 17. 37. 46. 67. ex emend. 73. 80. Copt. Aeth. Vulg. It. Naz. Chrys. (etiam in Matth. 2. 7.) Schol. in cod. 7. Ambrst. Pel. Sedul. Beda. παντα παντα Arm. Sahid.

sabar, vt παντως, *certe*, (*auf jeden Fall*) vel *omnibus modis adhibendis aliquos*, i. e. αλλους αλλως, *alios alio modo*, ad rel. chr. adducerem. De voc. σωζειν vid. ad 7, 16. Cf. commentarii instar ante omnia cap. 10, 23. κατα παντα πασιν αρεσκω, μη ζητων το εμαυτου συμφερον, αλλα το των πολλων, ινα σωθωσι. coll. Rom. 11, 14. Aliquo modo, neque vero ista Paullina significandi amplitudine, huc referri possint: *Lucian.* in Abdic. και σωτηρ και ευεργετης, και παντα ην εγω. et *Heliodor.* Aethiop. l. 7. τῃ δεσποινῃ τα παντα, — και νους εκεινῃ, και ωτα και παντα τυγχανω. Cf. 1 Cor. 15, 28.

23. Ex vulgari interpretatione τουτο ad omnem συγκαταβασιν Paullinam v. 20—22 descriptam, (quo etiam lectio παντα spectat, vid. var. lect.) ευαγγελιον vero ad *promissiones euangelii* referri solet sensu hoc: *sic autem aliis aliorum moribus inseruire studeo*, δια το ευαγγ. *quo magis religio chr. propagetur*, (quod v. 12. audit; ινα μη εγκοπην τινα δωμεν τῳ ευαγγ. τ. Θεου), et ινα συγκοινων. αυτου γεν., *vt praemii caelestis particeps fiam, quod in euangelio promittitur*. Sed praeterea, quod illa ipsa sententia: *se propagandae rel. causa ita agere solere*, v. 20—22 quinquies iam enuntiata prostet, Paullum quoque verba illa: ινα συγκοιν. αυτ. γεν. per και annexurum fuisse arbitrer, vbi nouum sic agendi argumentum addere voluisset. Neque adeo desunt, qui ευαγγ. de *praemio boni nuncii* accipiant. Quodsi admitteremus, Ap. sibi non constaret, quippe qui hic praemium laborum expetere videretur, quo paulo ante se sponte sua carere monuerat. Quare verborum am-

γέλιον, ἵνα συγκοινωνὸς αὐτοῦ γένωμαι. Οὐκ 24
οἴδατε, ὅτι οἱ ἐν σταδίῳ τρέχοντες, πάντες μὲν

bages, per quas sententia huius comm., ex dicendi genere hebraico, circumducitur, corripimus sic: τουτο δε ποιω, ινα συγκ. του ευαγγ. γενωμ., quod tamen Paullus propterea forsan exprimere maluit per: τουτ. δ. π. δια το ευαγγ., vt eos simul transeundo notaret, qui non tam δια το ευαγγ. quam δια τον μισθον alios instituerent; quibus tamen verbis tam late patentibus commentarii instar verba ινα—γενωμ. subiungere non omisit. Iam voc. τουτο ad σωζειν, quod proxime praecedit, το ευαγγ. vero ad illam ipsam σωτηριον euangelii indolem, qua omnes homines ad altiorem cogitandi, sentiendi et agendi puritatem atque praestantiam attolli vult, retulerimus sensu hoc: *institutionem meam non ad vitae externae commoda mihi paranda, sed ad spiritualem et altioris indaginis hominum σωτηριαν promouendam refero, quam quidem religionis chr. indolem et meam reddere, meaque agendi ratione exprimere annitor.* vid. ad voc. καυχημα v. 15.

24—27. Qui v. 23. de praemio caelesti a doctoribus rel. chr. olim reportando sermonem esse statuunt, Paullum hic Corinthios suos adhortari perhibent, vt de eodem praemio certent; nos, aliter statuentes, omnem hanc cohortationem ad σωτηριαν et συγκοινωνιαν του ευαγγ., qualem modo descripsimus, Corinthiis exemplo suo commendandam reuocamus (cf. sensum loci ad v. 27.). Vtitur vero Ap. hoc consilio metaphora a ludis publicis veterum, Graecorum potissimum, desumta, quibus cursu, pugilatione, luctatione et curriculis equorum certare solebant, quique et Corinthiis notissimi erant, cum eiusmodi certamina solemnia et in isthmo prope Corinthum quinquennalia celebrarentur (cf. prolegg. init.). Hinc et Ap., dum Corinthi per XVIII menses commorabatur, loquendi formas, in istis ludis vsitatas, notasse sibi videtur, vt in vsum diuiniorem eas aliquando transferret. Paullum vero hic ad Olympiacum potissimum, praecipuae celebritatis, agonem respexisse, quia non pugillatum et luctam, sed *cursum* tantum, inter ipsa Olympiaca certamina nobilissimum, hic et 2 Tim. 4, 7. commemoret, cum *Chrysostomo*, *Spanhemio*, aliis,

τρέχουσιν, εἷς δὲ λαμβάνει τὸ βραβεῖον; οὕτω

contendere non ausim, tum quia cursus ludis illis Olympp. non adeo proprius erat et peculiaris, vt in reliquis, Isthmicis, Nemaeis, rel., prorsus desideraretur, tum quia v. 26. omnino et pugillatus mentio facta est; vt taceam, apostolum sine dubio *cursus* potissimum ratione habita, ludorum exemplo vti, quia vita humana in *itineris*, cui *cursus* notio proxima deprehenditur, similitudinem vocari solet. Quare de certaminibus publicis omnino Paullum cogitasse putauerimus. Cf. autem ad h. l. scriptores de re gymnastica veterum a *Fabricio* in bibliograph. antiq. p. 625. ed. 1. laudatos. Ουκ οιδατε, vid. ad v. 13. Σταδιον s. σταδιος est *omnis locus, in quo solemnia certamina Graecorum habita, victoribusque praemia proposita sunt.* Nomen απο της στασεως derivandum esse Viri docti arbitrati sunt, vel, quod cursores, meta apprehensa, subsisterent ad praemium acceptandum, vel, quod cursores, qui bis curriculum curuo cursu decurrebant, de nouo currere volentes, ad metam parum subsistere et quiescere solerent, quo melius cursum absoluere possent. Cf. S. V. *Schleusnerum.* Τρεχειν sunt, qui i. esse putent, q. *certare*, cum *Hesych.* τρεχειν interpretetur per αγωνισασθαι, ipseque Ap. verbo αγωνιζομενος v. 25. et ὑπωπιαζω v. 27. vtatur; in qua tamen interpretatione Hesychiana το αγωνισασθαι nil aliud infert, quam quod verbum τρεχειν, quod alias de cursu quocunque adhiberi soleat, speciatim de cursu *gymnico* vsurpetur, quem et nos hic innui nulli dubitamus. Βραβειον *Etymol. M.* λεγεται ὁ παρα των βραβευτων διδομενος στεφανος τῳ νικωντι. *Hesych.* βραβειον· επαθλον, νικητηριον, αμοιβη, qualis erat *corona*, *palma*, *olea*, de qua quidem *olea* το βραβειον hic intelligunt, qui Paullum Olympiacos, prae caeteris, ludos h. l. respexisse perhibent, quia corona Olympiaca, victoribus debita, ex *olea* confecta erat. Βραβειον vero differre ab αθλῳ, vt ληµµα a δωρῳ, *Olearius* obseruauit, cum illud distribueretur a diribitoribus, το αθλον vero (ὁ αθλος est ipsum *certamen*), reportaretur vel acciperetur a victoribus. Hinc Scholiast. in Pind. Olymp. 1. λεγεται δε το διδομενον γερας τῳ νικησαντι αθλητῃ απο μεν των διδοντων βραβευτων, βραβειον, απο δε των αθλουντων αθλον. Cf. *Wetst.* ad h. l. *Suic.* thes. T. 1. p. 707.

τρέχετε, ἵνα καταλάβητε. Πᾶς δὲ ὁ ἀγω- 25
νιζόμενος, πάντα ἐγκρατεύεται· ἐκεῖνοι μὲν οὖν,

Pollux onom. 3, 30. 142 sqq. *Lydius* in agonist. sacr. p. 145. Inest ceterum verbis ὅτι — βραβειον traiectio, sic tollenda: ὅτι παντες μεν, οἱ εν σταδιῳ τρεχοντες, (qui alias vno verbo dicuntur οἱ σταδιοδρομοι), τρεχουσι (eo nimirum consilio vt palmam ferant), εἰς δε (sc. ὁ σταδιευς) λαμβ. τ. βραβ., idque pro: ὅτι, καιπερ παντες οἱ σταδιοδρομοι τρεχουσι, το βραβ. λαμβ. ει μη εἰς. Ουτω τρεχετε, *tam intento cursu, vel tam accurate secundum praecepta certaminis* (νομιμως 2 Tim. 2, 5.), ἱνα καταλαβητε sc. ὑμεις παντες το βραβειον, *vt, non vnus ex vobis, sed quilibet vestrum palmam ferat.* Sic explendam esse sententiam hanc, verba εἰς δε λαμβ. τ. βραβ. manifesto requirunt, quae, absque hoc opposito sensum funderent a mente Paullina prorsus alienum. Quare nec iis assentiri possumus, qui, praeeunte iam *Cypriano*, καταλαβητε per se spectatum sic reddi malunt: *ita currite vt* occupetis sc. *antagonistas.* Hanc enim, aiunt, auctore *Hesych.*, qui καταλαβεσθαι per φθασασθαι reddiderit, propriam esse huius verbi significationem, qua et προλαμβανειν absolute adhibeatur, ita vt e. c. προειληφοτες dicantur *qui priores alicubi fuerunt;* semperque το βραβειον dici λαμβανεσθαι, nunquam καταλαμβανεσθαι. Sed praeter difficultates supra commemoratas, quas haec interpretatio tam nexui quam sensui infert, iam *Lydius* l. c. verbum compositum idem saepissime valere recte monuit, quod simplex, nisi quod praepositio maiorem emphasin addere existimari queat.

25. Αγωνιζομενος (pro αγωνιστης) de omnibus gymnasmatum generibus vsurpatur, ne *cursu* quidem excepto, vnde αγωνιζεσθαι σταδιον ap. *Plutarch.* est *currere stadium*, vt loquitur *Cic.*, i. e. *inire certamen cursus in stadio.* Παντα ex ellipsi frequentissima pro κατα παντα s. παντως. Exempla ex *Herodoto* collegit *Raphelius.* Cf. praeterea *Hutchinson* ad Xenoph. cyrop. p. 387. et *Palairet* ad c. 10, 33. Εγκρατευεσθαι, (εν κρατει ειναι), *abstinere*, (vid. ad 7, 9.) h. n. ad exactissimam athletarum diaetam spectat, qui, imminentis potissimum exercitationis tempore, abstinere iuberentur non solum a *Venere* et *vino*, sed etiam a *cibis delicatioribus*,

ἵνα φθαρτὸν στέφανον λάβωσιν· ἡμεῖς δὲ, ἄ-

et vetitis omnino ab iis, quibus sese vendiderant. Illud *Chrysost.* respexit: ουδε γαρ, inquit, μεθυειν εξεστι τοις αγωνιζομενοις κατα τον καιρον αγωνιας, ουδε πορνευειν, ινα μη την δυναμιν εκλυσωσι. (coll. *Horat.* d. art. poet. 142. sq. "qui studet optatam cursu contingere metam, *abstinuit Venere et vino.*") hoc *Theodoret.* cuius haec habe verba: αποβλεψατε τοινυν εις τους εκεινων πονους, ουδε γαρ παντων μεταλαγχανουσιν, ὡς αν επιθυμησωσιν, αλλ' εκεινης απολαυουσι της τροφης, ἡν ὁ παιδοτριβης προσφερει. Ex vtroque plenus loci sensus prodit. Neque adeo haec εγκρατεια, quae της ασκησεως athletarum partem constituit, vllo modo pugnat cum αναγκοφαγιαις et ξηροφαγιαις athletis alio tempore iniungi solitis, quae praeter rem, male hic habent interpretes; vid. *Wolfium* et *Elsnerum.* Ex tot locis ab interpp. huc congestis, transscribam vnum *Epicteti* ench. c. 26. θελεις Ολυμπια νικησαι — δει σ'ευτακτειν, αναγκοφαγειν, απεχεσθαι πεμματων, γυμναζεσθαι προς αναγκην, εν ὡρᾳ τεταγμενῃ, εν καυματι, εν ψυχει, μη ψυχρον πινειν, μη οινον, ὡς ετυχεν· ἁπλως, ὡς ιατρῳ παραδεδωκεναι σεαυτον τῳ επιστατῃ, ειτα εις τον αγωνα παρερχεσθαι. Plura dabunt, praeter scriptores de re gymnastica, *Wetst.*, *Elsn.*, *Raphel.*, *Spanhem.* ad Iuliani oratt. p. 105. sqq. et ad Callim. in Dian. p. 242. *Schefferus* aliique interpp. ad *Aelian.* v. h. 10, 2. 11, 3. Paullum vero hanc athletarum εγκρατειαν a Corinthiis ad abstinentiam a carne immolatitia transferri voluisse, nexus totius disputationis clamat. vid. infra ad v. 27. Εκεινοι μεν ουν, sc. αγωνιζομενοι, εγκρατευονται και τρεχουσι. Ἱνα φθαρτ. στεφ. λαβ. vt *coronam*, (ex oleastro, lauro, palma), vincentibus porrigi solitam, eamque *mox flaccescentem*, i. e. *praemium fluxum et caducum nanciscantur.* Ἡμεις δε (sc. εγκρατ. και τρεχ. ἱνα λαβ. στεφ.) αφθαρτον, s., vt Petrus 1 ep. 5, 4. loquitur, αμαραντινον της δοξης στεφανον, *coronam nunquam flaccescentem* i. e. *praemium in aeternum duraturum*, s. την σωτηριαν. vid. ad v. 22. 23. Egregie cum l. n. conspirat locus *Platonis* de legg. l. 8. iam ab *Henr. Stephano* in schediasm. l. 1. c. 3. huc adlatus: οἱ μεν αρα νικης ἑνεκα παλης και δρομων και των τοιουτων ετολμησαν απεχεσθαι λεγομενου πραγματος ὑπο των πολλων ευδαιμονος· οἱ δε ἡμετεροι παιδες αδυνατησουσι καρτερειν, πολυ καλλιονος ἑνεκα νικης.

φθαρτον. Ἐγὼ τοίνυν οὕτω τρέχω, ὡς οὐκ 26

26. Ουτω τρεχω, vid. ad v. 24. Ὡς ουκ αδηλως sc. τρεχων. Voc. αδηλως vero sunt qui eo referant, quod cursores exercitii gratia breues *sine scopo et fine* cursus instituerint; at non de certamine simulato, sed vero, in proxime praecedentibus sermo est. Alii αδηλως τρεχειν sibi velle existimant: *ita currere, vt cursor non in obscuro sit, sed potius inter reliquos emineat.* Alii αδηλως ad eos respicere contendunt, qui, vbi victoria excidissent, *in caetera currentium turba obscuri manserint,* quando vicissim victor non solum nomine appellatus, sed et praemio ornatus spectantium oculis innotesceret. Alii denique, vt *Grotius* et *Heinsius* αδηλως de *progressu* intelligunt, qui non appareat. Quas quidem interpretandi rationes tam ex re gymnastica, quam ex ipsius voc. αδηλως natura aliquam commendationem habere, nemo inficiabitur. Nos vero nexus cum proxime praecedd. et seqq., praecipue vero cum verbis ὡς ουκ αερα δερων ratione habita, ουκ αδηλ. vel sumserimus pro: τρεχω, ὡς ουκ αδηλου μοι οντος βραβειου v. 24. (s. στεφανου v. 25. σκοπου Phil. 3, 14. τερματος, ακρας γραμμης), *semper spectans ad metam,* (*nicht ins Blinde hinein, immer das Ziel im Auge behaltend*), ad quam quidem interpretationem et *Chrysostomus* prope accedit, αδηλως per ἁπλως και ὡς ετυχε reddens, vt i. sit q. εικη και ματην, (vid. ad verba αερα δερων); vel cum *Luthero* verterim *in incertum* sc. *euentum,* i. e. *dubio exitu,* s. *ancipiti fortuna.* Similiter Paullus eodem nexu Gal. 2, 2. εις κενον τρεχειν adhibet, et voc. αδηλον significatu eius, *de cuius euentu nondum constat*, legitur 3 Macc. 7, 34. Ita etiam cum Vulgato *Beza*, cuius interpretationem adstruit *Elsnerus*, luculentum afferens *Luciani* locum de gymnas. p. 393. vbi Anacharsis, cum vnum modo in certaminibus victorem coronari audiuisset: ειτ' ω Σολων, επι τῳ αδηλῳ και αμφιβολῳ της νικης τοσουτοι πονουσιν; *Idem* Hermotim. p. 535. ου γαρ δη σε γε εικος επι τῳ αδηλῳ, ει βιωσῃ μεχρι προς την αρετην τοσουτους πονους ανεχεσθαι. Sensus igitur, seruata metaphora, est: *licet spes victoriae, quam ex stadiodromis nonnisi vnus reportare potest, dubia esse soleat; ego quidem curro hac spe certa!* Iam, quod modo dixerat Ap., repetit verbis: οὕτω — δερων. Ex his πυκ-

ἀδήλως· οὕτω πυκτεύω, ὡς οὐκ ἀέρα δέ-

τευειν a πυκτης pugil, idque a πυξ *pugnus*, est *pugilatum exercere*, vel, obseruante *Valckenar.*, cum Interprete Lat. doctius *pugnare*, quippe quod ex origine et vi propria i. sit q. πυκτευειν, significans *pugnare*, s. *manibus certare*; nam haec erant arma ante arma inuenta, hisque inuentis *quibuscunque armis vti* tamen dicebatur *pugnare*. Nunquam vero πυγμη s. *pugilatus*, certaminum antiquissimum, in tanto ap. Graecos honore fuit, quanto certamina reliqua. Mitissimis natura ingeniis displicuit spectaculi crudelitas. Solebant enim pugnis, munitis caestibus, certantes faciem sibi inuicem lacerare et foedissimum in modum deformare, ita vt saepe post pugnam ab amicis et consanguineis internosci vix possent. Quare et poëtae hoc certaminis genus epigrammatis irriserunt, in quibus *Lucil.* anthol. gr. l. 2. c. 1. Ad verba vero ὡς ουκ αερα δερων, explicanda interpp., adnotante *Kypkio*, triplicem modum, quo pugiles *aerem verberare* dicebantur, in subsidium vocarunt. *Primum*, quando exercitii gratia sine aduersario cum vmbra brachiis et cruribus pugnabant, quod σκιαμαχειν vocabatur. Ex segete testimoniorum, ab interpp. allatorum, suffecerit vnus *Plutarchi* plac. philos. l. 4. c. 12., vbi homines, qui phantastice sibi res imaginantur, comparat cum σκιαμαχουντι και κενας επιφεροντι τας χειρας. Quae tamen notio parum iuuat loci nostri explicationem, in quo minime de προγυμνασμασι sermo est. *Porro* solebant pugiles, cum aduersarium primis ictibus vincere possent, artis ostentandae gratia, *in inane brachia iactare* et aduersario parcere, vt illum sine vulneribus, sine ὑπωπιοις, ipsius certaminis longitudine, et aestus molestiis fatigarent, victasque manus praebere cogerent; de qua re vid. *Fabri* agonisticon l. 1. c. 14. Propiora haec sunt verbis Paulli, indeque eliciunt sensum hunc: *non rem esse apostolo cum aduersario, qui parcendo vinci possit, sed cui potius omni vi infligendi sint ictus.* Denique vero *aërem verberabant* pugiles, dum in ipso certamine cum aduersario agiliori et exercitatiori confligebant, qui ictus eorum apta corporis contractione, incuruatione, declinatione euitabat; (de qua re insignis est locus *Philonis* de Cherub. p. 121. ed. Francof. 1691.) ita vt αερα δερειν

ρων· ἀλλ' ὑπωπιάζω μου τὸ σῶμα καὶ δου- 27

VARIAE LECTIONES.

27. ὑποπιαζω pro ὑπωπιαζω B. ap. Wetst. F G. 73. 89. a pr. m. Lect. 6. al. 21. Matth. b. al. 9. Ed. Eus. Ephr. Naz. Damasc. Chrys. in comment. et in Matth. 7. semel. (in Matth. 2. ter ὑπωπιαζω.) Anonymus ap. Oec. ὑποπιεζω. D a pr. m. E. Matth. a. in marg. Clem. Naz. Chrys. ms. et in Matth. 7. bis. Theodoret. alicubi. (contradicente Theophylacto). *liuidum facio*, clar. germ. Iren. Paulin. *castigo*, Vulg. Ambrst. Aug. Ambr. Alii. Vtrumuis boern. *subiicio*, Hilar. Hier. *macero*, Rufin. *affligo*, Auctor de singul. cleric.

mere i. sit q. αερα τυπτειν ap. *Hom.* Il. v. 463.; κενην πληγην καταφερειν ap. *Lucian.* Hermotim. p. 529., ed. Amstelod.; *in ventum iactare brachia*, ap. *Senec.* qu. nat. 7, 13.; *verberare ictibus auras*, ap. *Virg.* Aen. 5. 378. coll. 443. Cf. *Wetst.* Haec notio loco n. est aptissima. Vti Paullus modo dixit se non *currere dubio et incerto exitu*, sic etiam *se pugilatu certare*, ait, *conatibus non temerariis aut incertis*. Neque tamen cum *Kypkio* aliisque in his verbis, ex comm. 27. male huc aduocato et intellecto, de certamine Paulli cum semet ipso, ad sugillandum et subigendum τον παλαιον ανθρωπον, quam potius de *summa cura*, *summaque virium intentione omnino* cogitauerim, *in fine suo*, της σωτηριας *nimirum promouendae*, *rite persequendo et obtinendo conspicua*.

27. Redit Ap. ad προγυμνασματα describenda, quibus ad victoriam ex certaminibus reportandam ipsi opus sit, quae quidem, vti v. 25., vbi de cursu potissimum sermo erat, per vocab. lenius sonans εγκρατευεσθαι, ita hic, vbi pugilatum modo commemoratum in animo habet, verbis durioribus, a pugilibus se inuicem ὑπωπιαζουσι et δουλαγωγ. desumtis, et ad semet ipsum, corpus suum tanquam aduersarium, omnis generis miseriis προγυμναζοντα translatis, descripsit. Αλλ' ὑπωπ. pro ὑπωπιαζω γαρ, *neque mirandum*, *me victoriae spem certam habere*, *nam* ὑπωπιαζ. etc. Ὑπωπιαζειν vero, ab ὑπο et ωψ vel ωπιον, pugilibus proprium est, *pugnis aut caestibus antagonistae faciem*, *et partes quae sunt sub oculis ita contundentibus*, *vt vibices et maculae luridae existant*,

λαγωγῶ, μήπως ἄλλοις κηρύξας, αὐτὸς ἀδόκιμος γένωμαι.

quo sensu etiam Latini voce *obtundere* vtuntur. Cf. *Suic.* thes. T. 2. p. 1400. Hinc ὑπωπ. metaph. omnino est *male et duriter tractare.* Cf. *L. Bos* exercitt. phil. ad h. l. Δουλαγωγειν, *in seruitutem redigere*, est verbum ἁπ. λεγ. a pyctis itidem desumtum, qui victum trahebant aduersarium quasi seruum. Σωματικην γυμνάσιαν vocat Paullus 1 Tim. 4. 8., σκληραγωγιαν *Iosephus* in historia Danielis, ασκησιν Canon apostol. LI. Vtrumque vero, ὑπωπ. et δουλαγ. non minus quam εγκρατ. v. 25. h. n., facta ad Ap. accommodatione, proxime spectant ad operae manuariae molestias, quibus, spreta operae apostolicae mercede, victum mediocrem, a vitae mollioris deliciis alienum, sibi comparare haud grauabatur v. 2-18., et ad seruilem conditionem, quam sibi imponebat ipse v. 19-23., quo magis τοις πασι γενηται τα παντα. Tacita simul comparatione perstringit illos epulatores Corinthios. *Suid.* s. v. ὑπωπ. sic habet: ὁ Αποστολος· αλλ' ὑπωπιαζω μου το σωμα και δουλαγωγω, τουτεστι· προς ασκησιν αυτο μετ' επιστημης και φρονησεως γυμναζω και προς την κρειττονων συνεργειαν, ου προς ασελγειαν ὑπονοουμαι.

Oecumen. ad h. l. ουκ αφιημι, φησι, τη γαστρι και τῳ σωματι τας ἡνιας, αλλα περσφιγγω αυτο, και ὑποτασσω· τουτο γαρ λεγει το ὑποπιαζω και δουλαγωγω, τουτεστι δαμαζω, και ὡς δουλον αγω. Μηπως αλλοις κηρυξας sc. πως δει τρεχειν, αγωνιζεσθαι και πυκτευειν. Desumta est vox κηρυσσειν a certaminibus Graecorum, in quibus, auctore *Fabro* in agonist., κηρυξ s. praeco, quod certaminum genus ineundum erat, pronunciare, certaturos euocare, victoriae praemia promulgare, et, quod praecipue huc pertinet, athletis certaminis leges propoponere, ipsosque concitare et admonere solebat. Suspicatus est Vir ille doctus l. c. p. 282., Paullum non αλλοις sed αλλους scripsisse in sensum hunc: *ne, dum alios victores renuncio, ipse corona velut indignus reiiciar;* pluribus monstrans l. 2. Semestr. c. 23. et l. 3. (qui separatim prodiit). c. 24., certaminum moderatores, quando victores renunciauerint, τουτους κηρυξαι s. ανακηρυξαι dictos esse. Est sanequam docta atque speciosa haec coniectura, nonnisi vnius lineolae mutationem exposcens, neque adeo digna, quam velut audacem *Wolfius* traduceret. Re tamen

Οὐ θέλω γὰρ ὑμᾶς ἀγνοεῖν, ἀδελφοὶ, ὅτι Cap. X, 1

penitius introspecta non possumus, quin cum *Valckenario* fateamur, illud elegantis coniecturae lenocinium vel eo dilabi, quod ἄλλους Paullus scribere non potuisset, nisi semet ipse considerasset tanquam certaminis spiritualis moderatorem, quem tamen honorem ipsi Deo Christoque illibatum reliquit. 2 Tim. 4, 8. Ἀδόκιμος γένωμαι, pro αὐτος ἀδοκ. εὑρεθω, quae dicendi ratio itidem inde petita est, quod nonnisi athletae δόκιμοι, i. e. qui post spectatam ipsorum virtutem et artis athleticae peritiam gymnasiarchis *probati*, s. digni visi erant, qui ad decertandum pro corona admitterentur; de qua re copiosius egimus ad Iac. 1, 12. Sensus igitur, seruata metaphora est: *ne tantum absit, vt ego, qui alios docere sustineo, quomodo certare debeant, corona orner, vt ne dignus quidem videar, qui ad certamen omnino admittar*; i. e. missa metaphora: *ne salute, quam aliis parare studeo, ipse indignus videar*. Interpretes vero, in voc. κηρύσσειν de praecone potissimum athletas ad iudicum tribunal arcessente victorumque nomina proclamante cogitantes, δόκιμος pro του βραβείου ἄξιος s. συγκοινωνος sumi volunt; sed vsui loquendi gymnastico, si quid iudico, parum conuenienter. His iam ita explicatis, sensum vv. 24-27. reuocamus huc: *Vti cursores et pugiles temperantiae studere, summaque virium contentione certare solent, vt vnus vel alter victor discedat corona, mox flaccescente, condecorandus; ita et ego omnibus, quae ad vitae voluptatem et commoditatem spectant abstinens, recusata mercede apostolo debita, (ne religionis doctrinam venalem habere viderer), tenuem victum misere mihimet ipse paraui, quo plures vna mecum ad altioris indaginis prudentiam et sanctitatem chr. indeque oriundam felicitatem attollerem; ita vero et vos animi adfectus compescite, cupiditatibus imperate*, τας κοσμικας επιθυμιας αρνεισθε, *totumque virtutum chr. studium percurrite, vt ad vnum omnes illud dignitatis et felicitatis* βραβειον *assequamini*. Latere vero in tota hac disputatione simul cohortationem, vt ante omnia ab epulis sacris ethnicorum sibi temperare velint, ex nexu satis manifestum est.

Cap. X. 1—14. Sic iam argumento primo, in summa licet γνωσει, tamen sacris paganorum epulis abstinendum esse, ne infirmiores of-

οἱ πατέρες ἡμῶν πάντες ὑπὸ τὴν νεφέλην

fendantur, pertractato, Ap. pergit ad argumentum *secundum*, inde petitum, *quod vel firmiores, et liberaliori, iudicandi facultate praediti, frequentandis hisce epulis nihilosecius ad idololatriam abripi possint;* id quod ex Israelitarum exemplo satis constet, quippe qui, licet in Mosen baptizati et in itinere per desertum cibo et potu diuino vsi, hisque beneficiis ad veri Dei cultum adstricti fuerint, tamen ad idololatriam cognataque vitia relapsi esse ferantur, ad quae et Corinthii, stare se putantes, relabi possint, nisi, exemplo isto commoniti, vitandis illis ad idololatriam illecebris, prouiderint, ne cadant. Quod autem Paullus Israelitas *baptismo* potissimum, et *diuino cibo et potu* veri Dei cultui obstrictos fuisse commemoret, eius rei causa, si quid iudico, inde petenda esse videtur, quod ei, vel ex epistola ab ecclesia Cor. ad se data, vel aliunde, forsitan innotuerit, sciolos inter Corinthios suae idolothytis vescendi licentiae praetexere excusationem hanc: ab hominibus, qui *baptsmo* suscipiendo, et *sacra coena* celebranda, religioni chr. fidem suam obstrinxerint, minime extimescendum esse, ne profanis hisce epulis ad idololatriam seducantur. Hinc, ni fallor, ingeniosa illa, et ad aeui istius genium accommodata vtriusque beneficii ad Israelitas translatio, qua exempli ab ipsis petiti ad refutandos Corinthios vis et congruentia mirum quantum augetur. Iam vero, cum sic omnia cum cap. IX. arctissimo vinculo cohaereant, equidem non video, cur *Krausius* cum nonnullis interpp. hic cohortationis prorsus nouae, ne scil. ad idololatriam semel relictam denuo prolabantur, initium statuat. Ου—αγνοειν, (alias: θελω ὑμας ειδεναι), pro ουκ αγνοητεον, *opus est vt vos admoneam*, qua formula saepius vtitur Ap. Rom. 1, 13. 11, 25. 2 Cor. 1, 8. 1 Thess. 4, 13., tam ad res cognitas lectoribus in memoriam reuocandas, quam ad res incognitas et inauditas primum promulgandas. Hoc nexu res cognitae v. 1., cum incognitis v. 2., mixtae deprehenduntur; quare vim verbi αγνοειν cum S. V. *Rosenmullero*, *Strothio* (in Repertor. Eichhorniano T. 14. p. 211.), aliisque, non vnice ad Corinthios rerum ex V. T. ipsis satis tritarum *solummodo immemores* restrinxerim. Πατερες hic sunt *maiores*, Graecis scriptt., praesertim recentioribus, οἱ φυσαντες, s. *parentes* (*pater*

ἦσαν, καὶ πάντες διὰ τῆς θαλάσσης διῆλθον,

et mater), dicuntur πατερες, vt *Antonino Lib.* c. 39. πατερες αυτῳ ησαν Φοινικες. Νεφελην h. l. de *nube illa miraculosa, eademque modo flammea, modo nebulosa* (עמוד הענן ועמוד האש Exod. 13, 21. 22.) intelligunt, *quae, teste Mose, Israëlitarum, ex Aegypto exeuntium, agmina praeire solebat*, quae tamen, vbi tenueris, quae narrationi Mos. vere facta subsunt, rectius pro *igne castrensi* habetur, peregrinatorum agmini, viae ipsis per deserta monstrandae causa hodieque praeferri solito. Quem quidem *ignem, fumi nubem emittentem*, cum Israëlitae, et ipsi se *Deo duce* iter facere persuasissimi, *ducem* sequerentur; factum est, vt nebulam illam igneam, columnae instar assurgentem, pro *Dei ducis inuolucro*, nisi *simulacro*, haberent, id quod vix mirabitur, qui meminerit, Deos pro veterum, et ipsorum Hebraeorum, opinione, nubium, fulmina emittentium, velamine obvolutos e coelis in terras descendere solere, omninoque ignem ab omni antiquitate, quae fulmina ignea e coelo, Deorum domicilio, emitti, solisque ignei candori, quouis igne illustriori, quem Deus ipse quasi lumen accendisse videbatur, summa imo diuina beneficia deberi animaduerteret, ad res sacras relatum esse. Hinc vti Osiris cultus ap. Aegyptios, ignisque *sacri* et *aeterni* pia veneratio ap. Persas (*Herod.* 1, 131. sq.), et ipsos eum, quasi Deum tutelarem, in argenteis altaribus lucentem, agmini praeferre solitos, (*Curt.* 3, 3. vbi *Cunze* p. 175.); sic etiam illae Iehouae, tam flammarum Exod. 3, 2., quam nubium fulgura spargentium velamine Exod. 19, 18. obuoluti, quae habebantur, apparitiones, illaque ignis perpetui, in ara holocaustorum sacerdotum ministerio alendi, institutio. (Cf. *Fabri* archaeol. hebr. p. 244. et 265. et *Foerster* in repert. Eichhornian. T. X. p. 132. sqq.). Iam vero verba ὑπο τ. νεφ. ησαν, siue de miraculosa, siue de naturali nube cogitauerint, sumunt sensu hoc: *nube duce iter fecerunt maiores nostri*, Hemsterhusio ad *Lucian.* T. I. p. 355. idoneis exemplis probante, ὑπο τινι ειναι dici eos, *qui sub ductu alicuius sint*. At vero, quomodo Ap. hanc *nubis* i. e. *fumi columnam*, quae Israelitas *comitabatur*, v. 2. pro *baptismi* symbolo declarare potuerit, equidem non assequor; nisi forte solam *nubi* qualicunque vicinam *plu-*

2 καὶ πάντες εἰς τὸν Μωϋσῆν ἐβαπτίσαντο ἐν τῇ

VARIAE LECTIONES.

2. εβαπτισθησαν pro εβαπτισαντο leg. A C D E F G. 17. 39. 46. 73. 80. al. 6. Matth. ω. 19. Bas. Cyr. Chrys. alicubi. Theodoret. alicubi. Dial. c. Marcion. Damasc. Theoph. Alii. Lectio fortassis inde oriunda; quod aor. 1. med. hic alieniori sensu adhibitus esse videretur. cf. comment.

uiae notionem Paullo ad baptismum huc aduocandum suffecisse dicis, quod tamen durius atque remotius est, quam quod ferri possit. Quare potius nubem illam tempestuosam h. l. intellexerim, ex qua Deus, inter Israelitarum per mare transitum, fulmina, tonitrua et pluuiam, ad prospe-randum illud ipsum iter marinum, arcendumque ab Israelitis insequens Aegyptiorum agmen, emisisse commemoratur Exod. 14, 19. sq. coll. Ps. 77, 18. 19., quam tamen cum columna illa ignea Exod. 13, 21. 22., ab Israelitis pro vna eademque, alias agmen suum praeeunte, tum vero, arcendorum Aegyptiorum causa, insequente, habitam esse, nullo modo inficiamur. Sic etiam in verbis δια της θαλ. διηλθον, (in quibus, detracta rudi mythi cortice, de Israelitis vadum tempore maris reciproci permeantibus cogitandum est), adumbrandi baptismi causa, *aquae* notio, siue Paullus aquam ad latus Israelitarum muri instar adstantem, siue in fundo viae marinae adhuc residuam, siue ex illa ipsa nube deciduam, siue quamcunque aliam in mente habuerit, ante omnia tenenda est; quanquam non repugnauerim, si Paullum in illo ipso, quod *per mare* transierint Israelitae, quocunque tandem modo hoc factum sit, baptismi symbolum inuenisse malueris.

2. Quare, cum non minus in νεφελ. quam θαλασσ., ex qualicunque interpretatione a nobis prolata, baptismi adumbratio haud obscure lateat, non esse putauerim, quod cum *S. F. Schulzio* ambages huiusce commatis corripiamus sic: ὅτι οἱ πατερες ἡμων παντες εις τον Μωϋσην εβαπτισαντο τῃ νεφελῃ, ὑφ' ᾗ ησαν, οντες εν τῃ θαλασσῃ, δι' ἧς διηλθον. Equidem pressius verborum consequutioni inhaerens resoluerim sic: και ὅτι οὑτω παντες εις Μωϋσ. εβαπτισαντο δια του ειναι ὑπο τ. νεφ. και δια του διελθειν δια τ. θαλ. Εβαπτισαντο non tam *bapti-*

νεφέλῃ καὶ ἐν τῇ θαλάσσῃ, καὶ πάντες τὸ 3
αὐτὸ βρῶμα πνευματικὸν ἔφαγον, καὶ πάν- 4

zati sunt, quam *praebuere sese baptizandos*. Talia enim verba media *passionem* quidem quamdam significant, sed cui quis sese sponte sua offert; quo sensu v. c. etiam βαπτισαι και απολουσαι Act. 22, 16. accipi volunt. Post *Kusterum* attigit hanc rem *Alberti* in obs. phil. ad Act. 18, 18. Neque tamen h. l. formae mediae ita inhaerendum est, ac si ipsi Israelitae *id egerint*, vt baptizandos *se praeberent*, qui rectius nubem subeundo, mareque vado transeundo, *pro Paullina harum rerum interpretatione mystica* se *quasi* baptizandos *praebuisse*, reapse vero nonnisi *baptizati esse* creduntur. Quare vix erat, quod εβαπτισαντο in εβαπτισθησαν transmutaretur (vid. var. lect.). Βαπτιζεσθαι vero εις Μωσ. est *baptismo initiari ad obsequium Mosi legibusque ab eo latis praestandum*. Cf. interpp. ad Matth. 19, 28.

3. Πνευματικον ex ea του πνευματος significatione, qua *vim atque potentiam div.* denotat, interpretibus hic est *omne miraculosum*, s. *modo miraculoso a Deo effectum*, quo sensu e. c. χαρισματα dicuntur πνευματικα 14, 1., et Isaacus Gal. 4, 29. κατα πνευμα, i. e. πνευματικως γεννηθεις commemoratur. Hinc omnino etiam *manna*, s. cibus ille, quo Israelitae in deserto alebantur, (isque non diuersus a manna, adhuc in oriente, inprimisque in desertis Arabiae decidua, quae est humor roscidus, ex rore in superficie terrae et plantarum residuus, instar pruinae, qui mane, antequam solis aestu colliquescit, colligitur, siccatur, et ad placentarum genus conficiendum adhibetur), dici potuit βρωμα πνευματικον, vel, vt ap. *Ios.* ant. 3, 1. βρωμα θειον και παραδοξον, quia Israelitae hunc cibum, nouitate et praestantia eius perculsi, pro pane coelitus delapso, (לחם שמים Ps. 105, 40., s. *Suida* interprete, pro τροφῃ ανωθεν χωρηγουμενῃ), i. e. pro *pane a Deo ipsis per miraculum procurato*, habebant, vnde satis bene *Theophylact.*: πνευματικα δε ταυτα λεγει, επειδαν ει και αισθητα ησαν, αλλα ου φυσεως ακολουθια εγενοντο, αλλα χαριτι πνευματικῃ.

4. Sic et πομα πνευματ. tam per se, quam ex proxime seqq. επινον — Χριστος,

τες τὸ αὐτὸ πόμα πνευματικὸν ἔπιον· (ἔπινον
γὰρ ἐκ πνευματικῆς ἀκολουθούσης πέτρας· ἡ
5 δὲ πέτρα ἦν ὁ Χριστός)· ἀλλ' οὐκ ἐν τοῖς

de *potu vi diuina ex petra percussa Israelitis dato* intelligunt. Sed cur Paullus id ipsum, quod βρωμα atque πομα illud *vi Dei miraculosa* paratum sit, voce πνευματικον ter repetenda vrgendum ac addendis verbis επινον — Χριστος vel comprobandum putauerit, id quidem non patet, cum pro istius aeui persuasione de miraculosa vtriusque doni origine nemo addubitaret. Nobis potius πνευματικον esse videtur, *quod praeter proprium, quem verba fundunt, sensum, etiam ad spiritualia et sublimiora translationem, modo allegoricam modo mysticam atque typicam, ferre, immo requirere credebatur*, in qua quidem docti inter Iudaeos ss. bibliorum interpretes vere sibi sapere videbantur, quia nonnisi huius ope in pleniorem, sublimiorem, angustosque verborum fines longe superantem effatorum *diuinorum* sensum penetrare possimus. Sic exstant κατοικητηριον Θεου εν πνευματι, s. πνευματικον Eph. 2, 22. οικος πνευματικος 1 Pet. 2, 5. θυσια πνευματικη ibid. aliaque alibi, coll. iis quae de πνευματικοις quibus τα πνευματικα nonnisi πνευματικως explicari possint, Exc. I. ad c. 2, 13. 14. disputauimus. Vti iam nunc epitheton illud πνευματικον simul *modum* innuit, *quo* βρωμα et πομα ad s. coenam transferri possint, debeantue, nimirum interpretationis spiritualis ope, sic, quae habita potissimum του ποματος ratione, addita leguntur επινον — πετρας, *rationem* continent, *cur* πομα illud πνευματικως intelligendum sit, sc. quia ἡ πετρα, vnde promanauerit, πνευματικη haberi debeat, sicut verbis ἡ δε πετ. ην. ὁ Χρ. itidem *causa* subiungitur, cur ἡ πετρα spiritualem interpretationem ferat, nempe quia sub πετρᾳ illa ὁ Χριστος intelligendus sit. Βρωμα και πομα πνευματ. igitur nobis sunt *cibus potusque spiritualis*, quatenus, ex mente Paullina, s. coenam adumbrauerint. De reliquis huius comm. verbis επινον — Χριστος vid. Exc. VI.

5. Αλλ' *nihilosecius*. Ουκ εν τοις πλειοσ., pro εν ολιγοις μονον, *Iosua* nimirum et *Calebo*. Ευδοκειν εν τινι, רצה cum ב, *delectari aliquo, probare*. Matth. 3, 17. *Hes.* ευδοκησεν· ηγαπησεν. Αλλ' — Θεος igitur sibi vult: *pleri-*

πλείοσιν αὐτῶν εὐδόκησεν ὁ Θεός· κατεστρώθη-
σαν γὰρ ἐν τῇ ἐρήμῳ. Ταῦτα δὲ τύποι ἡμῶν 6

que, Iosua et Calebc tantum exceptis, ita se gesserunt, vt, Deo haud probati, in deserto prosternerentur. Κατεστρωθ., שחו, *prostrati sunt*, (vt mortis, *supplicii* causa immissae, simul notio exprimeretur) s. *perierunt*, i. e. *per varios casus huc illuc iactati, in ipso itinere morte prius abrepti sunt, quam terram promissam attingerent.* Iam vero, cum pro veterum cogitandi ratione quoduis malum inexspectatum tanquam supplicium hominibus pro neglecto ab ipsis cultu diuino inflictum spectari soleret, et hoc infortunium inexspectatum, (Israelitae enim quis, quaeso, dubitet, quin seruitute Aegypt. per Mosen liberari, ad terrae promissae voluptatem et requiem peruenturi fuerint?) ab impietate eorum deriuatur. Cf. Num. 14. 16. 29. 30. Sensum vv. 1-5. huc reuocauerim: *nolite, o mei, idolothytis vescendi inconsideratam temeritatem, vestrae in religione chr. tuenda constantiae excusatione tegere; quasi fieri non possit, vt vos, qui* baptismo *suscepto professioni et obseruationi doctrinae chr. obstricti sitis*, cibisque diuinis *in s. coena fruamini, miseris epularum profanarum illecebris ad idololatriam adducamini. Nam et Israelitae, mare rubrum transeuntes, et pluuia ex nube, sub qua inter hunc transitum erant, irrigati, quasi et ipsi in Mosen* baptizati, *ac in itinere per desertum* cibo et potu diuino, quasi s. coenae τυπῳ, *vsi, nihilosecius ad idololatriam* (v. 7.) *cognataque vitia relapsi sunt, ita vt grauissime a Deo punirentur.* Demta iam baptismi et s. coenae adumbratione, a Paullo rei narratae illata, nonnisi de *Israelitis summis beneficiis diuinis ad obsequium Mosi praestandum obstrictis, iisdemque tamen erga eum rebellibus* cogitandum est.

6. Haec (ταυτα) quae commemorauit Ap. v. 1-5., praecipue v. 5., ad *monendos Christianos* transferri debere contendit. Τυπος, cum quae hic προς τυπον, v. 11. προς νουθεσιαν memoriae prodita esse dicantur, non *rei futurae adumbrationem*, (quasi *peccata typica*, quae vocant, hic commemorata sint), sed *exemplum* significat (1 Thess. 1, 7. 2 ep. 3, 9. Phil. 3, 17. alibi), et id quidem h. n., vt et v. 11.,

ἐγενήθησαν, εἰς τὸ μὴ εἶναι ἡμᾶς ἐπιθυμητὰς
7 κακῶν, καθὼς κἀκεῖνοι ἐπεθύμησαν· μηδὲ
εἰδωλολάτραι γίνεσθε, καθώς τινες αὐτῶν· ὡς

ad deterrendum propositum. Ταυτα τυποι ἡμων εγενηθ. pro ταυτα ὡς τυποι ἡμιν εγεν., s. προς τυπον εγεν., ita vt Paullus, pro veteri dicendi genere, effectum haud raro cum fine commutante, *haec exempli nobis exhibendi causa olim euenisse* dicat, quae nonnisi, *cum euenerint, literisque mandata sint, nobis exemplo esse voluit;* (cf. v. 11.) apte ad illud *Liuii* init. op. *Hoc illud est praecipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri; inde tibi, tuaeque reipubl quod imitere, capias; inde foedum inceptu, foedum exitu, quod vites.* Εις το μη ειναι ἡμας, ex constr. hebr. pro ἱνα μη ωμεν. Επιθυμητης, quod in N. T. praeter h. l., et in vers. Al. praeter Num. 11, 34., vbi pro התאוה surrogatur, haud amplius in s. codice occurrit, est: *qui desiderio alicuius rei flagrat.* Hinc επιθυμηται εθων και νομων ap. *Demosthenem* p. 661. ed. Reiske. et επιθ. νεωτερων εργων ap. *Herodot.* l. 7. Επιθυμ. κακων ειναι igitur per se *vehementiorem* cupiditatem exprimit, quam simplex επιθυμειν, quo Ap. in proxime seqq. vtitur, quanquam non est, quod h. l. inter se distinguantur. Καθως και εκεινοι sc. οἱ πατερες ἡμων. v. 1. Sensus est: *exemplo nobis sint, quae modo commemoraui, ne, ad modum maiorum nostrorum, prauis nos cupiditatibus abripi sinamus.*

7-10. Ap. iam vberius demonstrat, quaenam sint ista maiorum κακα, s. prauae cupiditates, ad quas et Christiani *appetendis et frequentandis sacris paganorum epulis* abripi possint. Nam minime de cupiditatibus omnino, sed de iis tantum, quibus hae potissimum epulae ansam praebebant, hic cogitandum esse, cum totius loci contextus, tum ipsa exemplorum ab Ap. allatorum natura clamat, quippe quae ab Israelitis et ipsis *ciborum modo largiorum modo suauiorum appetentibus*, sicque potissimum ad peccandum abreptis, desumta deprehendantur. Quod quidem cum Viri docti haud animaduertisse videantur, factum est, vt alii alia vitia, a loci contextu aliena, hic tangi existimarent. Verbis μηδε ειδωλ. γιν. igitur Ap. monere putandus est: *ne*

γέγραπται· ἐκάθισεν ὁ λαὸς φαγεῖν καὶ πιεῖν,

concelebrandis epulis istis sacrificialibus ad cultum simulacrorum delabantur, vt τινες αυτων sc. των πατερων, nam *non omnes* Israelitas ex veri Dei cultu in idololatriam recidisse, colligere videtur Ap. ex Exod. 32, 25. sqq. Maximam vero populi partem hanc culpam in se admisisse, commemorandis verbis comm. 6. demonstrat, sic habentis: εκαθισεν ο λαος *accubuit populus*, i. e. *maior eius pars*, φαγειν κ. πιειν, (pro ὡστε φ. κ. π. s. του φ. κ. π. ἑνεκα), *ad celebrandas epulas ex sacrificiorum vitulo aureo oblatorum reliquiis constructas*, και ανεστησαν παιζειν (ויקמו לצחק, plane vt και ανεστη του συλλεγειν Ruth. 2, 15. et ες ορχησιν ανιστασθαι ap. *Herodot.* l. 1.) *et surrexerunt*, remotis sc. mensis, *choreas agendi causa*, nam in re sacra peruulgatae erant tam ap. Graecos quam Romanos post sacrificia epulasque sacrificiales, circa aras *saltationes*, (περι βωμον κυκλωσασθαι, *Callim.* hymn. in Dian. vbi *Ernesti*), cuius ritus antiqui *Seruius* ad Virg. ecl. 5, 74. hanc qualemcunque rationem dedit: *Sane*, inquit, *vt in religionibus saltaretur, haec ratio, quod nullam maiores nostri partem corporis esse voluerunt, quae non sentiret religionem, nam cantus ad animam, saltatio ad mobilitatem pertinet corporis*. Sacris saltationibus rite factis nobilitati sunt in Italia *Salii*, a *saliendo* dicti, in Phrygia *Corybantes*, in Creta *Curetes*. Hac *saltandi* signif., obseruantibus *Loesnero*, *Elsnero*, rell., παιζειν occurrit ap. *Hom.* Od. ψ. 146. sqq. *Hesiod.* Sc. Herc. v. 276. vbi *Graeuius* p. 94. *Herodot.* l. 9. c. 11. *Aristoph.* Ran. 443., *ludere* ap. *Virg.* ecl. 6, 27. *Hor.* 3. Od. 11. 9. coll. 15, 11. *Tibull.* 1. 3. 63., ac hebr. צחק et שחק Iud. 16, 25., quod et Exod. l. c. ita sumendum esse, tum v. 19., vbi Moses in castra redux מחלת *tripudiationes* et *choreas* vidisse dicitur, tum *Philonis* auctoritas extra omnem dubitationem ponit, qui de vit. Mos. 3. p. 677. ed. *Mang.* (coll. p. 694.) in re prorsus eadem enarranda, quod παιζειν hic dicitur, per χορους αχορευτους ἱστασθαι expressit. Neque tamen a voc. παιζειν, quoties h. n. saltandi significatione legitur, *canendi* ritus et *organorum musicorum* vsus seiungendus est; nam vti vocum moderamentum ad numerum quendam in saltando seruandum iam per se necessario requiritur; ita saltantes etiam cantilenas cantasse, fidibusque cecinisse feruntur. Exod. 15, 20. 21. Iud. 11, 34. Quid? quod

8 καὶ ἀνέστησαν παίζειν. Μηδὲ πορνεύωμεν,

vel צחק 1 Sam. 18, 6. 7. 2 Sam. 6, 5. 21. hunc cantilenarum et organorum musicorum vsum continet. Hinc et Graeci παίζειν, vt vocem latiorem, τῷ ὀρχήσασθαι s. χορεύειν addere solent. Sic *Plutarchus* de virt. mul. virginibus ex Chio narrat moris fuisse, vt in sacris publicis παίζουσαι καὶ χορεύουσαι conspicerentur. Similiter 1 Par. 15, 29. Dauides מרקד ומשחק commemoratur. Israelitas vero παίζοντας et l. n. cantilenis et organis vsos esse, satis apparet ex Exod. 32, 8. 17. 32. praecipue ex ענות v. 18. Nonnulli vero, inter antiquos quidem *Tertullianus* de ieiun., consentiente *Burmanno* ad Petron. p. 44., tam ex commate proxime sequente, quam ex Gen. 26, 8. (vbi *Drusius*), vocem παίζειν de *re venerea* hic intelligi malunt; sed prorsus repugnante loci Exod. 32. contextu, in quo vv. 18 sqq. manifesto de saltatione circa aram vituli aurei tradunt, (vid. supra); quanquam saltationem hanc satis forsitan impudicam fuisse, negare non ausim. vid. ad v. 8.

8. Μηδὲ πορνεύωμεν, (κατὰ κοινωσιν expressa, ad mitigandam exhortationis acerbitatem), *abstineamus et propterea ab epulis istis, ne exemplo Corinthiorum profanorum*, (qui non minus ac reliqui ethnici, in fanis epulantes et bene poti, tantum non in gratiam et honorem Deorum, Veneri indulgere soliti essent), *ad foedam libidinem abripiamur*; καθώς etc. *vt maiorum nonnulli*, qui auctore Mose Num. 25, 1. 2. *cum Moabitarum filiabus*, a quibus ad dies festos in honorem Baali celebrandos inuitabantur, post epulas sacrific., *et ipsi rem habebant*. Interpretes vero longe plurimi πορνεύειν ad *idololatriae* signif. referri volunt, ita vt μηδὲ πορν. mere i. sit q. μηδὲ εἰδωλ. γιν. v. 7. At vero cum hic loquendi vsus, ex hebr. זנה satis certus ille quidem per se, et intellectu facillimus, in N. T. tamen apud Auctorem Apocal. (2, 14. 20. 17, 2. 18, 3. 9.) potissimum obtineat, Paullusque versu proxime praecedente Corinthios de vitanda idololatria iam commonuerit, hi ipsi Corinthii vero, vt libidini maxime dediti (cf. capp. 5. 6. 7.), cohortatione et de hoc fornicationis vitio fugiendo indigerent, et Iudaeorum denique maiores Exod. l. c., quem Ap. hic ante oculos habuit, ad idem illud vitium a Moabitarum filiabus seducti ferantur; mihi quidem propria verbi πορν. significatio metaphoricae h. l. longe

καθώς τινες αὐτῶν ἐπόρνευσαν, καὶ ἔπεσον ἐν

praeferenda videtur. Ad augendam vero cohortationis vim, vagaeque libidinis turpitudinem, Ap. verbis Exod. 32, 9. ἔπεσον — χιλιάδ. poenam scortantibus tum temporis a Deo inflictam subiungere non omittit. Πίπτειν est *perire*, *mori*, et praecipue de *violenta* et *repentina morte* dicitur, (qua, qui, nulli morbo obnoxii, celsi et erecti modo vagabantur, subito quasi in terram prosternuntur, ἐπὶ τὴν γῆν πίπτουσι Matth. 10, 29. נפלו ארצה 1 Sam. 14, 45.) Luc. 21, 24. Hebr. 3, 17. Sic πίπτειν saepius vsurpatur, ap. *Herodian*. 1. c. 11. §. 5. vbi Irmisch. p. 432. et ap. *Euripid*. Phoen. v. 1166. 1443. 1449. (vid. *Vorstii* philol. s.) cui respondet נפל Num. 14, 32. 1 Paral. 21, 14. Ez. 6, 11. coll. 12. et *cadere* ap. *Corn. Nep*. Pausan. c. 1. Datam. c. 1. et 6. *Hes*. πίπτωσι· φονεύωνται. Hinc ἔπεσον sc. νεκροὶ, (vt plene exstat ap. *Dionys. Hal*. ant. R. l. 9.), h. l. sibi vult: *fatali morte subito perierunt*, plaga nimirum diuinitus ipsis immissa; in qua tamen nobis nonnisi de lethali, eademque quam maxime naturali vagae libidinis *sequela* cogitandum esse, vix est quod moneamus. vid. ad v. 9. Εἰκοσιτρεῖς χιλιάδ. In textu hebr. Num. 25, 9. vero sunt viginti *quatuor* millia, qui numerus in codd. et verss. fere omnibus, (vid. var. lect.) et ap. *Philonem* de vit. Mos. l. 1. p. 649. A. ac *Ios*. ant. 4, 6. 12. legitur. In qua quidem lectionis nostrae firmitate ne suspicioni quidem locus est, eam ex compendio scribendi εἰκοσιτρες, quod tam per εἰκοσιτρεῖς, quam εἰκοσιτέσσαρες expleri poterat, exortam esse. Quare *Surenhusius* et *Drusius*, qui, spreta tot codicum auctoritate, h. l. εἰκοσιτέσσαρες legi volunt, ne audiendi quidem videntur. Alii igitur aliam, ad conciliandam hanc discrepantiam, viam ingressi sunt. Interpretes longe plurimi, *Grotius*, *Ernestius*, *Krebsius*, *Loesnerus*, *Michaelis*, rel., praeeunte *Bernardo* (ad *Ios*. l. c.) Paullum, ad poenae rigorem eo penitius exhauriendum, ista tantum viginti tria millia occisorum commemorasse existimant, qui, haud interuenientibus aliis, sola *vi diuina* perierint Num. 26, 14., omissis reliquis 1000 Israelitis, Phinees et sodalium manu interemtis Num. 25, 4. 5. At vero, (vt taceam, poenae rigorem, imminuto interfectorum numero, non minus imminui, quam commemorandis tantum iis, quos plaga diuina abstulit, augeri putatur; praesertim cum ii,

9 μιᾷ ἡμέρᾳ εἰκοσιτρεῖς χιλιάδες. Μηδὲ ἐκπει-

VARIAE LECTIONES.

8. Pro εικοσιτρεις leg. εικοσιτεσσαρες 37. 73. Syr. p. (sed habet rec. in m.) Arm. tol. Codd. lat. εικοσιδυο. Aeth.

quos *iussu diuino* Moses *gladio necari* iussit, mortem diuinitus immissam, et aeque atrocem, nisi atrociorem, quam ii, qui plaga ista perierunt, obiisse, et tum temporis facile crederentur), locus ille Num. 26, 14. nihil amplius, quam de Simeonia tribu haud plures quam 22200 superfuisse, commemorat, quorum tamen, cum in recensu huius tribus antea acto 59300 deprehenderentur, deductis deducendis illis 23000, non 22200, sed 36300 superstites adhuc esse debuissent. Loco altero vero Num. 25, 4. 5. hoc vnum memoriae proditum exstat: principes suspensos, iudicesque eos, quibus praeerant, Baal Peori iunctos, interficere iussos esse. Neuter itaque locus pro neutro, tam 23000 quam 24000, numero ad amussim efficiendo quicquam certi suppeditat. *Alberti* vero, non repugnante *Wolfio*, ad eandem sententiam tuendam, in verbis Paullinis: μιᾳ ἡμερᾳ emphasin ponit hanc: vt *vno die* tantum ista viginti tria millia, reliqui vero sequentibus diebus interemti esse indicentur; cui tamen adversatur cum testimonium *Philonis*, qui l. c. totidem verbis: "μιᾳ ἡμερᾳ" 24000 Israelitarum periisse narrat; tum locus Exod. 25, 9., vbi statim *post* commemoratam caedem a iudicibus factam, eorum, qui *plaga diuina* mortem obierint, viginti *quatuor* millia fuisse dicuntur, ita vt interemti per iudices ab hoc numero prorsus non eximantur. *Bengelius* probante *Semlero*, vtrumque numerum, tam 23000, quem Paullus, quam 24000, quem Moses expresserit, rotundum, praecisum intermedium esse existimat; sed tunc Paullum vel hunc ipsum numerum praecisum expressurum, vel numerum Mosaicum presse sequuturum fuisse arbitrer. Paullum vero h. l. in errore versari, quae est *Is. Abrahamidis* (in libro *Chissuk Emuna* P. 2. c. 86.) opinio, in re Iudaeis ex s. codice adeo nota et apud omnes peruulgata, vix statuere fas est. Quare Ap. numerum a se prolatum, vt alia, ex *traditionis* fonte hausisse videtur, nisi cum *Valckenario* statuere malueris, aut hic aut Num. l. c. inde erratum esse, quod numeri in vetustis codd. saepe literarum notis, (vt l. n. κγ'.

ράζωμεν τὸν ˜Χριστὸν, καθώς καί τινες αὐτῶν

˜ Κυριον

VARIAE LECTIONES.

9. Pro Χριστον exhib. Κυριον B C. 17. 31. 39. 46. 73. 80. Syr. p. in m. Copt. ms. Arm. (sed in m. edd. amst. et constant. Χριστον). Aeth. Epiph. (qui Marcionem Κυριον in Χριστον mutasse putauit). Chrys. alicubi. Theodoret. Damasc. Epist. synodi antioch. ad Samosat. (vbi tamen Wetst. Χριστον legendum esse putat.) Sedul. Cassiod. Θεον. A. (A ex emend. ap. Wetst., sed Woidius nihil hic emendatum esse tradit.) 2 ap. Mill. et Beng. Slav. 7. et ant. Beda. Χριστον Syr. Arr. Sahid. Vulg. It. Theodotus. Chrys. Theoph. Iren. Ambr. Aug. Ambrst. Pel. τῳ Χριστῳ. 23. ex emend.

23. κδ' 24.) expressi fuerint commutatu facillimis.

9. Post μηδε εκπειραζ. alii Χριστον, alii Θεον, alii Κυριον legi volunt (vid. var. lect.). Eiusmodi vero lectio, hic potissimum vocibus varians, diremtu difficillima est, quia vix aliter fieri potuit, quin hae voces, significandi potestate adeo vicinae, et ex scribendi compendio per ΧΝ, ΘΝ et ΚΝ in codd. designari solitae, saepissime inter se commutarentur. Nobis quidem lectio Κυριον cum codicum et verss. auctoritate, tum nexu cum proxime seqq., quae *Dei*, ex narratione Mos. Num. 21, 5. 6. ab Israëlitis tentati mentionem faciunt, firmior videtur duabus reliquis, inde, si quid videmus, oriundis, quod ambiguitatis, in voc. Κυριος latentis, tollendae causa, alii eam, fortassis verbis v. 4. aliquo modo adducti, ad Χριστον, alii rectius ad Θεον reuocari voluerint. Hinc μηδε — Κυριον ad *Deum* non tentandum referimus sic: *neque indulgendo intemperantiae nostrae, qua ad cibos sacrificiales, quotidianis lautiores, allectamur, diuinam exploremus clementiam et iustitiam*; (quod, pereunte *tentationis* notione mere iudaica, nil amplius sibi vult, quam: *intemperantia nostra Deum non offendamus*, s. *diuinam de frugalitate legem non migremus*); καθως — επειρασαν sc. τον Θεον, (quod, siue Χριστον siue Θεον in proxime praecedd. legeris, hic loci supplendum est), *vt maiorum nonnulli, qui*, narrante Mose Num. 21, 5. 6. coll. Exod. 17, 2. 7. *mannae cibum, cuius pertaesi erant, vituperando, Deum tentā-*

ἐπείρασαν, καὶ ὑπὸ τῶν ὄφεων ἀπώλοντο.
10 Μηδὲ γογγύζετε, καθὼς καί τινες αὐτῶν ἐγόγ-

uerunt, *num tam foret benignus potensque*, *vt alium cibum ex ipsorum palatu parare vellet*, *possetque?* i. e. *qui et ipsi* (και, vid. ad 7, 7.) *intemperantiae vitium in se admiserunt.* (Cf. de hac verbi πειραζ. explicatione Exc. I. ad ep. Iac. p. 235. sq.) Και (αλλ') ὑπ. τ. οφ. απωλοντο, (de qua locutione vid. ad v. 10.), *at vero* propter *hanc quasi rebellionem a serpentibus* (de quibus vid. *Michaelis*), *necati sunt;* id quod veteres vel inde colligebant, quod haec calamitas *post* illam rebellionem, in regione serpentibus virulentis plena, Israelitis euenit; praesertim cum quoduis infortunium, a quotidiano vitae decursu aliquantum recedens, explicatuque difficilius, a Deo, tanquam supplicium, hominibus pro peccatis perpetratis immissum, repetere soliti essent. Alii vero tentationem *Israelitarum* hic modo de impatientia eorum, omnem spem atque fiduciam in Deo ponendam abiiciente, modo de rebellione, tam in Deum, qui ipsos ex amoenissimis Aegypti regionibus in deserta duci iusserit, quam in Mosen, qui, ne Edomitarum terram tangerent, Num. 21, 4. 5., per tot eos ambages circumduceret, modo de miraculorum temere a Deo edendorum desiderio etc., intelligi; tentationem vero *Corinthiorum* modo ad vitia omnino, quibus fouendis experiri voluerint, an Christus causam Paulli adiuuare velit ac possit, modo ad donorum miraculosorum a Deo acceptorum contemtionem maiorumque exspectationem, modo ad schismata inter Corinthios exorta, et ad i. g. a. referri volunt, quae cum orationis contextu vix commode conciliari possunt. vid. ad v. 7.

10. Μηδε — εγογγυσαν, *nec denique*, *vbi vos a frequentandis lautis Corinthiorum epulis sacrificalibus dehortor*, *aegre hoc et indigne feratis*, *vt Israelitae quondam de carnium ollis Aegyptiis in deserto sibi denegatis mussitantes et ingrati conquesti sunt*, Exod. 16, 2. 17, 2. Num. 14, 2. Και (αλλα sc. δια τουτο) απολ. ὑπ. τ. ολοθρ., *quamobrem ab angelo trucidati sunt*, s. *percussi interierunt*, (Num. 14, 29. 36.) nimirum quia trucidatio illa *post* γογγυσμον istum accidit. vid. ad v. 9. Est vero locutio illa απωλοντο ὑπο τ. ολοθρ., vt

γυσαν, καὶ ἀπώλοντο ὑπὸ τοῦ ὀλοθρευτοῦ.

v. 9. ὑπο τ. οφ., quam etiam *Ioseph.* adhibet dicens: οὐτος απωλετο ὑπο του αδελφου, adcurate graeca. Solent enim Graeci verba quaedam neutra, ad significationem passiuis vicina, (vt neutrum *mori* passiuo *interfici*), haud secus atque ipsa passiua, iungere praepositionibus ὑπο, προς, εκ, seu simplici datiuo. Sic τεθνηκεν ὑπο θεου Sophocl. Philoct. v. 334. ὑφ' οὐ εξεπνευσας in Aiac. v. 1045. Κενταυροισιν ολεσθαι Apollon. Rhod. 1, 60. Quare verba nostra non reddenda sunt: a serpentibus et ab angelo *peribant*, sed *occidebantur.* Γογγυζειν, quod teste Polluce 5, 13. *columbis truculantibus* proprium est, sibi vult *mussitare clanculum et intra dentes aliquid proferre*, s. *motu labiorum tacitum edere murmur*, Atticis ψιθυριζειν et τονθορυζειν, quo etiam *Hesych.* γογγυζειν reddidit. cf. Ioh. 7, 32. et Rom. 1, 30. Iam vero quia, qui mussitant, prae indignatione hoc facere solent, γογγυζειν hinc, vt et h. l., ad *aegre aliquid ferentes*, s. *de aliqua re conquerentes* transfertur, qui tamen indignationem et querelam *licite non proferunt.* Ioh. 6, 41. Matth. 20, 11. Recte vero in γογγυζετε secunda persona in locum primae personae, quae vv. 8. 9. obtinuit, ex v. 7. resumitur, cum cohortatio huius commatis per κοινωσιν efferri vix poterat. Ceterum γογγυζοντες aliis interpretibus sunt factiones Corinthiorum obmurmurantium Paullo aliisque doctoribus, a loci tamen nostri contextu, si quid sentio, prorsus alienae. vid. ad v. 7. Ολοθρευτης, vt ολοθρευων Hebr. 11, 28. (quasi ολεθρευων, ab ολεθρος *pernicies*, pro quo Macedonice scribebatur ολοθρος), hebr. משחית, *perniciosus; κατ' εξοχ.* vero perniciosus ille *angelus mortis minister*, ὁ το κρατος εχων του θανατου Hebr. 2, 14., מלאך המות ap. Rabb., i. e. *mortem subitam iussu diuino hominibus inferens*, qui in *Tobiae* libro אשמדאי, a שמד, alias *Samael* Iudaeis dicitur. Intellige vero *morbum pestiferum*, qui tamen, cum mortem *subitam*, eamque magnae hominum *multitudini* inferret, *neque signis externis, iisque notis et ordinariis sese exsereret*, a veteribus *Deo* auctori tribuitur, quem quidem in eodem immittendo, vt in plurimis iudiciis exsequendis, *angeli* ministerio vti arbitrabantur. Plura vid. ad v. 9.

11 Ταῦτα δὲ πάντα τύποι συνέβαινον ἐκείνοις·

VARIAE LECTIONES.

11. Pro τυποι hab. τυπικως ABCF. 10. 17. 23. 31. 46. 47. 57. 71. 73. 80. Matth. d. g. Ed. Syr. p. in m. Marcion. ap. Epiph. Or. ter. Hippol. Ephr. Bas. Naz. Nyss. Macar. Chrys. (etiam in Matth. 2, 7.) Cyr. vtr. Theoph. alicubi. Alii. *In figura*, Vulg. It. Patr. lat. *in praeformationem*, Hilar.

11. Comma hoc additum est ad amplificandum v. 6. ad quem redit Ap. Ταυτα παντα, spectat ad v. 7-10. Τυπος, vid. ad v. 6. Εκει-νοις, sc. Ισραηλιταις. Νουθε-σια, vt νουθετημα, (quo Al. Iob. 5, 17. pro מוסר vtuntur), et νουθετησις, (quod tamen raro occurrit in scriptoribus graecis), ex etymologia a νους et θεσις, (quasi facultatum mentis iusta positio et coordinatio), est *quaeuis admonitio et institutio, qua alterum ad meliorem mentem reuocare studemus*. Eph. 6, 4. Tit. 3, 10. *Moeris Attic.* p. 270. ed. Pierson. νουθετησις, Αττικως. νουθεσια, Ἑλληνικως. Καταν-ταν εις τι, *peruenire ad aliquid*, metaph. dicitur, qui *consequitur* s. *nanciscitur* aliquid, quasi ad scopum exoptatum peruenit; καταντᾳν vero εις τινα dicitur res, *quae ad aliquem peruenit*, i. e. *ipsi contingit*. Act. 26, 7. Phil. 3, 11. Eph. 4, 13. *Hes.* καταντησας· λαχων, κληρωσας. Αιων, עולם, h. n. sensu latiori tam *temporis diuturnitatem*, quam *mundi vniuersum* complecti videtur. Plura dabit *Koppii* exc. I. ad ep. ad Eph. Τα τελη των αιωνων vero, vt συντελεια του αιωνος Hebr. 9, 26. καιρος εσχατος 1 Petr. 1, 5. εσχατοι χρονοι 1 Petr. 5, 20. εσχαται ἡμεραι Act. 2, 17. 2 Tim. 3, 1. Hebr. 1, 2. Iac. 5, 3. εσχατος χρονος Iud. 18. πληρωμα του χρονου Gal. 4, 4. πληρωμα των καιρων Eph. 1, 10. אחרית הימים, מלאת הימים, sunt formulae dicendi *tempori regnantis Messiae* propriae, quippe quo *mundi uniuersum* (αιων, עולם הזה), splendori regni Messiani haud satis congruum, interiturum, nouumque proditurum, et cum mundi huius interitu, et *temporis* (αιων) decursus quasi sisti, nouaque temporis ratio iniri putabatur. Cf. *Koppii* exc. I. et II. ad epp. ad Thess. *S. V. Heinrichs* exc. ad Hebr. 1, 1. et progr. nostrum pentecost. *de* καιρῳ εσχατῳ 1812. Hinc iis, qui istis propriae opinionis et peruersae exspectationis commentis inhaerentes, Christum ad regnum suum instaurandum olim rediturum esse, sibi persuasum habebant, τα τελη

ἐγράφη δὲ πρὸς νουθεσίαν ἡμῶν, εἰς οὓς τὰ

τ. αιων. erant *tempus Messiae in has terras redituri regnumque suum instauraturi*; iis vero, qui *Iesum* pro *Messia*, et *religionem* eius pro *regno Messiano* habere, *mundique ac temporis immutationem* ad *immutationem moralem*, in aeternum duraturam transferre didicerant, τα τελ. τ. αιων. *ipsa Christi, quae in his terris vixit, tempora*, significabant, quae et h. l. intelligenda videntur. Εις ους τα τελ. τ. αιων. κατηντ. igitur sunt ii, *quibus hoc ipso aeuo Christi et apostolorum* (quippe in quibus Christus quasi superstes esset), *viuere contigit*. Sensum vero vbi spectaueris, Ap. h. n. nonnisi eos, qui, facta cum Israelitis, olim in deserto degentibus, comparatione, *seriori potissimum aeuo vixerunt*, indicare voluisse videtur; quem tamen sensum, nulla saeculi Messiani ratione habita, in his verbis tenendum esse, quae S. V. *Schulzii* sententia est, in tot locorum, formulas nostras ad Messiam referentium consensu, vix persuadere mihi possum. Ii vero, qui praeeunte *Lightfooto* αιων de *saeculo iudaico* et τα τελη τ. αιων. de *tempore N. T.* quo *oeconomia Mosaica plane abrogata sit*, intelligi volunt, sensum quidem satis commodum nobis exhibent, incerta tamen, si quid scio, vocis αιων significatione nixum. Neque certiori *Semleri* sententia, cui et *Strothius* accessit, superstructa videtur, qui inde, quod Hellenistis αιων *spatium mille annorum* fuerit, Iudaei vero mundum 6000 annos duraturum esse crediderint, quorum, aetate Paullina, iam 5600 a mundo condito elapsi fuissent, τα τελ. τ. αιων. de hac 6000 *annorum periodo ad finem iam vergente*, intelligenda esse existimat. Cuius sententiae tuendae causa *Strothius* quidem ad *Auctorem quaest. et resp. ad orthod.* qu. 71. prouocat, apud quem sat multa quidem de Iudaica ista annos durationis mundi computandi ratione, at vero, quo firmaretur ista voc. αιων significatio, nihil deprehendi. Nec spes illa Paullina, tantum non ex omnibus epistolis eius effulgens, fore, vt, se adhuc superstite, ἡ παρουσια του Χριστου, cum qua τα τελ. τ. αιων. arcte coniuncta putabantur, euentura sit, cum hac interpretatione vllo modo conciliari potest. — Possis iam, vt sensum circumspiciamus, priora huius commatis verba apte ad v. 6., explere sic: ταυτα δε παντα (ὡς) τυποι (ἡμων s.

12 τέλη τῶν αἰώνων κατήντησεν. Ὥστε ὁ δοκῶν
13 ἑστάναι, βλεπέτω, μὴ πέσῃ. Πειρασμὸς ὑμᾶς
οὐκ εἴληφεν, εἰ μὴ ἀνθρώπινος· (πιστὸς δὲ ὁ
Θεὸς, ὃς οὐκ ἐάσει ὑμᾶς πειρασθῆναι ὑπὲρ

VARIAE LECTIONES.

13. καταλαβη pro ειληφεν exhib. F G. Vulg. germ. boern. Ambrst. Hier. Aug. Alii. *occupabit*, Cypr. — δυνατος pro πιστος 44. 108. Barb. 3. Slav. (exc. rec.) Procop. — Post δυνασθε add. ὑπενεγκειν G. boern. Aug. aliquoties.

ἡμιν) συνεβ. εκεινοις, *quae quidem omnia ad nos monendos maioribus euenerunt;* sed tunc, quae sequuntur, εγρ. δε προς νουθεσ., otiari videntur. Rectius ad opposita τυποι et νουθεσια, συνεβαινον et εγραφη, εκεινοις et ἡμων attendentes, reddiderimus sic: *haec omnia acciderunt, vt exemplum ab impietate deterrens vel ipsis maioribus exhiberent; literis vero mandata sunt, vt et nos adhuc, licet tot seculis post, et vel ipsis Christi, praestantissimi sapientiae div. doctoris, viuamus, alienis hisce exemplis moniti sapere disceremus.*

12. Iam cohortatio Ap. redit, vnde egressa fuit. Ἑστάναι, (praet. infin., rectius, obseruante *Valckenar.*, ἑστᾶναι, contr. ex ἑσταεναι, pro ἑστακεναι, ab ἑστηκα), et πιπτειν, metaphora a via, cum qua vita humana comparari solet, petita, est: *firmum* et *infirmum esse in aliqua re*, et h. n. *in religione chr. tuenda*, ita vt sensus sit: qui se iam satis firmum putat in religionis chr. confessione, vt nihil periculi sibi a frequentandis epulis sacrificalibus extimescendum sit, *omni tamen modo*, praecipue vitandis epulis istis, *caueat, ne ab eadem deficiat.*

13. 14. Commata haec arcte cohaerent. Nimirum ne forsitan dicant Christiani, titillantem istam ad epulas sacrificales concelebrandas inuitationem, quamuis vel maxime sollicitationem ad cultum simulacrorum contineat, *recusatu difficilem esse;* Ap. contrarium contendit v. 13. indeque Christianos eo magis ad fugienda ista conuiuia sacra obstrictos esse colligit. v. 14. Πειρασμ. — ανθρωπιν., *tentatio, quae per inuitationem ad conuiuia illa vobis accidit, superatu facillima est,* sc. cum nonnisi ad edendum et bibendum inuitemini. Πειρασμος igitur no-

ὃ δύνασθε, ἀλλὰ ποιήσει σὺν τῷ πειρασμῷ

bis, ex totius disputationis Paullinae contextu, est *tentatio* illa modo commemorata. Interpretes vero, quos inspexi, omnes, hanc vocem modo pro *sollicitationibus ad peccandum* omnino, modo pro *malis et calamitatibus* sumunt. Vtrumque ex vsu loquendi satis recte, (vid. exc. I. ad ep. Iacobi. p. 237.) non item ex oratio-nis contextu (vid. infra.). Λαμβανειν, (et καταλαμβ. vid. var. lect.) *corripere*, ad notionem *subiti vehementiorisque* πειρασμου exprimendam, quem alias *nobis accidisse* diceremus; Cf. Luc. 5, 26. 7, 16. Exod. 15, 15. *Herodian*. I. c. 4. §. 17. οικτος δε παντας ελαμβανε. vbi *Irmisch*. Alia loca *Raphelius* ex *Xenoph*. collegit. Ανθρωπινος vero dicitur πειρασμος, qui *vulgaris* s. *leuis* est, adeoque *vires humanas non superat*. Recte *Chrysostomus*: ανθρωπινος, τουτεστι, μικρος, βραχυς, συμμετρος. *Theodoret*. ευτελες, μικροπρεπες, συμμετρον τη ασθενεια ὑμων. Similiter *Phauorin*. Cf. 2 Sam. 7, 14. Ies. 8, 1. Apte ad l. n. *Aeschylus* in Persis v. 703. ανθρωπεια δ' αν τοι πηματ' εντυχοι βροτοις. vbi Ill. *Schuetzius*. Verba vero πιστος — ὑπενεγκειν, vncinis circumscribenda, Paullus ad Christianos consolandos, ne, cum *leuis* tentationis mentionem fecisset, *grauiores posthac* extimescerent, inseruisse videtur sensu hoc: *Deus vero, vt est in vos non dubiae fidei et beneuolentiae, omnino non permittet, vt in vllum peccandi periculum, cuius propulsatio vires vestras excedat, incidatis, sed omnibus tentationibus eum dabit exitum, vt iis non succumbatis*. Πιστος, אמן, *fidus*, siue in promissis seruandis, siue, vt h. n., in ope praestanda, adeoque etiam tam *potens* (vid. var. lect.), quam *beneuolus*. vid. ad 1, 9. Πειραζεσθαι, *ad peccandum sollicitari*, inprimis ad defectionem a religione chr. Alii: *calamitatibus affici* (vid. infra ad v. 14.). Ὑπερ ὁ δυνασθε, suppl. ὑπερ εκεινο, ὁ δυνασθε ὑπενεγκειν. (cf. quae proxime sequuntur, et varr. lect.) i. e. αμετρως, s. ου συμμετρως ταις δυναμεσι ὑμων, (vid. de voc. δυνασθαι supra ad 3, 2.). Πειραζεσθαι igitur ὑπερ ὁ δυναμεθα est: πειρασμους ουκ ανθρωπινους *experiri*. Αλλα — εκβασιν, resolv. αλλ', ὡς τον πειρασμον (ποιει), ουτω και την εκβασιν ποιησει· vt πειρασμον *permittit*, *sic etiam parabit* εκβασιν, alibi διεξοδον, תוצאה Ps. 68, 21., i. e. *finem*. Sic *Phauor*. εκβασιν· την πληρωσιν, την παυσιν. Sci-

καὶ τὴν ἔκβασιν, τοῦ δύνασθαι ὑπενεγκεῖν).
14 Διόπερ, ἀγαπητοί μου, φεύγετε ἀπὸ τῆς εἰ-

licet πειρασμος ille, *tentationis* significatione, cum *insidiis*, aut, si malueris, cum *laqueo* nobis tenso comparari videtur, in quem, licet eum φευγωμεν, v. 14., tamen haud raro εισφερομεθα, *inducimur* (Matth. 6, 13.), quoque, inducti, λαμβανομεθα, *corripimur*, s. *irretiti tenemur*, vnde vero εκβαινειν s. *euadere* studemus. Ποιειν την εκβ. τ. πειρ. igitur i. e. q. ρυεσθαι εκ τ. π. Matth. l. c. Υπενεγκειν, h. n. i. q. ὑπομενειν, *sustinere*, *perferre*, metaphora ab *onere* petita. 2 Tim. 3, 11. 1 Pet. 2, 19. *Diog. Laert.* 5, 69. εαν μη δυνηθω την αρρωστιαν ταυτην ὑπενεγκειν.

14. Διοπερ — ειδωλολ., arcte cohaerent cum πειρασμος — ανθρωπ. v. 13. sensu hoc: *quapropter*, sc. cum adeo lenis deprehendatur, quae vobis euenit, tentatio, *eo magis fugiendam putate* την ειδωλολ. i. e. *simulacrorum cultum*, *cui vosmet ipsi*, *concelebrandis istis conuiuiis sacris*, *tecte et nescii quasi indulgetis*. Sic sumendum esse voc. ειδωλ. vv. 15. sqq. docent (vid. ad v. 15. init.). Alii vero την ειδωλ. modo de *simulacrorum cultu* omnino, a quo Christiani abstinere iubeantur, modo, quae vulgaris est explicatio, de *quauis occasione*, *quae Christianos in idololatriae societatem*, *vel saltem suspicionem trahere possit*, intelligunt. — Ceterum interpretes, quotquot sententiarum nexum curare solent, in nectendis tribus enunciatis his: 1., πειρασμ. - ανθρωπιν. 2., πιστος - ὑπενεγκ. 3., διοπερ - ειδωλολ. magnopere discrepant, alii aliud supplendum esse rati. *Grotius*, πειρασμ. pro *calamitatibus* sumens, sic fere habet: "quia putare poterant Christiani, se iam virium suarum habuisse experimentum, quod incommoda quaedam ob euangelium pertulerant, Ap., quo magis eos cautos redderet, verbis πειρ. - ανθρ. ostendit, leuia illa esse, *at vero maiora mala posthac ipsis superuenire posse*. Quo tamen ne consternarentur, verbis πιστ. - ὑπενεγκ. addit: Deum vires malis pares datorum esse. *Cum vero, assuefacti epulis in idolio, facile, vbi grauior persequutio incubuerit, ad plenissimam idololatriam deuolui potuissent*, v. 14. cohortationem ad fugiendam idololatriam recte subiungit." Sic etiam ex recentioribus S. V. *Schulzius*, in eo ta-

δωλολατρείας. Ὡς φρονίμοις λέγω· κρίνατε 15

men a sententia Grotiana recedens, quod Paullum propterea ad vitandum simulacrorum cultum hortari arbitratur, *ne Deus acerbioribus malis ipsis immittendis eos inde reuocare cogatur.* Sed de *malis* et *calamitatibus* in praecedentibus prorsus sermo non fuit. *Semlerus*, πειρ. de *tentationibus* s. ad peccandum illecebris intelligens, sic: "per hoc quidem temporis spatium tentationes nonnisi mediocres, hominibus non inusitatas experti estis (πειρ. - ανθρ.), *et tamen vos concessistis. Sed instant grauiores, caeque satanicae, (e. c. in honorem Deorum thurificandi, iurandi, etc.)*; sed Deus non permittet diabolo in vos maiorem impetum, quam sustinere potestis, (πιστ. - ὑπενεγκ.). Quare *posthac, ne ipsi malum et periculum vos attrahatis vobis*, admoneo vos, vt omnem fugiatis occasionem, qua ad idololatriae societatem trahi possitis, (διοπ. - ειδωλ.)." Neque aliter S. V. *Rosenmullerus*, in eo tamen a *Semlero* dissentiens, quod πειρ. ανθρωπινος *satanicis* opponi non vult. *Strothius* denique: "*nolite gloriari de ea, quam nacti sitis, in religione chr. tuenda firmitate*, siquidem nonnisi leuibus tentationibus correpti estis, (πειρ. - ανθρ.); *quas tamen vbi non vltro vobis arcessitis*, Deus, ad eas superandas, benigne vobis adérit, (πιστ. - ὑπεν.). *Ne autem tentationes inconsulte et temere vos consciscatis vobismet ipsi*, monendos vos censui, vt fugiatis idololatriam, (διοπ. - ειδωλ.)." At vero omnibus hisce loci nostri explendi periculis, sat acutis illis quidem et subtilibus, iusto tamen plura, eaque haud raro ex longinquo petita inferri, nexumque cum v. 15. sqq. aliquantum turbari putauerimus.

15-24. Φευγετε απο της ειδωλολ.: vti argumentum secundum, ad Christianos a concelebrandis conuiuiis sacris paganorum auocandos propositum in haec verba abiit, sic indidem argumentum *tertium* orditur hoc: *Christianos, vel sola conuiuiorum istorum consortione, in ipsius idololatriae culpam, vel saltem suspicionem incurrere*; siquidem quoduis epulum sacrum *cultum* numinis illius inuoluat, in cuius honorem instituatur; id quod Paullus, praemissa breui captatione beneuolentiae v. 15., sibi exemplis comprobandum v. 16-18., copiosius demonstrandum v. 19-22., et a dubiis vindicandum sumsit v. 23.

16 ὑμεῖς, ὅ φημι. Τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας ὃ

Sic omnia arcte cohaerent; quodsi vero ειδωλολ. non sumseris sensu hoc emphatico, tota, quae sequitur, disputatio vix habet quo referatur. Ὡς Φρονιμ. λεγ., *res mihi est cum hominibus intelligentibus; κρινατε ὑμεις* (sc. αυτοι), ὁ Φημι, *vos ipsos igitur mihi expeto iudices eorum, quae modo dixi, et iam copiosius expositurus sum*, sc. consortium epularum sacr. paganorum continere ειδωλολατρειαν.

16. 17. Exemplum primum, ad quod Ap. huius sententiae tuendae causa prouocat, a s. coena petitum est. Ποτηριον, *calix*, pro *vino*, *quod calice continetur*. cf. v. 21. et 11, 25. sqq. Ποτηριον ευλογιας vero positum est pro ποτ. ευλογητον s. ευλογημενον, vel, Paullo ipso interprete, ποτηρ. ὁ, i. e. κατ' ὁ s. περι οὑ ευλογουμεν sc. τον Θεον, nam ex vsu loquendi hebr. ברך *res ipsae* haud raro ευλογεισθαι dicuntur, *pro quibus Deo gratias agimus*. Ευλογιαν vero et ευλογειν, quoties *homines* dicuntur benedicere *Deo*, de *gratiis ipsi agendis*, *celebrandoque summo Numine* omnino intelligenda et i. esse q. ευχαριστιαν et ευχαριστειν, δοξαν et δοξαζειν Matth. 14, 19. 26, 26. 1 Cor. 14, 16. in exc. 1. ad epp. Petr. euicisse nobis videmur. Ceterum l. n. ad morem spectat Iudaeorum, priusquam quemlibet cibum s. potum caperent, precationem recitandi, sic incipere solitam: ברוך אתה יהוה, qui quidem, cum etiam in celebranda coena paschali obtineret, factum est, vt ποτ. τ. ευλογ. כוס הברכה, voc. euaderet calici isti paschali proprium, cui exhauriendo gratiarum actio, solennitati paschali congrua, praemitti solebat. Iam vero cum Ap. calicem coenae Domini eodem nomine insignierat, quo Iudaei paschalem, quem et ipsum Christus, coenam s. instituens, adhibuisse putandus est; verbis ὁ ευλογουμεν (sc. και ἡμεις, οἱ μαθηται του Χριστου), exprimere voluisse videtur, *et a Christianis continuari illam gratiarum actionem*; quae quomodo ab aliis ad s. coenae finem iuuandum recte reuocata, ab aliis vero pro vini ad vsum sacrum peculiari consecratione perperam habita sit, patres testes sunt ap. *Suicer.* T. I. p. 1249., ex quorum testimoniis simul apparet, ex hac ποτηρ τ. ευλ. formula totam s. coenae solennitatem ευλογιαν dictam esse. Vulgo autem verba ὁ ευλογουμεν nonnisi ad explicandum το ποτηρ. τ. ευλ. addita esse

εὐλογοῦμεν, οὐχὶ κοινωνία τοῦ αἵματος τοῦ Χρι-

putantur; cui et nos libenter assentiremur, si formula adeo apud omnes peruulgata explicatione indiguisse videretur. Cf. de hoc ποτηρίῳ *Relandi* antt. hebr. p. 427. *Vorstii* philol. sacr. p. 207. sq. et *Lightfoot* hor. hebr. ad Matth. 26, 26. Τον αρτον ὁν κλωμεν, vel pro ὁ αρτος ὁν κλωμεν, (vid. nos ad 1 Pet. 1, 7.) vel suppl. κατα τ. αρτον ὁν κλ., *ad panem quod attinet, quem et nos Christiani in s. coena celebranda frangimus*, (פרס Ier. 16, 6.), nam vti nos panem comedendum dissecamus, sic veteres panem, inprimis paschalem, adeo tenuem durumque coquere solebant, vt non tam secari, quam frangi posset, (vid. *Paul. Lucas* in itinerar. tertio. T. I. p. 191.). Κοινωνια est *communio, participatio, consortium*, habita simul hoc nexu cum v. 17. *plurium* eiusdem rei participum ratione. Iam κοινωνιαν illam, quam το ποτηριον του αἱματος, et τον αρτον του σωματος του Χρ. ειναι Paullus contendit, veteres ecclesiae doctores et scriptores ad *ipsius vini cum vero sanguine, ipsius panis cum vero corpore I. C. communionem mysticam* referre, indeque s. coenam κατ' ἐξοχ. κοινωνιαν vocare, (cf. *Suiceri* obss. s. pag. 101.) satis constat; qua tamen interpretatione admissa, vt vnam tantum ex pluribus difficultatibus transeundo tangamus, haud alia etiam, vt sibi constet l. n. interpretatio, inter τους τας θυσιας εσθιοντας et ipsum το θυσιαστηριον communio adesse deberet, quam tamen qui adesse statuat, nemo est. Quare interpp. longe plurimi metonymicam interpretandi rationem ineuntes, το ποτηρ. pro *vini bibitione*, hancque pro *ipsis bibentibus*, neque aliter αρτον pro *panis esu*, huncque pro *ipsis edentibus* sumi malunt, idque, si quid indicamus, rectissime, cum Ap. v. 20. των κοινωνων των δαιμονιων in concreto, vt aiunt, mentionem faciat, praecipue vero v. 18. dicat: ουχι οἱ εσθιοντες τ. θυσιας κοινωνοι τ. θυσιαστ. εισι; pro quo commode, et aptissime ad comm. nostri vestitum, etiam dicere potuisset: ουχι ἡ θυσια (sensu *reliquae victimae partis*, quae conuiuio cedebat), κοινωνια εστι του θυσιαστηριου; Iure igitur et ipso Paullo innuente locum n. sic expediuerimus: ουχι οἱ πινοντες το ποτηρ. τ. ευλογ. κοινωνοι του αἱματος Χριστου εισι; ουχι οἱ εσθιοντες τ. αρτον κοινωνοι τ. σωματος Χρ. εισι; Iam *Strothius*, *Rosenmullerus*, multique alii, αἱμα ad *totum sacrificium Christi in cruce peractum*, σωμα vero ad *so-*

στοῦ ἐστι; τὸν ἄρτον ὃν κλῶμεν, οὐχὶ κοινω-

cietatem christianam (nos: *christliche Corporation*), referri volunt, quia σωμα statim v. 17. hac signif., et aliunde satis certa, manifesto obtineat; τους κοινωνους vero του αἱμ. κ. σωμ. Χρ. accipiendos statuunt pro iis, *qui profiteantur mortem Christi expiatoriam, adeoque se ad Christianorum religiosam societatem* (σωμ. τ. Χρ.) *pertinere declarent*; qua tamen explicatione mutuus ille verborum αἱμα και σωμα inter se, et vtriusque ad s. coenam, tam *corpus* quam *sanguinem* Christi adumbrantem, respectus, hic neutiquam negligendus, prorsus perire videtur. Quare nos quidem voc. σωμα non minus atque αἱμα ad sacrificii a Christo facti notionem reuocauerimus sic: *nonne, quotquot vino ad sanguinem Christi pro nobis effusum, paneque ad corpus Christi pro nobis oblatum spectantibus in s. coena celebranda vescuntur, consortium se habere declarant cum I. C. pro nobis mortuo?* h. n. *nonne se Christi seruatoris, ipsique obstrictissimos cultores profitentur?* (quonam sensu vero panis vinumque illuc spectent, vtrum sensu symbolico, an mystico, vel quo alio, id quidem ad euangelicas de s. coena instituta narrationes coll. c. 11, 23. sqq. eruendum est). Quodsi vero hunc sensum non sine aliqua duritie per κοινωνιαν s. κοινωνους του αἱμ. κ. σωμ. Χρ. expressum dixeris, alia patere videtur via eodem perueniendi. Quid enim impedit, quo minus hebr. dicendi formulam בשר ודם, σαρξ (s. σωμα) και αἱμα ad l. n. explicandum aduocemus, quae, τῃ σαρκι ad *corpus*, et τῳ αἱματι, pro animi domicilio haberi solito, ad *animum* relatis, *totius hominis, omnisque eius indolis* periphrasin continet, ita vt ex Paulli mente Christus, mox discessurus, αρτῳ atque οινῳ, corpus et animum ipsius adumbrantibus, discipulis in s. coena celebranda ad comedendum bibendumque porrigendis, *se totum, omnemque indolem suam moralem* in se suscipiendam ipsis destinauerit atque reliquerit; quamque discipuli imbibendi, sicque sanctissimae naturae ipsius κοινωνους euadendi tacitam sponsionem fecerint, et ipsam ab omnibus, s. coenam posthac concelebraturis faciendam. Quo quidem sensu per se spectato vix mente concipere possumus puriorem, nobiliorem, significantiorem. Exstat in eum illustrandum illud ipsius I. C. apophthegma luculentissimum, grauissimum Ioh. 6,

νία τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ ἐστιν; ὅτι εἷς 17
ἄρτος, ἓν σῶμα οἱ πολλοί ἐσμεν· οἱ γὰρ πάν-

56. ὁ τρωγων μου την σαρκα, και πινων μου το αἷμα, εν εμοι μενει, καγω εν αυτῳ: in quo tamen enuntiando Christum iam tum s. coenam in animo habuisse, merito negatur. Quae quidem omnia, si conciliari possent cum iis, quae euangelistae, ipseque Paullus c. 11, 23 sqq., de s. coena instituenda memoriae prodiderunt, locus n. sensum funderet hunc: *nonne, qui vinum panemque in s. coena capiunt, communionem cum sanguine et corpore I. C., sub vino paneque latentibus, h. e. cum omni ipsius indole morali ineunt, (ita vt vnam quasi personam cum ipso efficiant), sicque se Christi cultores intime cum ipso coniunctos eique soli addictos declarare putandi sunt?*

17. Comma hoc non tam, cum *Rosenmullero*, *Strothio*, multisque aliis, additum esse putauerimus, ne quis ob ambiguitatem voc. σωμα existimet, το σωμα τ. Χρ. v. 16., quod *societatem* chr. significet, esse *corpus* Christi, (quod omnino quodammodo intelligendum esse, demonstrasse nobis videmur); quam potius, vt arctissimae illius Christianorum non solum cum *Christo*, sed etiam *inter se* coniunctionis notio, quam non vnum illud voc. σωμα v. 16., sed praeter vocem κοινωνιας, etiam totius commatis istius contextum iam inferre vidimus, magis amplificaretur verbis: ὅτι etc. i. e. ὡς αρτος εστιν ει μη εἷς, εξ οὗ μετεχομεν, οὑτω και ἡμεις, καιπερ πολλοι, σωμα εσμεν ει μη ἐν· *vt vnus idemque omnibus communis in s. coena panis adponitur comedendus; sic et nos, licet multi simus, nonnisi vnum* σωμα, (in quod potissimum voc. Ap. ex v. 16. incidisse putandus est), s. *vnam societatem* (φρατριαν) *arctissime iunctam constituimus*; ita vt ipsa comparatio, haud aliter ac Rom. 5, 12. sqq. intra arctos solius voc. εἷς fines contineatur, (quos tamen praeter rem transgrediuntur, qui comparationis neruum reuocant ad argutias has: *sicut ex multis granis et farinae particulis factus sit vnus panis, sic etiam plura membra inter se coniuncta corpus constituere*). Ne autem panem *vnum* pluribus suffecisse dubitemus, panes apud Syros Graecosque adeo magnos fuisse, vt facile deni aut plures eodem pane vescerentur, *Grotius* adnotauit, ad *Diog. Laert.* prouocans,

18 τες ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτοῦ μετέχομεν. Βλέπετε

in vit. Pythag. sic habentem: εφ' ἑνα αρτον οἱ παλαι των Φιλων εφοιτων, καθαπερ και νυν οἱ βαρβαροι. Sed vix esse putauerimus, quod panis *vnius* notioni inhaereamus, dummodo de pane *omnium communi* cogitauerimus. *Semleri* vero sententia, panem *vnum eundemque* hic commemorari, *carnium victimarum* ratione habita, quae et ipsae, siue ethnicus, siue Christianus comederet, *eaedem* fuerint, ita vt vterque vniuersorum sacrorum communionem prae se ferret, mihi quidem iusto subtilior videtur. — Sic igitur v. 16. 17., ex interpretatione prolata, bene conspirant cum loco 1 Ioh. 1, 6. 7. et ipso κοινωνιαν μετα του υἱου και μετ' αλληλων Christianis praecipiente. Possit vero etiam v. 17., (praecipue vbi haud displicuerit qualiscunque nostra v. 16. interpretatio ex Ioh. 6. mutuata), retenta illa ipsa του αρτου et του σωματος signif., quae v. 16. obtinet, commode expediri fere sic: ὡς αρτος εστιν ει μη εἱς (sc. κοινωνια ων του σωμ., s. κοινωνιαν εχων μετα του σωμ. Χριστου), οὑτω και ἑν σωμα (sc. μετα του Χρ.) εσμεν, s. δει ειναι ἡμας, διοτι, καιπερ πολλοι οντες, ὁμως παντες εκ τ. ἑνος αρτου μετεχομεν. quibus Ap. vlteriorem huius sententiae amplificationem, eundem in modum resoluendam, addere potuisset hanc: ὁτι ἑν ποτηριον, ἑν αἱμα οἱ πολλοι εσμεν, οἱ γαρ παντες εκ του ἑνος ποτηριου μετεχομεν; qua tamen vltro se offerente, supersedere se posse, putasse videtur, cum vel metaphora a solo σωματι petita, eaque ex proxime superioribus arrepta, sensum satis plenum funderet hunc: *vt vnus idemque in s. coena panis apponitur, ad corpus Christi, i. e. ad omnem naturam eius moralem spectans, ita nos omnes, quotquot sumus, (et quantaquanta γνωσει pollemus* c. 8, 1.), *solius nos Christi cultores, arctissimo vinculo cum ipso coniunctos, eo declaramus, quod pane illo vescimur, sicque sanctam eius indolem in nos recipere eiusque personam referre spondemus; neque igitur* (sic, quamcunque inieris vv. 16. 17. interpretandi rationem, ex demonstrationis Paullinae serie, ad v. 15 et 18. significata, supplendum est), *comedendis etiam idolothytis nos idolorum simul cultores profiteri possumus, nisi* ἀραντες τα μελη του Χριστου, των ειδωλων μελη αυτα ποιειν *sustineamus.*

18. Pergit Ap. ad exemplum alterum, idque *Israelitarum*, qui ex reliquis victimarum diebus festis ob-

τὸν Ἰσραὴλ κατὰ σάρκα· οὐχὶ οἱ ἐσθίοντες τὰς θυσίας κοινωνοὶ τοῦ θυσιαστηρίου εἰσί; Τί οὖν 19
φημι; ὅτι εἴδωλον τί ἐστιν; ἢ ὅτι εἰδωλόθυτον

latarum partibus, non domesticis solum, sed et peregrinis, epulum parare solebant. vid. Exod. 35, 15. 1 Sam. 1, 3. 2 Sam. 15, 11. 12. praecipue Deut. 16, 10. sqq. coll. *Michaelis* iur. Mos. P. IV. §. 189. *Considerate*, inquit Ap., τον Ισραηλ, (s. τους Ισραηλιτας), κατα σαρκα, i. e. qui *per natales* Israelitis adnumerantur, Rom. 9, 3. 8. Eph. 2, 11., vt distinguat *Iudaeos nondum ad Christum conuersos* a Christianis ex Iudaeis s. Israelitis κατα πνευμα s. του Θεου Gal. 6, 16. Rom. 9, 6. sqq. Ουχι οἱ εσθιοντες τ. θυσ., i. e. *nonne ii, qui carnes residuas victimarum edunt*, κοινωνοι τ. θυσιαστ. εισι; vel κοινωνοι των θυσιων συν τῳ θυσιαστ. εισι; *nonne quasi cum altari*, (*personae* vim hic sustinente), *eiusdem carnis immolatitiae participes sunt? ita vt Deo, cui immolatur, non minus dicati sint, quam ipsum altare*; vel, ex vulgari interpretatione: ουχι κοινωνοι του Θεου εισι, ᾧ εν τῳ θυσιαστ. θυσιας προσφερουσι; *nonne participes sunt Dei, cui in altari offertur?* Vtrinque idem sensus oritur hic: *nonne sic publice fatentur, se eum colere Deum, cuius et altare?* Hinc vv. 16-18. paucis verbis iunxerim fere sic: *sicuti, qui sacrae Christianorum coenae intersunt, eo ipso declarant, se esse Christianos; sicuti porro, qui sacris epulis Israelitarum vescuntur, eo ipso ostendunt, se esse Iudaeos*; (iam supplenda est conclusio ex v. 20. fere haec): ουτω και ὑμεις, εσθιοντες τα ειδωλοθυτα, κοινωνοι των δαιμονιων γινεσθε· *ita etiam vos, qui ad conuiuia sacra gentilium inuitati acceditis, eo ipso declaratis, vos esse idolorum cultores.*

19—22. Hanc vero conclusionem, τοις φρονιμοις vltro sese hic offerentem, Ap. sibi vv. 20-22. demum in admonitionem transmutandam reseruauit, cum antea dubiolum v. 19. remouendum esse sentiret. Τι ουν φημι; *quid inde? quid ex hactenus a me dictis* (praecipue ex iis, quae vobis supplenda reliqui: vos nimirum concelebrandis sacris gentilium conuiuiis *idolorum* cultores euadere), *sequitur?* cf. ad 7, 29. Ὁτι etc. *simulacrumne aliquid* (s. *vere*) *esse? nec ad res pertinere mere inanes? adeo-*

20 τί ἐστιν; ἀλλ' ὅτι ἃ θύει τὰ ἔθνη, δαιμο-

que carnes quoque sacrificiales aliquid, s. vere simulacro isti sacras, sicque aliis carnibus praestantiores esse? nam si Christiani comedendis carnibus immolatitiis sese vere *cultores idolorum* exhibere credendi essent; necessario sequi videbatur, et idola ista vere esse, quia colere nemo potest, quae non sunt. (Cf. de phrasi opposita οὐδεν ειδωλον ad c. 8, 4.). Tangere videtur hoc dubium sententiam eorum, qui Christianis idolothytis vesci eam ob caussam licere putarent, quod idola et idolis immolata nihil essent, vel efficere possent. c. 8, 4.

20. Ἀλλ', plene: ουχι, αλλα τουτο φημι, ὁτι κ. τ. λ. Plura eiusdem tam mutilae quam plenae dicendi rationis exempla *Raphelius* ex *Arriano* et *Polybio* ad h. l. congessit. Ἃ θυει-Θεῳ, desumta sunt ex Deut. 32, 17. Δαιμονια, recte monente S. V. *Schleusnero* Graecis sunt *genii, s. spiritus ad diuinitatem propius accedentes,* quorum alios, αγαθοδαιμονας s. ευδαιμονας, statuebant hominibus propitios, alios vero, κακοδαιμονας, rebus humanis infensos omnisque infortunii auctores, quo sensu et mali angeli in N. T. dicuntur δαιμονια. Ad quos quidem genios cum veteres referre soliti essent omnes euentūs, quorum caussam ignorarent, ita vt quamcunque vim inuisibilem, rerumque humanarum rectricem, δαιμονα vel δαιμονιον appellarent; factum esse videtur, vt tam sacri quam profani auctores *numen diuinum omnino* (Act. 17, 18.), vtpote penes quod summum rerum humanarum regimen, et in ipsos genios imperium esset, et speciatim, vt h. l., *Deos gentilium* δαιμονια vocarent. Sic δαιμον. habes ap. *Aristot.* Rhetor. II. c. 23. §. 27. *Palaeph.* de incr. c. 47. et ap. Alexandr., qui modo שדים Deut. l. c., modo אלילים Ps. 96, 5. per δαιμονια reddiderunt. Minime igitur esse videtur, quod cum S. V. *Rosenmullero*, aliisque interpr. de *malis* daemonibus h. l. cogitemus. cf. Ill. *Creuzeri* Symbolik. Vol. 3. p. 3. sqq. Κοινωνον vero γινεσθαι των δαιμονιων, si *verbis* inhaeseris, apte ad vv. 16. 18., sibi vult: *cum Diis paganorum eiusdem carnis participem fieri*, (ita vt partem Dii, partem conuiuae ad sacras epulas inuitati accipiant), *sicque familiaritatem cum ipsis inire*, s. ex v. 21. κοινωνον του ποτηριου και της τραπεζης των δαιμονιων γινεσθαι. Nam Deos non victimis solum in ara

νίοις θύει, καὶ οὐ Θεῷ· οὐ θέλω δὲ ὑμᾶς κοι-

VARIAE LECTIONES.

20. Bis θύουσιν pro θύει ABCDEFG. 17. 31. 37. 46. 71. 73. Marcion ap. Epiph. Eus. — Vocc. τὰ ἔθνη non sunt in BDEFGgr. clar. germ. Marcion ap. Epiph. Eus. Tert. Aug. dis. (alibi habet). Quidam ap. Aug. Ambrst. Ante ἃ θύει ponit I.

oblatis, fumique ope ad ipsos ascendentibus delectari, sed etiam, *Porphyrio* potissimum et *Iamblicho* auctoribus, sacris conuiuiis lubentes adesse, sicque Iouem quondam cum omnibus Diis ad Aethiopes comissatum profectum esse (*Hom.* Il. α. v. 424. sq.), paganorum stabat credulitas. Hinc etiam Dii, vt adessent, vocabantur, *Virg.* Aen. 8. v. 301. coll. *Stat.* Theb. l. 1. v. 552.; vocati adesse credebantur, *Ouid.* Fast. l. 6. v. 395.; quin etiam paganos Deorum simulacra admouisse sicque sacras mensas fecisse, praeter *Arnobium* et *Athenaeum*, *Petronius* c. 60. testis est. Idem sentiebant Zabii, si fidem habemus *Maimonidi* in More Nevoch. P. 3. c. 46. p. 44. *Hi mactantes bestiam aliquam, sanguinem eius accipiebant, et in vase vel fossula aliqua colligebant, carnem vero mactatam circa illum sanguinem in circulo sedentibus, Daemones illum sanguinem comedere et hunc ipsorum esse cibum, hocque medio amicitiam, fraternitatem et familiaritatem inter ipsos contrahi, quia omnes in vna mensa edunt et vno consessu accumbunt.* Sic vero etiam *familiaritatem* daemones inter et homines contrahi, mensae enim communio et alias amicitiae occasio et symbolum est, (in quam rem *Elsnerus* loca multa ad v. 17. congessit), vel ex Ps. 106, 28. apparet: vnde bene *Chrysost.* ad h. l. ει γαρ επ' ανθρωπων το κοινωνειν αλων και τραπεζης φιλιας αφορμη και συμβολον γινεται, εγχωρει και επι και δαιμονων τουτο συμβηναι. Missis vero his omnibus paganorum commentis, *sensus* loci constituendus est sic: *minime quidem statuo, idola vere esse aliquid, adeoque victimas in honorem eorum offerri posse; immo vero hoc vnum contendo: paganos, quae immolent, ea mente immolare idolis, ac si vere sint aliquid; nolim vero, vos, frequentandis epulis ex reliqua victimarum parte structis, in societatem numinum paganorum, i. e. cultus ipsorum venire*, siue

21 νωνοὺς τῶν δαιμονίων γίνεσθαι. Οὐ δύνασθε ποτήριον Κυρίου πίνειν καὶ ποτήριον δαιμονίων· οὐ δύνασθε τραπέζης Κυρίου μετέχειν καὶ τρα-

cultores eorum vel aliis videri, vel vere euadere.

21. Amplificantur verba κοινων. τ. δαιμ. γινεσθαι v. 20. Ου δυνασθε, *fieri nequit, non licet.* vid. ad 3, 11. Ποτηριον et τραπεζα τ. Κυρ. per μερισμον significant *Christianorum coenam Christo sacram*, sicut ποτ. et τραπ. τ. δαιμ. *epulas paganorum in daemonum honorem institutas.* Ποτηρ. δαιμ. ad *vinum a paganis daemoniis libatum* spectat, (de quo cf. *Virg.* Aen. 8. v. 238. 39.), formula vero τραπεζα τ. δαιμ. eo melius procedit, quo certius est, τραπεζας ἱερας in omnibus veteris Graeciae templis (easque v. c. in templo Apollinis Delphico marmoreas) fuisse. Hinc *Cic.* de N. D. 3, 34. de Dionysio, Siciliae tyranno: *mensas* inquit, *argenteas de omnibus delubris iussit auferri, in quibus quod more veteris Graeciae inscriptum esset:* bonorum Deorum, *vti se illorum bonitate velle dicebat.* Istiusmodi *mensa sacra* etiam erat inter Israëlitas iam illa in tabernaculo, in qua *panes sacri* conspiciendi propositi erant. Exod. 25, 27. Vti vero ποτηριον hic iterum pro *vino in calice*, sic τραπεζα pro *cibis in mensa appositis* vsurpatur, quemadmodum etiam αγορα haud raro pro *rebus in foro venalibus* ponitur. Cf. Act. 16, 34. et Alex., qui Dan. 1, 5. sqq. פתבג, s. *portionem cibi*, et Ps. 78, 20. שאר *carnem, alimentum*, per τραπεζαν reddiderunt. Sic etiam ap. *Aelian.* v. h. 1, 19. ασωτια τραπεζης est *victus intemperantia*, ibid. 2, 17. τραπ. παρατεθεισα *cibus appositus*, et 4, 22. τραπ. αβροτερα *victus lautior.* Vid. *Reiskium* ad Diod. Sic. p. 89. Eodem sensu Hebraei שלחן Ps. 77, 22. Ies. 21, 5. 65, 10. et Latini voc. *mensa* adhibent. *Hor.* d. art. p. v. 198. serm. 2, 4. 87. *Virg.* Aen. 1. v. 690. et 7. v. 176. Vid. S. V. *Schleusn.* sub h. v. Formula vero μετεχειν τραπεζης, quae, obseruante *Loesnero*, totidem verbis ap. *Diod. Sic.*, *Philonem*, aliosque deprehenditur, explenda est vel per εκ (vid. v. 17.), vel per μερος. Cf. *Lys.* orat. 17. οἵπερ εν ολιγαρχια των συμφορων μετεσχον μερος. Sensus commatis iam prorsus idem est, ac si Ap. accommodate ad v. 20. scripsisset sic: ου δυνασθε κοινωνοι του Χριστου και των δαι-

πέζης δαιμονίων. Ἢ παραζηλοῦμεν τὸν Κύριον; 22

μονιων γινεσθαι, et sic quasi δυσι κυριοις δουλευειν· *non licet, immo ne fieri quidem potest, vt coenae dominicae et epularum sacrificialium paganorum communione vos tam Christi quam daemonum cultores simul exhibeatis.* Nolumus vero hic repetere et ad verba commatis huius explicanda iterum transferre, quae de isto mensae cum Diis consortio iam ad v. 20. adnotauimus.

22. Παραζηλουν τον Κυριον, s. Θεον, הקניא, quod LXX per παροξυνειν, παροργιζειν et παραζηλουν reddiderunt, in genere sibi vult εις ζηλον προσκαλειν τ. Θεον; specia-tim vero pro varia του ζηλου, קנא, significatione, *concitationem* modo ad *inuidiam*, modo ad *zelotypiam*, modo ad *iram* s. *indignationem* continet. Ps. 78, 58. Ez. 8, 3. Rom. 10, 19.; quos quidem animi affectus ii potissimum in Deo excitare putabantur, qui idola colebant. Deut. 32, 21. Prior significatio, cui *Semlerus* fauere videtur, sensum fundit hunc: *an forte ii sumus, qui Deum cultus idolis a nobis praestiti inuidum reddere possimus, sc. quo maiora nobis beneficia conferat, nisi cultu nostro carere velit?* quae tamen sententia, licet a vetere ανθρωποπαθως de Deo sentiendi ratione minime abhorreat, cum seqq. μη ισχυροτεροι α. ε. parum apte cohaerere videtur, cum ad inuidiam Deo creandam non *potestas*, eaque maior requiratur, quam ipsi Deo competat. Eadem difficultate sensus laborat, vbi cum S. V. *Schulzio* de *zelotypia* Dei, (quem Iudaei omnino vinculo quasi coniugali secum coniunctum existimabant), concelebrandis conuiuiis in honorem idolorum paratis mouenda cogitaueris. Quare tertiam significationem cum reliquis interpp. sequutus, reddiderim sic: *an id agimus, vt iram diuinam, ista mensae idolorum communione, excitemus? quasi Deo potentiores simus,* sc. *ita vt poenas eius effugiendi spes nobis supersit!* At vero, quem, arbitremur, eo temeritatis, ne dicam dementiae processurum esse, vt, irae diuinae excitandae causa, se aliquid fecisse, vel facturum esse profiteatur! Hinc equidem in interrogatione illa: *an iram diuinam concitare velint?* ex vsu loquendi hodieque adhuc obtinente, comminationem: *ne excitent,* latere putauerim, cum praecedd. sic fere iungendam: *minime conuiuia sacra paganorum frequentare licet, alias*

23 μὴ ἰσχυρότεροι αὐτοῦ ἐσμεν; Πάντα ἔξεστιν, ἀλλ' οὐ πάντα συμφέρει· πάντα ἔξεστιν, ἀλλ'
24 οὐ πάντα οἰκοδομεῖ. Μηδεὶς τὸ ἑαυτοῦ ζητεί-

VARIAE LECTIONES.

23. μοι post παντα in vtraque formula παντα εξεστιν omitt. A B C. a pr. m. D E F G. 17. 46. a pr. m. 67. ex emend. item Matth. h. Copt. Sahid. Aeth. It. harl. luxov. tol. Vulg. ms. Clem. Ath. Damasc. Iren. Tert. Cypr. Ambrst. Aug. (alibi habet) Ambr. Videtur μοι ex c. 6, 12. huc illatum esse.

iram diuinam quam nemo ullo modo euitare potest, concitabitis! i. e. vbi irae, ab hominibus ad Deum translatae, notionem missam feceris: *conuiuia illa impune concelebrare non potestis.*

23. Cogitando denique Ap. reuoluitur ad refutandam obiectionem, iam supra 6, 12. in alio disputationis genere prolatam, eamque a libertatis Christianorum plenitudine desumtam, quippe quae ipsis et idolothytis in conuiuiis paganorum vescendi ius vindicet. Vid. plura ad l. c. Ceterum, vti in obiectione: παντα (μοι) εξεστιν· (vid. var. lect.) totidem verbis iteranda instantem et vrgentem aduersarium; sic in repetendis confutationis iisdem fere verbis, (nam οικοδομειν h. n. non differt a συμφερειν, vid. ad 8, 1.) apostolum cernimus argumenti a se prolati firmitati inhaerentem atque insistentem.

24. Comma hoc non tam ad locorum communium genus, quam ad verba συμφερειν et οικοδ. copiosius illustranda reuocandum esse videtur sic: *non omnia quae nobis licent, et aliis prosunt: hinc nemo vestrum in diiudicanda quaestione ea, an epulis sacris paganorum interesse liceat,* το ἑαυτου sc. συμφερον (v. 33.) *commodum suum,* i. e. *liberum iuris sui vsum, vel voluptatem inde ad se redundantem, et i. g. a., quibus sine propriae virtutis damno commode supersedere potest, sed solum commodum aliorum* ζητειτω, (σκοπειτω), *spectet,* i. e. *sedulo inquirat, an* εξουσια αυτου, *quae per se quidem in dubium vocari nequeat,* προσκομμα γενηται τοις ασθενουσι, *sicque hi piae virtutis, ad quam promouendam, quicquid agimus, referre debemus* (v. 31.), *iniuriam patiantur.* cf. ad 8, 9 sqq. Sic igitur ex mente Paullina in diiudicanda hac re proprii commodi *nulla* prorsus ratio habenda est. Neque tamen repugnauerim, vbi fi-

τω, ἀλλὰ τὸ τοῦ ἑτέρου. Πᾶν τὸ ἐν μακέλλῳ 25

VARIAE LECTIONES.

24. ἕκαστος in fin. comm. addi solitum omitt. A B C D a pr. m. F G H. 17. vt videtur. 67. ex emend. 71. 73. 80. Copt. Sahid. Arm. Vulg. It. Clem. Ambrst. Aug. Ambr. Alii.

nes huius comm., ex γνωμικῷ dicendi genere, (accuratam praeceptorum moralium circumscriptionem respuente), dilatari malueris sic: μηδ. τ. ἑαυτ. μονον ζητ., αλλα και τ. τ. ἑτ., ita vt sensus quidem mitigari, minime vero immutari videatur. Cf. c. 13, 5. Rom. 15, 1. 2. Phil. 2, 4. — Et haec quidem hactenus de quaestione *priori:* num Christiano fanum adire, ibique carne immolatitia vesci liceat VIII – X, 24.

25. 26. Pergit iam nunc Ap. 2., ad quaestionem alteram: *an carnem a sacrorum cultu reliquam, eamque in macellis venalem emendi et edendi Christiano potestas sit?* v. 25. 26.; de quo quidem disputationis Paullinae contextu vid. ad 8, 1. Spectat vero haec quaestio eo, quod vel sacerdotes carnis partem ex victimis sibi debitam, vel illi ipsi, qui victimas obtulerant, carnem inde reliquam, vel auaritia adducti, vel paupertate coacti, laniis in macello diuendendam tradiderunt. vid. *Theophr.* char. 10. et *Servium* ad Virg. Aen. 8. v. 183. Quid? quod, *Beza* ex *Herodoti* l. 2. adnotante, iam Aegyptii pecudum immolatarum capita in forum asportata Graecis diuendere soliti erant. Παν, ex nexu *quaevis caro sine discrimine,* sc. vtrum sit a sacrorum cultu reliqua, nec ne. Μακελλον, (s. *μακελος, μακελλη, μακελειον*), vox vel a *μαγειροις, coquis*, vel a latrone quodam Marcello, ex cuius, Romae tandem supplicio affecti, pecunia δημοσιον κρεωπωλιον ibidem exstructum fertur, vel, quod praefero, a *mactando* (*Donat.* in *Terent.* Eunuch. act. 2. sc. 2. p. 91.) deriuanda, eaque (vt κουστωδια, Φραγελλουν, σπεκουλατωρ, κηνσος rel.), ex lingua latina in syro-chaldaicam et graecam translata, spatium in foro (s. κυκλον ap. Athenienses, cf. *Poll.* l. 10. c. 2.) modo subdiale, modo aedificio superstructum significat, in quo omnia, ad victum humanum necessaria, maxime vero carnes vendebantur, vnde *Plutarchus* μακελλον per κρεωπωλιον explicat, quamquam et οψοπωλιον fuit. Cf. *Scholiast. Aristoph.* ad equit. act. 1. sc. 1. Ὁ δε κυκλος

πωλούμενον ἐσθίετε, μηδὲν ἀνακρίνοντες, διὰ

Αθηνησιν εστι καθαπερ μακελλος, εκ της κατασκευης την προσηγοριαν λαβων, ενθα δη πιπρασκεται χωρις κρεων τα αλλα ωνια, εξαιρετως δε οἱ ιχθυες. coll. *Terent.* Eunuch. 2, 2. 24. *Varrone* d. ling. lat. 4, 12. *Seneca* ep. 95. Ad macellum inprimis *Corinth.* spectat locus *Iustini* l. 21. c. 5. In colligendis istiusmodi vocibus *graeco-barbaris*, s. commerciis Romanorum cum Graecis in vsum recentiorum Graecorum translatis, versati sunt *Meursius* in gloss. graeco-barbaro (ed. praest. 1614.) praecipue vero *Ducangius* in gloss. med. et inf. graecit. Εσθιετε, pro εξεστι εσθιειν, (*emere et*) *comedere licet*. Ανακρινειν, vt חקר, quod Alex. 1 Sam. 20, 12. per ανακρ. reddiderunt, est *examinare*, *percontari*, vi opp. μηνυσαντος v. 28., i. e. *non percontanti et curioso vltro aliquid indicantis*. Cf. 2, 14. 4, 3. 9, 3. *Phauorin.* ανακρινειν· εξεταζειν, αναπυνθανεσθαι. Μηδεν ανακρ. igitur positum est vel pro κατα μηδεν s. μηδαμως ανακρ., *nequaquam anquiratis*, *vtrum caro venalis sit immolatitia necne*; vel pro μηδεν κρεας, s. κρεατος γενος ανακρ., *nullam carnem venalem examinetis*, vtrum ex victimis residua sit, an non. Praefero posterius vi oppos. παν. *S. V. Schulzius* vero, aliique, *Grotium* sequuti, voce ανακρ. *damnandi* sensu sumta, reddi volunt: *nullum cibi genus damnate*, s. *pro impuro declarate*. At vero tum oppositae sententiae in v. 28. latentis vis prorsus perit ac euanescit. Praeterea tantum abest, vt, quod S. V. *Schulzius* contendit, ανακρ. *semper* hoc sensu a Paullo adhibeatur, vt, praeter locum 1 Cor. 14, 24., ne vllum quidem alium ad firmandam hanc *damnandi* significationem excitare ausim. Συνειδησις, ex contextu cap. 8., vel est ἡ των ασθενων συνειδησις του ειδωλου (8, 7.), i. e. το ειδωλον, και το ειδωλοθυτον ειναι τί (10, 19.), τῃ γνωσει, secus statuenti, opposita (8, 7.); vel *conscientia* s. *persuasio*, ex falsa ista opinione oriunda, *Christianis*, *idolothytis vesci*, *non licere*, (8, 7. 10.). Hinc in verbis δια τ. συνειδ. interpp. longe plurimi suppleri volunt ὑμων, sensu, ex secunda συνειδησεως signif. modo prolata, prodeunte hoc: *ne*, vbi carnem venalem ex victimis reliquam esse, comperti fueritis, *conscientia vestra*, ασθενης ουσα, *dubia reddatur*, *vtrum eam ematis*, *emtamque edatis*, *necne*; vel: *ne*, *nihilosecius ementes atque edentes*, *conscientiam*

τὴν συνείδησιν· (τοῦ γὰρ Κυρίου ἡ γῆ καὶ τὸ 26

vestram hoc cohibentem lae-datis. At vero *primum*, cum Paullo, in toto hoc argumento tractando, non cum τοις ασθενεσι, (de quibus tamen cogitandum est, vbi συνειδ. de propria conscientia intellexeris), sed cum hominibus γνωσει praeditis, eisumque idolothytorum ad conscientiam plane non reuocantibus, res sit; *deinde*, cum συνειδησις per totum cap. 8. non ad propriam sed ad alienam conscientiam spectet; *porro*, cum Ap. versu proxime praeced. Christianos το του ἑτερου ζητειν iusserit; *denique*, ad quod ante omnia attendi velim, vv. 28. 29. contextu prorsus eodem, (nam commata 28. 29. non minus versui 25., quam v. 27. opposita esse, ad v. 28. demonstrabimus), την συνειδησιν, ουχι την ἑαυτου, αλλα την του ἑτερου intelligendam esse, disertis verbis ipse declaret; eum et h. l. συνειδησιν την του ἑτερου, eamque ασθενη ουσαν, in animo habuisse dubio caret. Ἑτερον vero illum, licet Ap. v. 32. Corinthios suos απροσκοπους esse velit και Ιουδαιοις, και Ἑλλησι, και τῃ εκκλησιᾳ του Θεου, ad *Christianum* tamen *infirmiorem* restrinxerim, quippe ad quem totam hanc reuocauit disputationem, quae v. 32. demum in cohortationem generaliorem abire putanda est. Iam vtra της του ἑτερου συνειδησεως significatio (vid. supra), praeferenda, et quomodo totius commatis sensus constituendus sit, vid. ad v. 27.

26. Commate hoc Ap. transeundo *causam* addit, cur Christianis liceat εσθιειν παν, s. omni sine discrimine carne in macello venali vesci; quam etiam, si quid sentio, versui 28. subiungendam reseruare potuisset, cum ita comparata sit, vt inde simul appareat, cur quamcunque carnem *in conuiuiis appositam*, de qua v. 28. sermo est, comedere liceat. Exprimitur vero haec causa verbis Ps. 24, 1. in quem Ap. h. n. inde potissimum incidisse videtur, quod ad precationes pertinet, quas Iudaei, mensa tam apposita, quam remota, recitare solebant. Cf. loca thalmud. a *Wetstenio* ad v. 28. allata. Του Κυριου, pro του Θεου, s. τῳ Θεῳ, ליהוה, pro more Hebraeorum, voc. אדני in locum יהוה surrogandi. Ἡ γη sc. εστι. Deum vero saepe mundi *dominum* s. *possessorem* vocant s. codicis scriptores, quem pro mundi *auctore* haberi volunt, cum neutrum a neutro seiungi possit.

27 πλήρωμα αὐτῆς). Εἰ δέ τις καλεῖ ὑμᾶς τῶν ἀπίστων, καὶ θέλετε πορεύεσθαι, πᾶν τὸ πα-

VARIAE LECTIONES.

27. Post των απιστων add. εις δειπνον D E F G. Sahid. It. Vulg. ed. sixtin. Ambrst. Pel. Beda.

Πληρωμα αυτης, מלאה, *id*, *quo terra impletur*, s. *rerum creatarum multitudo vel summa*, *quae terrae inest*. cf. Ps. 96, 11. 98, 8. Ier. 8, 16. 47, 2. Sic πληρωμα ap. *Philostrat.* Heroic. 10. §. 12. dicuntur Graeci in equo Troiano delitescentes, et ap. *Philon.* de vit. M. l. 2. animalia, quae in arca continebantur; πληρωματα νηων vero Graecis sunt omnia quae replent naues, v. c. remiges, milites classiarii, onera nauium etc. (vid. *Casaub.* ad Athenaeum 8, 10. p. 612. et *Wesseling* ad Diod. Sic. 11. c. 3. T. 1. p. 406.) et πληρωμα της θαλασσης Alexandrinis 1 Chron. 16, 32. quaecunque mari insunt. Sensus est: *quauis carne vobis vesci licet; nam Deus tam terrae, quam omnium rerum et animalium, quae terrae insunt, auctor est; adeoque* παν κτισμα θεου καλον, και ουδεν αποβλητον εστι, μετα ευχαριστιας λαμβανομενον. 1 Tim. 4, 4.

27 — XI, 1. Ap. denique pergit 3., ad ventilandam quaestionem tertiam hanc: *Christianisne in amici profani aedibus, salua religione sua, carnem ex victimis reliquam comedere liceat?* 27 — 29. Arctissime vero cohaeret v. 27. cum v. 25., tum quia similium quaestionum, tam v. 25. quam v. 27. propositarum, simillima, immo prorsus eadem, deprehenditur diremtio; tum quia comma 28. non solum versui 27., sed etiam versui 25. oppositum est. Hinc v. 26. vncinis includendum curauimus. Τις, iungendum cum των απιστων. Καλειν, pro quo *Homerus* παρακαλειν, et *Athenaeus* κλησιν ποιεισθαι, vt hebr. קרא 1 Sam. 9, 13. 22., et lat. *vocare*, h. n. pro *invitare* sc. εις δειπνον (vid. var. lect.), neque tamen id sacrum. cf. Matth. 22, 3. 8. 9. Ὑμας, i. e. τινα, s. τινας ὑμων. Και θελετε πορευεσθαι, *si omnino vocatu paganorum ad conuiuia ab ipsis parata accedere vultis.* Paullus igitur, licet accedere non prohibens, tacite tamen Christianos admonet, melius eos facturos, si non accedant. Παν, vid. ad v. 25. Παρατιθ., vt lat.

ρατιθέμενον ὑμῖν ἐσθίετε, μηδὲν ἀνακρίνοντες,

apponere, hebr. שום, et nostrum *vorsetzen*, *vorlegen*, est voc. *mensam apponentibus* et *cibis appositis* proprium vid. ad 9, 18. Μηδὲν — συνειδ., vid. ad v. 25. Iam pro duplici voc. συνειδ. significatione, ad v. 25. commemorata, sensus ex vv. 25-27. prodit vel hic: *quauis sine discrimine carne, vel in macello venali, vel in conuiuiis paganorum apposita, vesci licet, (nam quae Deus in vsum hominum condidit, per se impura esse nequeunt v. 26.), dummodo non anquisiveritis vel ex seruo carnem e macello afferente, vel in foro ipso ex macellario s. aliis, vel in conuiuio ex hospite s. conuiuis, vtrum sit ex genere carnis vulgaris an immolatitiae; ne, vbi immolatitiam esse comperti fueritis, vel edentes, vel edere recusantes, declarare videamini, vos hisce carnibus in honorem idolorum vesci aut velle aut nolle, sicque* συνείδησιν τοῦ εἰδώλου *animis infirmiorum Christianorum, mensae fortassis lanioniae, dum anquireretis, adstantium, et in conuiuio vobiscum simul accumbentium, vel aliunde hanc curiositatem vestram rescis-centium, exemplo vestro magis informetis*; vel hic: *ne conscientia infirmiorum Christianorum per vos, pro* γνώσει *vestra, carnem licet immolatitiam nihilosecius comedentes, perturbetur*, (μολύνηται 8, 7. s. τύπτηται 8, 12.); i. e. *ne infirmiores eo perducantur, vt. obstrepente licet conscientia, idolothytis vescantur et ipsi*; siue verbis Paullinis: ἵνα μὴ ἡ συνείδησις αὐτῶν οἰκοδομῆται εἰς τὸ τὰ εἰδωλόθυτα ἐσθίειν, 8, 10. Praefero posteriorem explicandi rationem, nam vti voci συνειδ. *falsae cuiusdam opinionis* significatione, addi debuit rei falso seu stulte sibi persuasae vocabulum (vt συνείδησις εἰδώλου 8, 7.), sic *conscientiae* significatio tam in tractando hoc argumento, quam apud sacros profanosque auctores longe vsitatissima est. S. V. *Schulzius* vero cum *Strothio* συνείδησιν pro *imagine* sumens, *quam quis sibi de aliqua re formauerit*, sic reddi vult: *nullum cibum damnate, quanicunque idolorum imaginem memoria vestra ex pristino paganismo in vobis euocauerit.* Sed neque συνείδησιν absolute positam sic intelligi posse, neque Paullo de propria, sed potius de aliena conscientia sermonem esse, ad v. 25. satis demonstrasse nobis videmur. Iisdem difficultatibus et *Grotii* sententia premitur, συνείδησιν

28 διὰ τὴν συνείδησιν. Ἐὰν δέ τις ὑμῖν εἴπῃ·
τοῦτο εἰδωλόθυτόν ἐστι· μὴ ἐσθίετε, δι' ἐκεῖνον
29 τὸν μηνύσαντα, καὶ τὴν συνείδησιν. Συνείδησιν

VARIAE LECTIONES.

28. Verba του γαρ Κυριου ἡ γη και το πληρωμα αυτης, sine dubio ex v. 26. in finem huius comm. intrusa, omitt. ABCDEFGH. a. pr. m. 10. 17. 28. 46. 71. a pr. m. 73. 80. Ed. Syr. Erp. Copt. Sahid. Aeth. Arm. Vulg. It. Damasc. Ambrst. Aug. Pel. Beda. Habent Chrys. dis. Theodoret. dis. Theoph. dis. Oec.

ex v. 26. de *persuasione ea intelligentis, nihil per se impurum esse.* Qui denique συνειδησιν v. 25. ad *propriam*, v. 27. vero ad *alienam* conscientiam referunt; nulla arctissimi nexus inter v. 25. et 27. ratione habita, Paullum ipsum huius vocis v. 29. interpretem spernere videntur.

28. Comma hoc interpretes soli versui 27. oppositum esse perhibent; at vero cum admodum manca foret disputatio v. 25., nisi Paullus prospexisset et dirimendae quaestioni huic: quid contra Christianis φρονιμοις faciendum sit tum, vbi ipsis haud inquirentibus vltro significetur, carnem in macello venalem ex genere immolatitiarum esse; cumque quaestionum, ad quas v. 25. et 27. respondetur, tanta sit similitudo, vt singula non singulo, sed vtraque communi tantum opposito indigere videatur; denique Ap. in conscribendo v. 28. omnia euitauerit, quibus v. 28. ad solum v. 27. restringeretur; equidem comma nostrum cum versui 25. tum v. 27. oppositum esse non dubito sensu hoc: *Quodsi quis ex infirmiorum Christianorum numero* (τις, pro ασθενης τις, vid. ad ἑτερος v. 25.) *vobis, vel carnem in macello venalem emturis, vel ad conuiuia paganorum accessuris, seu ipsi hospitis ethnici mensae iamiam accumbentibus, neque vero de carnis vel emendae vel comedendae natura sollicitis, vltro dixerit:* τουτο ειδωλ. εστι· "*caro ista venalis, seu apposita, ex victimis residua est!*" μη εσθ., *tunc ea vesci nolite*, δι' — συνειδ. (ex henidiad. pro δια την συνειδησιν του μηνυσαντος sc. ασθενους), *ne imbecillior frater, qui, Christianum idolothytis impune vesci non posse ratus, ad vos, pro nimia conscientiae suae sedulitate, monendos, indicium huius rei fecerat, exemplo vestro*

δὲ λέγω, οὐχὶ τὴν ἑαυτοῦ, ἀλλὰ τὴν τοῦ
ἑτέρου· Ἱνατί γὰρ ἡ ἐλευθερία μου κρίνεται
ὑπὸ ἄλλης συνειδήσεως; εἰ ἐγὼ χάριτι μετέχω, 30
τί βλασφημοῦμαι, ὑπὲρ οὗ ἐγὼ εὐχαριστῶ;

VARIAE LECTIONES.

30. δε post ει antiquissimi et plurimi, Mosqq. quoque, omittunt.

abripiatur, vt, improbante licet conscientia, iis vescatur et ipse. Vid. ad verba δια την συνειδ. v. 25. et 27., quae iam nunc

29. Paullus sibi vberius explicanda sumit verbis συνειδ. — ετερου. Adhibebam inquit, vocem συνειδ. (v. 25. 27. 28.) *simpliciter, quam tamen non tam de conscientia propria, (nam vos,* την γνωσιν εχοντες, *promiscuo carnium esu haud perturbari scio* 8, 1.), *quam potius de conscientia aliorum,* την γνωσιν ουκ εχοντων 8, 7., *perturbatuque facillima, intelligi velim.*

Inde vero ab ἱνατι noui commatis initium constitui, idque vsque ad ευχαριστω v. 30. continuari debuit, cum verba haec sint aduersarii, ad infirmitatem fratrum suorum se conformare nolentis. Ἱνατι κ. τ. λ. resoluerim sic: ἱνα τι δε εγω, ελευθερος ων, κατακρινομαι, s. βλασφημουμαι (v. 30.) ὑπο συνειδησεως αλλου, i. e. δια τουτο, ὁτι τυπτω (8, 12.) την συνειδησιν αλλου. *Cur id, quod iure et pro libertate mea facio, damnetur per sinistrum hominis scrupulosi iudicium?* i. e. *cur ego propterea reprehendi possim, quod, libertate mea vtens, aliorum perturbem conscientiam?*

30. *Nonne equidem omnes officii mei, circa βρωσιν seruandi partes peregisse censendus sum, vbi* χαριτι (pro εν χαριτι, s. μετα χαριτος s. ευχαριστιας), *cum gratiarum actione* (sc. *Deo O. M., quem Christiani colunt, non daemonibus debita*), *cibis et vel carne immolatitia vescar? quo iure* (τι, מה, *quid, was,* pro κατα τι, למה, *ob quid,* s. *quapropter, wesswegen*), *reprehendar* (ὑπερ οὑ, pro ὑπερ εκεινου, ὑπερ οὑ i. e. ὑπερ εκεινης βρωσεως, ὑπερ ἡς), *propter esum ciborum, pro quibus summo Christianorum Deo gratias ago, et quibus adeo non vescor in honorem idolorum?* 1 Tim. 4, 4. *Grotius* vero, quem sequitur S. V. *Rosenmullerus,* ἑτερον ab αλλῳ distinguens ita, vt ille sit, *quicum negotium est,* hic vero qui-

31 Εἴτε οὖν ἐσθίετε, εἴτε πίνετε, εἴτε τι ποιεῖτε,
32 πάντα εἰς δόξαν Θεοῦ ποιεῖτε. Ἀπρόσκοποι
γίνεσθε καὶ Ἰουδαίοις, καὶ Ἕλλησι, καὶ τῇ ἐκ-

uis alius, *quicum negotium non est*, verba nostra non aduersario, sed ipsi Paullo tribuit sensu hoc: *si quis conuiua norit, eas res esse immolatitias, ego autem id nesciam, ego libertate iusta vtor: ille si me propterea pro idololatra habeat, inique me damnat. Si ego, id ignorans scilicet*, (χαριτι) *per Dei beneficium, i. e. Deo dante et id concedente, participo, cibos sc. appositos; cur calumniam patior pro re, de qua Deo gratias ago?* Sed anquisita mihi quidem videtur ista ἑτερου ab αλλῳ distinctio; neque χαριτι μετεχειν pro μετεχειν του εκ χαριτος Θεου δοθεντος satis commode dici posse putauerim.

31. Sequitur Paulli ad obiectionem superiorem responsio, eaque ope partic. ουν quasi ex concessis desumta. Τι sc. αλλο s. ἑτερον. Δοξα, כבוד, h. n. pro *veneratione* maiestati diuinae debita. Παντα vero, cum emphasi quadam enunciandum, responsionis Paullinae neruum continere videtur sic: *quare* (ουν), *cum iam ipsi, me non monente, statuatis, vel cibis, haud sine gratiarum actione capiendis, nostram erga Deum reuerentiam declarari debere, vos quidem, vlterius progredientes, siue cibum capiatis, siue quicquid aliud agatis*, omnia omnino *velim ad cultum Dei promouendum reuocetis* sc. *ita, vt non solum cibos appositos non sine precibus ad Deum fundendis* capere *pergatis, sed vel ab iis* abstinere *haud recusetis, quibus comedendis periculosam exempli imitationem infirmioribus prodere possitis.* Expressa videtur sententia nostra ex dicto Hebraeorum: כל מעשיך יהיו לשם שמים, quod exstat in *Pirke Aboth* et ap. *Maimonidem*. Cf. *Arrian.* diss. Epict. 2, 19. εις τον Θεον εφορωντες εν παντι, μικρῳ και μεγαλῳ.

32 — XI, 1. Excurrit iam hisce versibus responsio illa Paullina in cohortationem generaliorem hanc: vtne cuiquam, quaecunque sacra amplectatur, peccandi et vituperandi occasionem praebeant. Απροσκοπος ex eorum adiectiuorum numero est, quae modo actiuam modo passiuam significationem habent, (de quibus docte disputauit *Hem-*

κλησίᾳ τοῦ Θεοῦ· καθὼς κἀγὼ πάντα πᾶσιν 33.

sterhus. ad Lucian. T. 1. p. 179. et *Abresch.* ad Aeschyl. l. 3. p. 11.); siquidem partim notat eum, *qui inoffenso pede procedit*, teste *Eustathio* p. 1591., partim eum, *qui aliis incedentibus nullum obiicit offendiculum.* Sirac. 32, 26. *Hes.* et *Suid.* απροσκοπος· ασκανδαλιστος. Hinc απροσκ., vt et h. l., metaph. dicitur is, *qui non committit aliquid, quo alter ad errorem, peccatum et vituperium alliciatur.* cf. *Alb.* gloss. N. T. p. 130. απροσκοπου· μηδενι σκανδαλου αφορμην εχοντες, (i. e. παρεχοντες). Recte *Theodoret.* εξ ὑμων προφασις σκανδαλου μηδεμια γινεσθω. Ἑλλην, per synecd. *gentilis*, adeoque tam Iudaeis quam Christianis oppositus. Rom. 3, 9. alibi. Εκκλησια του Θεου pro *Christianis*, vid. ad 1, 2. coll. 6, 4. Ιουδαιοι κ. Ἑλληνες vero, modo addita, vt h. l., modo omissa ecclesia Christianorum, (quippe quae initio ab ecclesia Iudaeorum non distingueretur), Rom. l. c., *omnes omnino homines* (παντες v. 33.) sunt, *quamcunque religionem sectentur*; quia omnis religionis varietas ad ethnicorum, Iudaeorum et Chrtstianorum Dei colendi modum reuocari solebat. vid. ad 1, 22. Sensus igitur est: *ita omnino res vestras agite, vt alii, cuiuscunque religionis sectatores sint, intelligant, vos vero veri Dei sensu et numine duci, ne vllam vlli siue scandali, siue vituperii occasionem suggerere videamini.* Neque tamen esse videtur, quod cum Grotio et S. V. *Rosenmullero*, singulari singulorum ratione habita, vertamus sic: *Cauete, ne Iudaei dicere possint, vos haud sincero studio Deum verum colere; ne* Graeci *dicant, vos nihil in idololatria mali esse censere; ne* Christiani *adhuc teneri, impendentibus malis aliquibus, ad defectionem impellantur:* quae quidem versio mihi quidem cum generaliori huius cohortationis indole ac forma vix conciliari posse videtur.

33. Cf. 9, 19-22. Παντα pro κατα παντα. vid. supra ad 9, 25. Αρεσκειν τινι, pro ζητειν αρεσκειν τινι, *studere vt alicui placeamus*, adeoque *componere se ad mores eius atque voluntatem.* 7, 32. Rom. 15, 2. Gal. 1, 10.; quod tamen cum haud raro sensu malo vsurpetur, quo a κολακευειν vix differt (1 Thess. 2, 4. *Theophr.* char. 5. *Athen.* 6, 15.); Ap. ad adulatoris lenitatem et impietatem a se declinandam, addit: μη — πολλων, *neque tamen mea, sed plurimorum commoda quaero*, eaque non *externa*,

ἀρέσκω, μὴ ζητῶν τὸ ἐμαυτοῦ συμφέρον, ἀλλὰ
Cap. τὸ τῶν πολλῶν, ἵνα σωθῶσι. Μιμηταί μου
XI, 1 γίνεσθε, καθὼς κἀγὼ Χριστοῦ.

sed *interna* et ad animum spectantia, nimirum ἵνα σωθωσι (pro τουτ' εστι· την σωτηριαν αυτων), *vt ad amplectendam et tuendam rel. chr., adeoque ad veram virtutem et felicitatem adducantur.* vid. ad 9, 22. Est igitur hic locus commentarii instar ad verba αρεσκειν εις το αγαθον, προς οικοδομην Rom. 15, 2., et, ad sensum, bene congruit cum 9, 19. πασιν εμαυτον εδουλωσα, cum studium aliis placendi conditionem nostram haud raro seruilem reddat; vnde tamen cum S. V. *Schulzio* colligere non ausim, αρεσκειν h. n., pereunte omni studii istius notione, mere i. esse q. δουλ. ἑ. τινι, neque aliter, quam per *seruire* reddi debere.

Cap. XI, 1. Hoc comma perperam Latini a superiori capite absecuerunt, cum potius arcte cohaereat, ita tamen, vt singulari quodam Paulli artificio sit simul et superioris disputationis conclusio, et transitio ad ea quae sequuntur. Bene *Semlerus* reddidit: *itaque velim, vt vobis me imitandum proponatis, vt ego Christi illud sollicitum aliis inseruiendi studium imitando ipse exprimere soleo.* Ne igitur *suum* exemplum laudare videatur, ad Christum refert, cuius et docendi et viuendi modum imitabatur. — Ceterum in fine huius disputationis annotandum superest, Christianos dein, praecepti Paullini memores, ab idolothytis sollicite abstinuisse, (vid. *Clem. Al.* l. 2. paedag. p. 143.) et omnes potius cruciatus subire, quam iis vesci, maluisse, cum imperatores pagani cuncta in foro venalia sacrificiorum libationibus inquinassent. vid. interpp. ad *Lactant.* de mort. persec. c. 37.